


Summa

A  
12-277



Biblioteca Universitaria  
CANADA  
Sala A  
Estante 92  
Tabla 277  
Numero

6

Pertenecce al Colegio de San  
de la Compañía de Jesús. Cirilice.

P. Luis Guzman



da

17-274

Handwritten text, possibly a signature or name, written in cursive script. The text is partially obscured by a large, irregular brown stain in the center of the page.

Handwritten initials or a small signature in the right margin.

Handwritten initials or a small signature in the bottom right corner.

13.4092

LIBER

# THEOLOGIAE MORALIS,

Viginti & quatuor Societatis I E S V

Doctoribus referatus:

*Del Colegio de la Comp<sup>a</sup> de Iho de Granada*  
Quem **S. ANTONIVS DE ESCOBAR** &  
*Mendoza, Vallisoletanus, eiusdem Societ.*  
Theologus, in **EXAMEN CON-**  
**FESSARIORVM** digessit.

Post trigessimam - septimam Hispanicam Editionem,  
prodit prima additionibus illustrata.



**LVGDVNI.**

Sumpt. Hæred. P. PROST, PHILIP  
& LAURENTII ARNAVD.

M. DC. XLIV.

**CVM PRIVILEGIO**

*Del Apasento del S. Nino*



29 01. 29



29 01. 29



EXCELLENTISSIMO DOMINO,  
D. FREY MARTINO DE REDIN,  
EQVESTREBVS DIVI IOANNIS  
Insignibus candidato, magno eiusdem Ordinis Na-  
uarræ Priori, Magistrali Calcherensi, & Leachensi  
Commendatario, Domino de Cauanillas, Fustina-  
na, & Ribaforada, Domino de Redin, Baroni de  
Viguesal, Potentissimi Hispaniarum Magni Phi-  
lippi IV. bellicis à Consiliis, pluribus olim terra  
marique Regiæ militiæ muniis ac titulis insignito,  
supremo demum Galleciæ Governatori, ac Duci  
meritissimo,

Antonius de Escobar & Mendosa, è Societate I E S V,  
multiplicis gratitudinis ergo D. D. D.

*ANAGRAMATA.*

MARTINVS DE REDIN  
INTER MVNDI SIDERA

*vel*

NVM INDE MARS REDIT?



*INTER mundi sidera*, non ego te  
annumero, PRINCEPS EX-  
CELLENTISSIME, sed ipsius  
veritatis genio annumeratū dun-  
taxat refero; quippe fulgens tuæ prosapiæ an-



## E P I S T O L A.

riq̄uitas, valdeque Progenitorum robusta vir-  
 tus constituunt cælum splendore diues, super-  
 bum virtutis firmamentum: ibi lasciuiens stel-  
 larum pelagus natat; quas nullus præter Altis-  
 simum, *qui numerat multitudinem stellarum.* &  
*eis nomina vocat* explicare valuit clarissimo  
 cognomine de Redin, Cruzate, Xauier, Espar-  
 za, Arbizu, Oriz, Lio, Gongora, Caparroso, Ar-  
 tieda, Andueza, Mencos, Biamonte, Lodossa,  
 Nauarra, Paschier, Guarras. Ibi corusco fulgo-  
 re ludunt Planetae, cælestibus meliores. Do-  
 minum D. Carolum de Redin (quem cælum  
 tanti filij patrem destinauit) ea in pauperes  
 inexhausta largitas, mentis claritas & constan-  
 tia, isque iustitiæ splendor sanctus amauere, vt  
 huius cæli hilaris debeat acclamari Sol. Luna  
 ar̄imo plena, pietate semper crescens, vene-  
 rabili natorum numero beata, tamque illis  
 educandis prudens, vt scimus, & tua virtus  
 ostendit, fuit grandis illa Matrōna Domina,  
 D. Elizabeth Cruzate, quam, si potuisses, non-  
 dum genitus eligeres in matrem. Dominus D.  
 Michaël de Redin (ô cælum qualibus istum  
 Heroem fratribus sociasti: præstarent quidem  
 honorem cui libet præter illum) primus tibi  
 frater, Mercurius est, cuius sidereâ eloquentiâ  
 tot fulsere legationes, vix primæus erat cum  
 penè immensis alis mare ac terram mensura-  
 uit,

## E P I S T O L A.

uit, iuuenilibus humeris ardua negotiorum pondera committebantur, & nondum plenus annis munera fenum implebat, quibus summæ laudis fuisset vel incipere quod ille perficiebat. Optimum cerno Saturnū in claustris Benedictinæ gentis vltro latentem, sed illustris sapientia & sanctitas prudens explicuit mundo clarissimum sidus Reuerendissimi Patris F. Ioannis de Redin, superam eius doctrinam adorat hodie Salmanticense Licæum, & Benedictina familia altum Moderatoris memorat iudicium, tunc se felicem existimantis, quando suos feliciores habebat, qui & viuide mirabantur viuum, & mortuum imitantur auidè. Orbis aures gloriosa circumpulsat tuba, qua egregia resonant facinora Hispanici Iouis, fortissimi Domini D. Tiburtij de Redin, quem humanissimum æquè amabant amici, ac horrent adhuc inimici ardenti quondam gladio fulminantem: sed ô bone Deus quantam venerandi Planetæ stupemus metamorphosim: heri acerrimus dimicabat Dux, humilior hodie religiosus orat; ferrea membra argenteum vestimentum armabat in acie, iam habitu Capucinatorum pauperrimo caput aureum illustratur: vicit in præliis Hispanæ coronæ inimicos, in religione victor est ipse sui: non valebat orbis Magnum capere Tiburtium, sic ille

## EPISTOLA.

sub humilis Fráncisci nomine in religionis cælū  
 se restrinxit. Hi fuere tibi parentes, Hi fratres,  
 tales quidem, quales oportebat, ne tua virtus  
 heroica ruberet. Nec defuit in ista fiderum so-  
 cietate Venus, pulchrior gentili: floruit enim  
 Domina D. Rosa de Redin, digna quæ tua na-  
 sceretur soror: Rosa non vagantis Adonidis  
 sanguine flagrans, sed candidissimæ honestatis  
 purissimus flos: cui Navarrea nobilitas præ-  
 claram speciosi generis credidit spem, roseum  
 tanti splendoris firmamentum. Sex huius  
 cæli vidimus flammantia sidera: vbi bellator  
 Mars? Adest etiam toto sidere, virtute, &  
 fortunâ Mars: quippe scintillare sub ardenti  
 casside video sidereum caput excellentissimi  
 Principis Domini Frey Martini de Redin.  
 Sex enim cælestibus, quas signauimus, faci-  
 bus mundo redeunt Sol, Luna, Mercurius,  
 Saturnus, Iupiter, & Venus: sic etiam totus  
 orbis attentus *Martinum de Redin* intuens  
 clamat pergrata voce: *inde Mars redit*, quod  
 eius nominis secundum anagramma vocitat  
 sincera veritate. Lucent huius sideris vesti-  
 gia, ipsa sese sua claritate omnibus signifi-  
 cant. Gloriosum cognomen de Cruzate no-  
 biles maximæ crucis bellicæ appetitus inge-  
 nuit, quippe postquam teneriores anni Mu-  
 sarum fuerunt sacrificia (ô quantum te patro-  
 no

## EPISTOLA.

no valebant!) candida diui Ioannis Crux forte signauit tibi pectus, vt Magnam illustrares aliquando. Cœpit anno decimoquarto faustè Regia classis armis roborari tuis, vbi iuuenis & Dux in obsidendâ Mamorâ plurimùm strenuâ manu operari valuisti; à quo rediens facinore, & iam Gaditano portui proximus duo Turcarum nauigia exiguâ inuasisti rate, quæ timore prudenti te præliantem fugere maluerunt, quàm victorem experiri; iustus enim pauor tam firmam iuuenis virtutem decantauit, præcipiensque fugam potuit liberare quos tua damnabant arma. Hinc Religioni obediens Trinacrium arasti pelagus, quod murmure plaudenti te celebrauit Sicularum puppium Proimperatorem; bisque illis præfuisi ab alterius nutu non dependens, semel in æquor ducens Adriaticum, & auxit imperium tuum Regiæ classis non humilis pars; tunc Veneti à te in prælium prouocati, quamuis apparatu maiores fortunatum & belli fortio-rem timuere ducem & arbitrum, recusaerunt discrimen, sciebant namque in te vnum esse pugnare & vincere. Inuidit Neapolitana classis aliam feliciorum tecum esse, quousque in medio mari Proimperator eius illuxisti. Adeo clarus eras omnibus, vt defensorem omnes te optauerint Respublicæ. Fecit tanta

## EPISTOLA.

fama vt tua Religio longis ardoribus te vocaret: vbi, ô felix Nauarra, Magnus eius Prior ingenti plausu felectus, iam tunc in Magnum patriæ tuæ Patrem destinabaris. Eadem Militaris Familia communi apud urbem Legato te maiorem addidit, vbi & grauissimos casus grauiori prudentiâ subleuasti, & orbis charus iucundè resonabas vbique. Tuos fama magis celebrauit honores, cum item tua bellatrix Religio primi legatus dexteritati assueta, secundum idque singulare nimis tam prudenti fortunæ commendauit. Tunc Hispania nostra tuo fidere claruit, quippe monstrare venisti Magno Philippo I V. quàm iucundus fuerat Melitensi equitatu Serenissimi Principis fulgentissimus ortus. Cognouit eadem Religio nullum sapientio rem felicio remve oratorem ad grandia tractanda inueniri posse: iam iterata legatione fere Matritum videbas, cum (ô iusta pro tua virtute Principum pugna!) gnarus noster Monarcha te aduentare sua clypeauit regna, arma tibi Nauarræ commendans, & inter bellici Consilij viros prudens te legit: nec legationis res arduas, quæ fere te totum exposcebant, minus felices esse permisit: quid tunc non concederet Rex patriam ferro & honore protegenti: quæ licet non multos annos tuo gauisâ conspectu, eo potuit inimicis

armis

## EPISTOLA.

armis illudere, cum tam strenue Nauarram protexisti. Hæc & alia facinora magnos à Rege poscebant tibi honores, qui omnium votis aliquantulum respondit, Proimperatorem Nauarræ te constituens: & ne vna Nauarra tanto ductore frueretur, in Guipuzcoam egressus totum eius exercitum imperasti solus, tibi præsidia parebant, & simul Cantabriæ intentus tuam regebas Nauarram. Illic Marchio delos Velez te pro annonis vigilante, sustinere potuit exercitum, quem sudores tui integrum habuere. Hæc circiter tempora Cataloniâ à suo & nostro Rege deficiente, Aragoniam petiisti, quinque veteranæ gentis cohortium & illustrium turmarum ductor, vt Marchioni delos Velez hoc traderes auxilium. Flauia Gallicæ stetisti, Celtiberiæ Proimperator; vnde Regis obedientiâ in Nauarram regressus, eius sperata gaudia tuo imperio continuasti, quod sæpe, remotis Proregibus, à te vno libens pependit. Tandem hilarissimum fidus Hispaniæ cælum è Nauarrâ in Galleciam, discurristi, vt eius Gubernator, Imperatorque ardens in Lusitaniam fulgur esses. Viderunt te Montis regij cacumina læuâ superbum & frementem equum exhortantem, ferrumque dextrâ fulminantem, quod nemo violentius rotauerat vnquam: proceritate corporis elatior

tuos

## E P I S T O L A.

tuos ducebas loco & animo primus; ensis terribiles geminabat ictus, totque sanguine grauis mortes peperit, vt Sol tam miseram stragem videre non audens, nigro tenebrarum velo inuoluit præliantes; quò victus Lusitanus sepulcrum fugiens, latebras inueniret: si fortunatus Iosue tunc fuisses, iacuisent irati Martis impulsibus hostes; plures enim cruento gladio iustæ infedebant mortes, quàm poterat Lusitania militum opponere vitas. Postea palluere nobis, proh dolor! huius Magni Planetæ fulgores, nostra meruere crimina obstinata morhi nube tantum sidus caligare; quæ tenebræ genuere animum hostilibus armis, vt Galliciæ ostia turbarent occultè: volens Numen Hispaniæ culpas punire in te grandi militum Parente omnium salutem sustulit, ligauitque omnium pugnatrices manus. Viue & vale Melitenium gloria, decus Hispanorum, vt arma quæ te ardenti desiderio vocant, iterum tua manu gaudeant, nosque exorata pacem tuis victoriis cantemus. Anagrammatis igitur quæstioni *Num inde Mars redit* iustè respondemus *inde redit Mars*; vt pote tuæ cælum stirpis *Martinum de Redin* nobis Nauaræ Martem explicuit. Fas ergo sit ô clarissime Ductor militi Societatis I E S V (toties tuæ quoties tuo splendore defensæ) tuo olim condiscipulo,

## EPISTOLA.

discipulo, præliorum modo proximo aliquo-  
ties testi, pro victrici tibi debita quercu flo-  
rum coronâ insignem frontem ambire, flo-  
rum inquam quos è plantis meæ Religionis  
Doctorum construxi, sint illi, rogo tui, & sta-  
tim sub profundo pelago lucis apparebunt  
sidera, iustè speratura pluribus ardere.



FACVL



---

FACULTAS R. P.  
*Provincialis Societatis IESV  
in Prouincia Lugdunensi.*

**A**NTONIVS MILLIEVS Prouin-  
cialis Societatis IESV in Prouincia  
Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem So-  
cietati à Regibus Christianissimis Hen-  
rico III. 10. Maij, 1583. Henrico IV. 20.  
Decembris 1606. & Ludouico XIII. 14. Fe-  
bruarij 1611. concessum, quo Bibliopolis  
omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem  
Societatis hominibus compositos absque Su-  
periorum permissione imprimant; Permitto  
Hæredibus Petri Prøst, Philippo Borde &  
Laurentio Arnaud Bibliopolis Lugdunensi-  
bus, vt Librum qui inscribitur, *Liber Thea-  
logie Moralis, Auctore R. P. ANTONIO DE  
ESCOBAR* à duobus eiusdem Societatis  
Patribus recognitum ad nouem proximos  
annos imprimere, ac liberè diuendere pos-  
sint. Datum Camberij 28. Iulij 1644.

ANTONIVS MILLIEVS.

APPRO

---

A P P R O B A T I O.

**N**os infra scripti in Sacra Theologiæ facultate Parisiensi Doctores, fidem facimus nos hunc librum cuius titulus est *Liber Theologia Moralis, Auctore R.P. ANTONIO DE ESCOBAR* legisse, nihilque in eo fidei Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ dissonum deprehendisse. Ideo dignum iudicamus qui publicis vsibus tribuatur. Actum Lugduni 11. Iulij Anno ab enixa Virgine 1644.

F. M O L I N, Carmelita.

F. M I C H A E L M I C H A R D, Minor.

---

L I C E N T I A O R D I N A R I I.

**V**isa approbatione Religiosorum Patrum in Parisiensi Theologiæ facultate Doctorum super doctrina præfatæ *Theologiæ Moralis*, assentientium omnia in ea contenta Fidei Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ consona exponi, in eorum sententiam de Typis mandanda lubentes imus. Lugduni 11. Iulij 1644.

D E V I L L E, Vic. Gen. Substitutus.

---

C O N S E N S U S.

**V**isus supradictis approbationibus, *Librum* hunc *Theologiæ Moralis Auctore R.P. ANTONIO DE ESCOBAR*, Typis mandari. & in Lucem edi sumptibus Hæredum Petri Prost, Philippi Borde, & Laurentij Arnaud Bibliopolarum Lugdunensium, Ego Regis Consiliarius, & Procurator in Lugdunensi Præfectura, non impedio. Lugduni 12. Iulij 1644.

L O R I N.

---

P E R M I S S I O.

**V**is o Procuratoris Regis, Consensu, fiat vt petitur, & ne quis vltra concessam facultatem denuo excudat hunc Librũ, prohibemus. Datum Lugduni die 12. Iulij, anno 1644.

S E V E.

Viginti



Viginti quatuor Societatis I E S V  
Doctores, quibus libri Theolo-  
giæ Moralis septem signa-  
cula referantur.

<i>Suarus.</i>	<i>Reginaldus.</i>
<i>Vasquez.</i>	<i>Lessius.</i>
<i>Molina.</i>	<i>Castro.</i>
<i>Toletus.</i>	<i>Saa.</i>
<i>Valentia.</i>	<i>Petrus Hurtado,</i>
<i>Sanchez.</i>	<i>Gaspar Hurtado.</i>
<i>Azorius.</i>	<i>Fagundez.</i>
<i>Salas.</i>	<i>Gordonus.</i>
<i>Layman.</i>	<i>Granados.</i>
<i>Lugo uterque.</i>	<i>Turrianus.</i>
<i>Koninch.</i>	<i>Baldellus.</i>
<i>Rebellus.</i>	<i>Fillintius.</i>

ARGV



## ARGVMENTVM.

**I** O A N N E S videns Apocalypseoſ  
cap. 5. methodum meo operi indulget,  
v<sup>t</sup> Theologiæ Moraliſ tractatio Poſitiuæ ſa-  
piat interpretem. Agnus I E S V S Theologiæ  
Moralis librum obſignatum oſtentat. Se-  
ptem ſigillis Leges, Peccata, Iuſtitia, Cen-  
ſuræ, Virtutes, Status ac Sacramenta occlu-  
duntur; quæ quatuor Animantibus Boui  
fortiſſimo agri verſatori Suario, volanti  
Aquilæ Vaſquez, prudenti iuris Homini  
Moliniæ, ac Leoni aduerſus hæreſes rugien-  
ti Valentiaſ reſeravit. Conſident lectores vi-  
ginti quatuor Ieſuitæ ſeniores quidem non  
ætate ſolùm, ſed ſcientia, videlicet *Sanctius,*  
*Azorius, Toletus, Henriquez, Leſius, Rebel-*  
*lus, Corinch, Auila, Reginaldus, Fillintius,*  
*Salas, Hurtado de Mendoza, Gaſpar Hurtado*  
*Laymanus, vterque Lugo, Franciſcus, & Ioan-*  
*nes,* ſanguine ac ſapientia germani, Hunc  
virtutes & ſapientia ad Sacræ Romanæ Ec-  
cleſiæ Principatum euexerunt, *Becan, Fagund.*  
*Granados, Caſtro Palaus, Gordonus, Baldel-*  
*lus, Saa, ac Meratius.* Legunt & *Præpoſitus,*  
*Grethſerus,*

## ARGVMENTVM.

*Grethserus, Turrianus, Polancus, Busaeus Fernan-  
andez de Cordona; & alij, si Alcafare autho-  
re, numerus ille vigintiquatuor seniorum  
officij est. Hi planè scriptores libri sibi à IESV  
obiecti mysteria doctissimis Voluminibus  
exararunt, à me quidem vnum redactis in li-  
bellum; vt absque hyemalis molestia cultu-  
ræ, Autumni gloria potiare.*



OPERIS



OPERIS SYLLABVS.  
LIBRI THEOLOGIE  
MORALIS  
PROOEMIUM  
GENERALIA PRINCIPIA.

---

EXAMEN PRIMVM,

De Fine ultimo & Beatitudine.

- CAP. I. **D**E Fine hominis ultimo. pag. 2  
II. De Beatitudine. 3

EXAMEN II.

De Actibus humanis.

- CAP. I. De voluntario, & libero. 4  
II. Vndenam voluntarium aut liberum tol-  
latur. ibid.  
III. De Bono & malo morali. 5  
IV. De Humanarum actionum circumstan-  
tiis. 6  
V. De coactione, metu, & ignorantia. 7  
VI. Pra  
ã 3



TRACTATVVM

VI. *Practica resolutiones circa predicta.* 9

EXAMEN III.

De Conscientia.

CAP. I. *De essentia Conscientia.* 14

II. *De Conscientia erronea.* 15

III. *De Conscientia probabili.* 16

IV. *De Conscientia dubia.* *ibid.*

V. *De Conscientia scrupulosa.* 17

VI. *Practica resolutiones circa predicta.* 18

EXAMEN IV.

De Gratia & Merito.

CAP. I. *Quid & quotuplex Gratia.* 20

II. *De Gratia necessitate.* 21

III. *De Iustificacione.* 22

IV. *De Merito.* *ibid.*

LIBRI THEOLOGICÆ

MORALIS

PRIMVS TRACTATVS.

CIRCA SIGILLVM PRIMVM.

LEGES.

EXAMEN PRIMVM,

De legibus in communi.

CAP. I. **D***E legis diuisione.* 25

II. **D***E legislatoribus.* 26

III. *De*

SYLLABVS.

III. De promulgatione, & acceptatione legis.	28
IV. De legum materia.	31
V. De subiecto legum.	ibid.
VI. De legis obseruanda obligatione.	33
VII. Regula ad cognoscendum, num obliget sub mortali.	35
VIII. De lege irritante.	36
IX. De legis obseruatione.	38
X. De legum interpretatione.	39
XI. De legis abrogatione.	40
XII. Practica resolutiones circa prefata.	42

EXAMEN II.

De legibus in particulari, de diligendo Deo.

CAP. I. De Decalogo nonnulla praeimitto.	46
II. Praeceptum de diligendo Deo.	47
III. De Adoratione.	49
IV. Practica Resolutiones circa praedicta.	50

EXAMEN III.

De Iuramento & Blasphemia.

CAP. I. Quid sit iuramentum, cuiusnam virtutis actus, & quomammodo diuidatur.	52
II. De iuramenti conditionibus:	53
III. De tribus conditionibus requisitis ad iuramentum	



## TRACTATVVM

*menti sanctitatem, & de transgressio-  
ne.*

- |      |   |    |
|------|---|----|
| I.V. | <i>De iuramenti amphibologia.</i>   | 57 |
| V.   | <i>De commutatione, dispensatione, &amp; in-<br/>terpretatione iuramenti.</i> | 58 |
| VI.  | <i>De Blasphemia, &amp; Maledictis.</i>                                       | 59 |
| VII. | <i>Practica Resolutiones circa predicta.</i>                                  | 61 |

### EXAMEN IV.

De Voto.

- |         |   |    |
|---------|---|----|
| CAP. I. | <i>De voti essentia.</i>  | 64 |
| II.     | <i>De Voti materia, &amp; diuisione materia-<br/>li.</i>        | 65 |
| III.    | <i>De obligatione voti.</i>                                     | 67 |
| IV.     | <i>Quisnam possit vouere.</i>                                   | 70 |
| V.      | <i>De delictis voto contrariis.</i>                             | 71 |
| VI.     | <i>De voti, irritatione, commutatione, dispen-<br/>satione.</i> | 72 |
| VII.    | <i>Practica Resolutiones circa praemissa.</i>                   | 75 |

### EXAMEN V.

De Festorum Obseruatione.

- |         |   |    |
|---------|---|----|
| CAP. I. | <i>De Festiuitatibus obseruandis.</i>   | 78 |
| II.     | <i>Quidnam praeceptum, ac prohibitum in<br/>Festo.</i>                                      | 80 |
| III.    | <i>De personis, quae obligantur ad festos dies<br/>custodiendos; de causis excusantibus</i> | ab |

SYLLABVS.

ab obseruatione, ac de transgressionis  
grauitate. 81

IV. *Practica Resolutiones circa predicta.* 83

EXAMEN VI.

De Parentum cultu.

CAP. I. *De mutua parentum ac filiorum obliga-  
tione.* 85

II. *De mutua obligatione coniugum.* 86

III. *De mutua Dominorum ac seruatorum obli-  
gatione.* 87

IV. *De mutua Clericorum & Pralatorum,  
&c.* 88

V. *De mutua Principis & subditi, &c.* 89

VI. *De mutua Magistri & Discipuli, &c.* 90

VII. *Practica Resolutiones circa predicta.* 91

EXAMEN VII.

De Homicidio.

CAP. I. *Quidnam in precepto quinto prohibea-  
tur.* 94

II. *De variis Homicidij speciebus.* 95

III. *Practica Resolutiones circa prefata.* 100

EXAMEN VIII.

De Luxuria.

CAP. I. *De peccatis cordis, oris, auditus, visus, &  
tactus.* 5

# TRACTATVVM

<i>tactus.</i>	105
II. <i>De septem luxuriei speciebus.</i>	108
III. <i>Practica Resolutiones circa prefata.</i>	112

## EXAMEN IX.

### De Furto.

CAP. I. <i>De graui Furti materia.</i>	117
II. <i>De Furtis minutis.</i>	119
III. <i>De filio, uxore, &amp; aliis furantibus.</i>	120
IV. <i>Practica Resolutiones circa praemissa.</i>	121

## EXAMEN X.

### De Testimonio falso.

CAP. I. <i>De iudicio temerario.</i>	123
II. <i>De Mendacio, &amp; secreti reuelatione.</i>	124
III. <i>De contumelia, detractione, susurratione, &amp; aliis peccatis oris.</i>	126
IV. <i>Practica Resolutiones circa prefata.</i>	129

## EXAMEN XI.

### De audiendo sacro.

CAP. I. <i>De Missa sacrificio.</i>	132
II. <i>De Missa celebratione.</i>	135
III. <i>De Missa audienda obligatione.</i>	138
IV. <i>Practica Resolutiones circa praedicta.</i>	139

## EXAMEN

SYLLABVS.

EXAMEN XII.

De Confessione, & Communione.

CAP. I. De Confessionis praecepto.	147
II. De Communionis praecepto.	149
III. Practica Resolutiones circa praedicta.	150

EXAMEN XIII.

De Ieiunio.

CAP. I. Quid ieiunium Ecclesiasticum.	152
II. De ieiunij obligatione.	155
III. Practica Resolutiones circa praefata.	156

EXAMEN XIV.

De Decimis.

CAP. I. De oblatione, Primitiis, Decimis.	162
II. De personis à quibus danda Decima. De quibus rebus soluenda sunt, & queisnam.	ibid.
III. Quomodo & quando soluenda sint.	164
IV. Practica Resolutiones circa praedicta.	165

EXAMEN XV.

De Priuilegiis in communi.

CAP. I. De Priuilegiorum varietate.	167
II. De accipiente priuilegium.	168
III. De Priuilegij vsu.	169
IV. De	

TRACTATVVM

IV. De Privilegij ambiguitate & explicatio-  
ne. 170

V. Quonammodo Privilegium amittatur. 171

VI. Practica Resolutiones circa prædicta. 175

EXAMEN XVI.

De Dispensatione.

CAP. I. Quisnam possit dispensare. 177

II. De dispensationis validitate, & nullita-  
te. 178

III. De dispensationis vi amissa, & de ipsius  
expensis. 183

IV. Practica Resolutiones circa præfata. 185

EXAMEN XVII.

De Bulla Cruciatæ.

CAP. I. De iis, queis frui datur Bullæ privile-  
gio. 189

II. De privilegio audiendi sacrum, & sepe-  
liendi tempore interdicti. 190

III. De edendi carnes, ac usus lacticiniorum  
privilegio. 191

IV. De indulgentiarum lucratiõne, operibusque  
per Bullam iniunctis ad eas consequen-  
das. 192

V. De eligendo Confessario. 196

VI. De peccatis, aliisque, à quibus Confessarius  
absolvere

SYLLABVS.

	<i>absoluere potest per Bullam.</i>	200
▼ II.	<i>De votorum commutatione.</i>	202
VIII.	<i>De Commissarij potestate.</i>	204
IX.	<i>Practica Resolutiones circa praedicta.</i>	205

EXAMEN XVIII.

De Bulla Compositionis.

CAP. I.	<i>Quaenam in casibus fieri valeat per Bullam Compositio.</i>	212
II.	<i>De nonnullis expositionibus, aut resolutionibus ex praefata doctrina.</i>	214

LIBRI THEOLOGIAE  
MORALIS

TRACTATVS SECVNDVS,

CIRCA SIGILLVM SECVNDVM.

PECCATA.

EXAMEN PRIMVM,

De Peccatis in genere.

CAP. I.	<b>D</b> E Originali peccato.	219
II.	<b>D</b> E peccato Actuali, & Habituali.	220
III.	<i>De requisitis ad peccatum, ubi de eius mortalitia.</i>	221
IV.	<i>De peccato Mortali, &amp; Veniali.</i>	222
	V. De	



TRACTATVVM

V. De peccatorum numero dignoscendo.	224
VI. De peccato Comissionis, & Omissionis.	225
VII. De peccato Cordis.	226
VIII. De peccatis Oris.	229
IX. De peccatis Operis.	ibid.
X. De peccati effectibus.	230
XI. De causis à peccato excusantibus.	ibid.

EXAMEN II.

De septem peccatis Capitalibus.

CAP. I. De Superbia.	232
II. De Avaritia.	236
III. De Luxuria.	237
IV. De Ira.	239
V. De Gula.	242
VI. De Inuidia.	246
VII. De Acedia.	247
VIII. Practicæ Resolutiones circa prædicta.	248

EXAMEN III.

Cunctâ peccata Mortalia, seu instructio  
ad generalem Confessionem.

CAP. I. De præoscendis ante Confessionem.	251
II. Quonammodo pœnitens proferre debeat crimina lethalia contra Decalogi, & Ecclesiæ præcepta.	254
III. Peccata Mortalia Principum.	261
IV. Peccata	

SYLLABVS.

IV. Peccata Mortalia Ecclesiasticorum.	262
V. Peccata graua Regularium.	265
VI. Peccata graua secularis Communitatis, scilicet Collegij, Vniuersitatis.	268
VII. Peccata Mortalia Regiminis Vrbiū.	269
VIII. Peccata Mortalia quorundam Ministeriorum Reipublica.	272
IX. Peccata Mortalia circa Medicinam.	274
X. Peccata Mortalia Militia.	276
XI. Peccata Mortalia Agricultura.	277
XII. Peccata Mortalia Mercatorum.	278
XIII. Peccata Mortalia Artificum.	280
XIV. Peccata Mortalia Tribunalis iudicialij.	284
XV. Peccata Mortalia Coniugum.	293

LIBRI THEOLOGIÆ  
MORALIS

TRACTATVS TERTIVS,  
CIRCA SIGILLVM TERTIVM.

IUSTITIA.

EXAMEN PRIMVM,

De dominio.

CAP. I.	De iure, iustitia, & iniuria.	296
II.	Quid sit Dominium, quotuplex,	&



# TRACTATVVM

*& in queisnam personis reperiatur.* 297

III. *De modo acquirendi dominium rerum rationabilium, & irrationabilium.* 298

IV. *De acquirendo dominio Prescriptione.* 300

V. *Practica Resolutiones circa predicta.* 302

## EXAMEN II.

### De Restitutione.

CAP. I. *De Restitutionis necessitate.* 303

II. *De persona, qua debet restituere.* 304

III. *De circumstantiis Restitutionis.* 307

IV. *Cause excusantes à Restitutione.* 309

V. *De Restitutione in particulari.* *ibid.*

VI. *Practica Resolutiones circa predicta.* 314

## EXAMEN III.

### De contractibus in communi.

CAP. I. *De contractuum essentia, & varietate, ubi de promissione.* 321

II. *Quinam possint, & non possint contrahere.* 324

III. *De contractus obligatione.* 325

IV. *De dolo in contractibus.* 327

V. *De culpa in contractu, casu fortuito, & aliis accidentibus.* 328

VI. *Practica Resolutiones circa predicta.* 330

## EXAMEN

SYLLABVS. T

EXAMEN IV.

De contractibus Gratuitis.

CAP. I. De Deposito.	332
II. De Donatione.	333
III. De Testamentis & Legatis.	336
IV. De Commodato.	337
V. De Precario.	338
VI. De Mutuo.	339
VII. Practica Resolutiones circa predicta.	340

EXAMEN V.

De Vfsura.

CAP. I. Quid, & quotuplex vfsura.	347
II. De vfsurarum restitutione.	350
III. De Montibus Pietatis.	352
IV. Practica Resolutiones circa prefata.	353

EXAMEN VI.

De contractibus onerosis, ac primo de  
emptione, & venditione.

CAP. I. Quid, & quotuplex venditio, & circa quasnam res versetur.	356
II. De naturali ac legali iusto pretio.	357
III. De venditionibus in particulari.	360
IV. De aliis ad venditionem pertinentibus.	363
V. Practica Resolutiones circa predicta.	366

TRACTATVVM

EXAMEN VII.

Secundò de Censibus.

- CAP. I. *Quid, & quotuplex census.* 371  
II. *De iustitia, ac conditionibus censuum.* 372  
III. *Practica Resolutiones circa præfata.* 375

EXAMEN VIII.

Tertiò de Cambiis.

- CAP. I. *De Cambij essentia, & speciebus.* 376  
II. *De nonnullis alijs ad Cambia pertinentibus.* 379  
III. *Practica Resolutiones circa prædicta.* 380

EXAMEN IX.

Quartò de locatione, & conductione.

- CAP. I. *Quid, quotuplex, & ad quos transeat locatio, & quibus pereat.* 382  
II. *De mutuis locatoris, & conductoris obligationibus.* 383  
III. *De Famulorum mercede.* 385  
IV. *Practica Resolutiones circa præfata.* 386

EXAMEN X.

Quintò, de Emphyteusi.

- CAP. I. *De Emphyteusis conditionibus.* 388  
II. *De*

SYLLABVS.

- II. De successonibus in Emphyteusi. 390  
 III. Practica Resolutiones circa praefata. 391

EXAMEN XI.

Sextò, de Feudo.

CAP. I. De substantia, & conditionibus Feudi.

392

II. De Domino & feudatario plura. 393

III. Quinam in Feudo succedant. 394

IV. Practica Resolutiones circa praemissa. 395

EXAMEN XII.

De Ludo.

CAP. I. Quid ludus, quonammodo licitus, & vitiosus. 397

II. De solutione eorum, qua in ludo amittuntur. 398

III. De ludo cum specialibus personis. 399

IV. Practica Resolutiones circa praefata. 402

EXAMEN XIII.

De Societatibus.

CAP. I. De Societatibus in genere. 404

II. De Societatibus in specie. 406

III. Practica Resolutiones circa praedicta. 410

TRACTATVVM

EXAMEN XIV.

De contractibus in quibus fortuna, & qui  
aliis contractibus sunt adminiculo,  
de quasi contractibus, &  
innominatis.

CAP. I. De contractibus fortuna. 413

II. De contractibus qui adminiculo aliis. 415

III. De quasi contractibus, & innominatis.  
416

---

LIBRI THEOLOGIÆ  
MORALIS

TRACTATVS QVARTVS,

CIRCA SIGILLVM SECVNDVM.

CENSVRÆ.

EXAMEN PRIMVM,

De Censuris in communi.

CAP. I. Quid, & quotuplex Censura. 422

II. De ferente Censuram. 423

III. De eo in quem Censura ferenda. 424

IV. De causa ob quam Censura fertur. 427

V. De modo, quo ferenda est. 428

VI. De causis excusantibus à Censura in-  
cursu.

## SYLLABVS.

	<i>curſu.</i>	430
	VII. <i>De Cenfura effectibus.</i>	431
	VIII. <i>De abſolutione à Cenfura.</i>	432
	IX. <i>Practica Refolutiones circa prædicta.</i>	435

## EXAMEN II.

## De Excommunicatione.

	CAP. I. <i>De eſſentia, diuifione excommunicationis maioris.</i>	437
	II. <i>De effectibus ſpiritualibus eiufdem.</i>	439
	III. <i>De temporariis emolumentis, queis priuat.</i>	441
	IV. <i>De aliis accidentalibus effectibus, de que communicatione cum excommunicato.</i>	444
	V. <i>De Abſolutione ab excommunicatione maiori.</i>	445
	VI. <i>De excommunicatione Minori.</i>	447
	VII. <i>De excommunicato vitando, ob cuius communicationem excommunicatio Minor incurritur, &amp;c.</i>	449
	VIII. <i>De excommunicationibus in particulari tam reſeruatſ, quàm non reſeruatſ.</i>	452
	IX. <i>Eas ſeligo, que communi uſui eſſe poſſunt.</i>	459
	X. <i>De excommunicatione contra Clerici percuſſorem.</i>	

# TRACTATVVM

*cussorem.*

461

XI. *Practica Resolutiones circa predicta.* 463

## EXAMEN III.

### De Suspensione.

CAP. I. *Suspensio quid, quotuplex, eius species.*

469

II. *De suspensionis causis.* 471

III. *De suspensi peccatis, & irregularitatis  
contractione.* 472

IV. *De suspensionibus in particulari.* 473

V. *Practica resolutiones circa praefata.* 476

## EXAMEN IV.

### De Interdicto.

CAP. I. *De interdicti essentia, causis, & relaxa-  
tione.* 478

II. *De interdicti effectibus.* 481

III. *De interdictis in particulari.* 483

IV. *Practica resolutiones circa predicta.* 485

## EXAMEN V.

### De cessatione à Diuinis, ac Depositione.

CAP. I. *Quidnam, & quotuplex cessatio.* 487

II. *De cessat omis effectibus.* 488

III. *De Depositione, ac Degradatione.* 489

IV. *Practica*

SYLLABVS.

IV. *Practica Resolutiones circa predicta.* 490

EXAMEN VI.

De Irregularitate.

CAP. I. *De natura, institutione & causis eius.*

491

II. *De effectibus irregularitatis, ac eius dispensatione.* 493

III. *De irregularitatibus ex defectu.* 495

IV. *De irregularitatibus ex delicto.* 500

V. *Practica resolutiones circa praefata.* 508

LIBRI THEOLOGIAE  
MORALIS

TRACTATUS QUINTVS,

CIRCA SIGILLVM QVINTVM.

VIRTUTES.

EXAMEN PRIMVM,

De Fide.

CAP. I. **D**E Fidei essentia, & materia.  
518

II. *De eius necessitate & ratione medij, & ratione Praecepti.* 519

III. *De exteriori Fidei confessione.* 522

§ 4 IV. De



TRACTATVVM

- I V. De peccatis contra *Fidem.* 524  
 V. *Practica Resolutiones circa predicta.* 527

EXAMEN II.

De Tribunali S. Inquisitionis.

- CAP. I. De DD. Inquisitorum potestate. 530  
 II. In quos habeant iurisdictionem, & de quibus cognoscant DD. Inquisitores. 532  
 III. De modo procedendi, tortura, sententia. 534  
 IV. De bonorum confiscatione, pœnisque delictorum. 539  
 V. De Sacerdote sollicitante pœnitentem ad venerem. 545  
 VI. De denunciatione, & testificatione. 553  
 VII. *Practica Resolutiones circa prasata.* 555

EXAMEN III.

De Spe,

- CAP. I. De spei essentia, & praeceptis. 561  
 II. De peccatis aduersus spem. 562

EXAMEN IV.

De charitate ad Deum.

- CAP. I. De essentia, & praeceptis charitatis. 564  
 II. De peccatis contra illam. 565

EXAMEN

SYLLABVS.

EXAMEN V.

De charitate ad proximum.

- CAP. I. De praecepto charitatis huiusmodi. 566  
 II. De ordine seruando circa eam. 568  
 III. De effectibus externis. Ac primo de Frat-  
 terna correptione. 570  
 IV. De secundo effectū, id est, Eleemosyna. 574  
 V. De vitiis charitati huic oppositis. 578  
 VI. Praëtica Resolutiones circa praedicta. 580

EXAMEN VI.

De Religione.

- CAP. I. De essentia virtutis Religionis. 584  
 II. De Oratione in communi. 585  
 III. De Horis Canonicis. 587  
 IV. De vitiis Religioni contrariis. 596  
 V. Praëtica Resolutiones circa praedicta. 601

LIBRI THEOLOGIAE  
 MORALIS

TRACTATVS SEXTVS.

CIRCA SIGILLVM SEXTVM.

STATVS.

EXAMEN PRIMVM,

De statu Clericali.

- CAP. I. De Ecclesiastico Beneficio. 608

è 5 11, De

## TRACTATVVM

- |  |     |
|--|-----|
| II. <i>De Pensionibus Ecclesiasticis.</i>          | 616 |
| III. <i>De rerum Ecclesiasticarum alienatione.</i> |     |
| 619  |     |
| IV. <i>De Ecclesiasticis spoliis.</i>              | 621 |
| V. <i>Practica Resolutiones circa praefata.</i>    | 622 |

### EXAMEN II.

#### De Simonia.

- |   |     |
|---|-----|
| CAP. I. <i>Quidnam illa, &amp; in quasnam personas cadat.</i>                               | 628 |
| II. <i>Quotuplex, &amp; quanam eius materia.</i>  |     |
| 630   |     |
| III. <i>Quandonam id, quod datur pro re spirituali, existimetur habere pretij rationem.</i> | 635 |
| IV. <i>De aliis causis à Simonia excusantibus.</i>  |     |
| 637   |     |
| V. <i>De pœnis Simoniaci.</i>   | 638 |
| VI. <i>Practica Resolutiones circa praemissa.</i>   | 640 |

### EXAMEN III.

#### De Ecclesiastica libertate.

- |  |     |
|--|-----|
| CAP. I. <i>De immunitate ab oneribus.</i>  | 641 |
| II. <i>De immunitate à Foro.</i>   | 645 |
| III. <i>Quinam sit reputandus Clericus ad Ecclesiastica immunitate fruendum.</i> | 647 |
| IV. <i>Practica Resolutiones circa praedicta.</i>                                | 648 |

### EXAMEN

## SYLLABVS.

## EXAMEN IV.

## De immunitate Templorum.

- CAP. I. De libertate Templi. 656  
 II. Quinam locus habendus sacer. 658  
 III. Quinam sunt Templi immunitate priuati.  
 659  
 IV. De Templorum violatione. 661  
 V. Practica Resolutiones circa prefata. 664

## EXAMEN V.

De statu seculari, ac primo de  
Tributis,

- CAP. I. Quinam possit Tributum imponere.  
 666  
 II. De obligatione subditorum circa Tribu-  
 tum. 667  
 III. Practica Resolutiones circa prefata. 668

## EXAMEN VI.

## De iudice, Teste, &amp; Reo.

- CAP. I. De Iudice. 670  
 II. De Accusatore. 672  
 III. De Teste. 674  
 IV. De Reo. 675  
 V. De Aduocato, Procuratore, & Notario. 676  
 VI. Practica Resolutiones circa prefata. 677

## EXAMEN

TRACTATVVM

EXAMEN VII.

De statu Regulari,

- CAP. I. De essentia status Religiosi. 683  
II. De Religionis ingressione, & abscissione.  
686  
III. De professione, & votis. 690  
IV. De Religiosi status prerogatiuis, &c. 696  
V. De Monialium, virorumque Religiosorum  
clausura. 700  
VI. De Regularium Pralatis. 701  
VII. Practicæ Resolutiones circa prædicta. 703
- 

LIBRI THEOLOGICÆ  
MORALIS

TRACTATVS SEPTIMVS.

CIRCA SIGILLVM SEPTIMVM.

SACRAMENTA.

EXAMEN PRIMVM,

De Sacramentis in genere.

- CAP. I. **D**E definitione Sacramenti, nume-  
ro, ac necessitate Sacramento-  
rum. 711  
II. De causa efficiente, finali, materia, ac forma  
Sacra

## SYLLABVS.

<i>Sacramentorum.</i>	712
III. De Ministro, & suscipiente.	713
IV. De Sacramentorum effectibus.	715
V. Practicæ Resolutiones circa prædicta.	716

### EXAMEN II.

#### De Baptismo.

CAP. I. De Baptismi definitione, institutione, proprietatibus, ac ritu.	718
II. De materia & forma Baptismi.	720
III. De Ministro, suscipiente, & effectibus.	721
IV. Practicæ Resolutiones circa præmissa.	723

### EXAMEN III.

#### De Confirmatione.

CAP. I. De Confirmationis essentia.	727
II. De dispositione ad eam recipiendam, & ritu conferendi.	728
III. De Ministro, suscipiente, deque effectibus Confirmationis.	729
IV. Practicæ Resolutiones circa prædicta.	730

### EXAMEN IV.

#### De Pœnitentia.

CAP. I. De Pœnitentia virtute.	732
II. De Sacramenti Pœnitentia institutione, necessitate, præcepto, materia, & forma.	733
III. De	III. De

## TRACTATVVM

- |   |     |
|---|-----|
| III. De De Pœnitentiæ effectibus.   | 735 |
| IV. De Contritione prima parte Pœnitentiæ.  |     |
| 737   |     |
| V. De Confessione secunda parte.  | 739 |
| VI. De satisfactione tertia parte Pœnitentiæ.   |     |
| 748   |     |
| VII. Præctica Resolutiones circa prædicta.  | 750 |
| VIII. Præctica adhuc speciales Resolutiones<br>Confessarium aâ munus rectè obeun-<br>dum instructentes. | 765 |

### EXAMEN V.

#### De Indulgentiis.

- |  |     |
|--|-----|
| CAP. I. De Ecclesiæ Thesauro.                    | 775 |
| II. Quid, & quotuplex Indulgentia.               | 776 |
| III. De iis, qui possunt Indulgentias concedere. |     |
| 777  |     |
| IV. De causa eas concedendi.                     | 779 |
| V. De suscipiente Indulgentias.                  | 780 |
| VI. De earum valore.                             | 782 |
| VII. De Indulgentia pro defunctis.               | 783 |
| VIII. Præctica Resolutiones circa prædicta.      | 786 |

### EXAMEN VI.

#### De Eucharistia.

- |  |     |
|--|-----|
| CAP. I. Definitio, institutio, necessitas. | 793 |
| II. De materia & forma Eucharistia.        | 794 |
| III. De                                    |     |

SYLLABVS.

- III. De effectibus Eucharistia. 795  
 IV. De Ministro, & suscipiente. 797  
 V. Practica Resolutiones circa predicta. 800

EXAMEN VII.

De Extrema Vnctione.

- CAP. I. De Extrema Vnctionis materia & forma. 805  
 II. De Ministro, & suscipiente. 806  
 III. De effectibus, ac conferendi ritu. 807  
 IV. Practica Resolutiones circa dicta. 808

EXAMEN VIII.

De Ordine.

- CAP. I. Essentia, institutio, numerus, materia & forma huius Sacramenti. 810  
 II. De effectibus Ordinis. 812  
 III. De Ministro, ritu, & suscipiente. 813  
 IV. Practica Resolutiones circa presata. 816

EXAMEN IX.

De Matrimonio.

- CAP. I. De Matrimonij essentia, indissolubilitate, Ministro, solemnitate, diuortio. 818  
 II. De causa efficiente, id est consensu. 821  
 III. De Matrimonio Clandestino, ubi de denuncia



TRACT. SYLLABVS.

	<i>denunciationibus.</i>	823
IV.	<i>De Sponsalibus.</i>	824
V.	<i>De debito.</i>	826
VI.	<i>De impedimentis dirimentibus.</i>	828
VII.	<i>De impedimentis Matrimonium impedi-</i> <i>entibus.</i>	836
VIII.	<i>De dispensationibus Matrimonialibus.</i>	838
IX.	<i>Practica Resolutiones circa predicta.</i>	841

PROOE



PROE M I V M  
LIBRI THEOLOGICÆ  
M O R A L I S.

GENERALIA PRINCIPIA,

Vbi Materiæ de ultimo Fine, de Actibus  
humanis, de Conscientia, de Gratia,  
& Merito expenduntur.

P R O L V S I O.

**R** Eseraturus septem sigillorum  
Voluminis huiusce mysteria  
moralis Theologia principiorum,  
nonnulla prælibo, videlicet de  
Fine hominis ultimo, de Actibus  
humanis, de Conscientia, de Gra-  
tia. In quorum expositionem sequor  
præcipuè doctrinam Suarij, Filliu-

A

tij,

2 *Moralis Theologia Principia,*  
tij, Azorij, Reginaldi, Laymani,  
Castro-Pallao, Toleti, Baldelli,  
Meratij, Henriquez, Valentiaë,  
Rainaudi, & Præpositi.



EXAMEN PRIMVM

Circa materiam de Fine vltimo, &  
Beatitudine.

CAPVT PRIMVM.

*De Fine hominis vltimo.*

I.  
*Finis vltimus  
hominis.*



*Vandam actiones humane dicuntur esse propter finem? Quando humano modo operatur. Nil autem aliud est, actionem aliquam esse propter finem, quam eam effici ex bonitatis ipsius cognitione, vel finis allicientis voluntatem ad operandum: vnde tam intentio finis, quam electio mediij dicitur esse propter finem.*

*Est ne proprium hominis agere propter finem, ita vt ad finem ipse se se excitet, ac impellat? Ita planè; bruta enim etsi finem agnoscant quodammodo materialiter, non tamen formaliter agnoscendo rationem finis, & boni, quæ convenientiam quandam importat. Hinc humana actio suam speciem desumit à fine.*

*Datur ne singularum actionum vltimus finis? Datur quidem secundum quid, vltra quem alius absolute & simpliciter vltimus datur, isque tantum vnus est, ob quem alia omnia ab homine appetuntur.*

*Est ne hic idem cum vltimo fine creaturarum? Maxime, si de*

de re, quæ finis est, sermonem habeamus; si autem de consecutione eius, idem non est; cum homines cognoscendo, amandoque Deum finem consequantur, aliæ verò creaturæ variis modis iuxta variam eius participationem Deum manifestando: unde absolutè loquendo eundem non esse dicendum finem affirmo.

C A P V T II.

De Beatitudine.

**V**Binam posita est beatitudo formalis, & obiectiva? Hæc quidem in solo Deo, illa in hominis actione consistit, eaque intellectiux partis vtriusque iuxta probabilem sententiam: at secundùm probabiliorem solius intellectus.

2.  
Beati-  
do.


Quenam ex beatitudine proprietates consequuntur? Plures equidem, ex quibus tres dicuntur animæ dotes, visio, comprehensio, & delectatio; nam rectitudo voluntatis effectus tantùm est necessarius beatitudinis.

Requiriturne ad essentialem animæ beatitudinem coniunctio cum corpore? Minimè, nec eius societate minuitur, aut augetur nisi accidentariè, ad illam etiam aliqua ratione deriuata.

Quotnam corpori dotes concedentur? Quatuor, impassibilitas, claritas, subtilitas, agilitas.

An amicorum consortium, aut externorum copia bonorum aliquid ad eius perfectionem beatitudinis conferent? Nihil; Deus enim omnia beato.

Est ne ad hanc beatitudinem in homine capacitas? Ita planè. Et neque viribus naturæ expleri, nec homini debita, aut proportionata est, cum naturalem omnem excedat perfectionem, ideo congruentius affirmo haud esse naturalem ad eam in homine appetitum: ideoque sine gratiæ auxilio ad eam non potest perueniri.



## EXAMEN II.

Circa materiam de Actibus humanis,

## CAPVT PRIMVM.

De Voluntario, &amp; Libero.

3.  
Voluntarium.

*Quid est humana actio?* Propriè loquendo, est hominis operatio voluntaria ac libera, aut eius omisio.

*Quidnam voluntarium?* Id quod à principio intrinseco fit cum cognitione particularium, in quibus actio consistit. *Reperitur in brutis?* Ita planè, sed imperfectum. Ad perfectum enim voluntarium etiam rationis vsus, & libertas requiritur?

*Quotuplex voluntarium?* Duplex. Directum, quod à voluntate tanquam à causa fit operante. Indirectum, quod ab eadem tanquam à causa non operante fit. Item voluntarium expressum, quod signis aut verbis significatur; & tacitum quod sine verbis aut signis, ex circumstantiis colligendum.

4.  
Liberum.

*Quid liberum?* Quod positis omnibus requisitis ad agendum, absque eo quod vlla fiat in se mutatio, potest agere, vel non. Hinc libertas in voluntate formaliter sita est, in intellectu verò radicaliter.

*Num actiones vsus rationis praeuenientes liberae sunt?* Non, quia ad has rationis aduertentia requiritur.

5.

*An vis, ignorantia, metus, & concupiscentia tollant voluntarium.*

## CAPVT II.

Undenam voluntarium aut liberum tollatur?

*Quidnam ergo voluntarium seu liberum tollit?* Num vis? Tollit quidem vis absoluta, nec imputatur ad culpam

*Examen II. De Actibus humanis.* §

culpam, quod ex illa committitur, uti in virgine stuprum, idoli adoratio, contractus cum vi initus.

*Num ignorantia?* Si sit antecedens, voluntarium tollit, non consequens. Comitans autem aufert tantum negativè; quia tollit necessariam negationem, non autem efficit inuoluntarium.

*Num metus?* Est quidem metus grauis, qui in virum constantem cadit, nec à constantia valet repelli; & leuis, qui cadit in meticulosum. Neuter irritat contractus iuræ naturæ; at grauis positiuo iure nullos reddit. Metus igitur tollit secundum quid voluntarium, absolutè verò voluntarium facit pro loco, & tempore.

*Num concupiscentia?* Hæc quidem voluntarium auget in actu, quatenus delectabilis est. At minuit in eo quod efficit, ut inhonesti ratio minùs consideretur; quæ vera sunt de concupiscentia consequenti ex vehementi voluntatis appetitu, & consideratione intellectus: non autem de antecedenti consensum voluntatis, & aduententiam intellectus.

---

C A P V T III.

*De Bono, & malo morali.*

**C**um morale per se primò conueniat actibus humanis ex deliberatione rationis procedentibus: quidam est morale 6.  
le? Quod pertinet ad mores. Diuiditur autem in bonum morale, seu honestum: & malum morale, seu inhonestum. Bonum honestum dicitur quod substantiæ rationali liberæ per se decens est. Inhonestum verò quod dedecet eandem. Bonum & Malum morale.

*Vndenam actus morales bonitatis vel malitiae speciem accipiunt?* A reali obiecto suo. Consequenter bonitas vel malitia in obiecto fundamentaliter reperitur, formaliter autem in actione. Profectò actus alij per se & præ-

6 *Moralis Theologiae Principia,*

cisè ex obiecto mali sunt, alij verò propter legis positivæ prohibitionem. Actus morales alij internè consummantur, alij verò in externam transeunt operationem. Externa moralis operatio obiectivè quidem prior est actu interno, sed ut exercita ab actu interno posterior tanquam participans bonitatem & malitiam ab interno actu. *Actus internus & externus in genere moris faciuntne numerum?* Minimè; verùm actus internus voluntatis efficax si opere non completur, quia deest operandi facultas, habet quidem omnem substantialem bonitatem, vel malitiam, sed non accidentalem, quandoquidem externa executione materialiter perficitur.

C A P U T I V.

*De humanarum actionum circumstantiis.*

7.  
*Circumstantia.*

**P**ertinentne circumstantiæ ad humanarum actionum bonitatem, vel malitiam? Pertinent quidem tanquam quædam ipsius humanæ actionis accidentia. Septem adnumerantur:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Præcipuæ ergo circumstantiæ sunt finis propter quem peccatur, tempus, locus, in quibus peccatur, & persona peccans, & cum qua peccatur.

*Necessumne semper has circumstantias confiteri?* Minimè, sed in casibus sequentibus. 1. Quando circumstantia facit mortale peccatum, quod aliàs erat veniale. v.g. qui dicit mendacium iocosum ut alter occidatur, seu ob fornicationem. 2. Cum circumstantia mutat speciem peccati, ita ut ex vnius speciei mortali mortale alterius speciei efficiat. v.g. qui furatur in Ecclesia. 3. Cùm ex circumstantia multiplicatur peccatum, quia etiam circumstantia est contra præceptum aliquod. v.g. qui furatur, ut adulteretur, duo sunt peccata, furtum, & adulterium. 4. Circumstantia, quæ secum fert excommunicationem.

tionem. v. g. qui percussit clericum debet personam manifestare. 5. Cum circumstantia est necessariò cognoscenda ad satisfactionem. v. g. qui furatus est centum aut mille, tenetur exprimere, vt confessarius de restitutionis modo prouideat.

CAPVT V.

De coactione, metu, ignorantia.

**O**peræpretium planè, de tribus hisce generalibus principiis accuratiùs periculum facere. *Quidnam vis seu coactio?* Cùm membra ab extrinseco mouentur contra voluntatis inclinationem, tunc homo violentiam patitur. v. g. in stupro violenter illato puellæ. Est quidem vis seu coactio propriè dicta, quæ membris exterioribus infertur, quam asserui voluntarium tollere; quia quod fit voluntate repugnante, in id voluntas non consentit. Vis autem seu coactio impropriè dicta, & secundùm quid est, quæ infert metum alicuius mali, ob quem actio fit, quæ alioquin non fieret: hæc non tollit voluntarium simpliciter; sed secundùm quid facit inuoluntarium, adeoque efficit, vt actio sit mixta ex voluntario, & inuoluntario. v. g. latroni pecunias das, ne nex inferatur: consideratis circumstantiis consultò eligis tanquam hic & nunc bonum pecunias dare: datio ergo est simpliciter loquendo voluntaria. Attamen inuoluntarium admiscetur; quia quod fit cum auersione voluntatis inuoluntarium est; ab eo autem, quod metu generat, alioquin non acturus voluntas abhorret.

*Quidnam metus?* Est iuxta Vlpia. mentis trepidatio instantis vel futuri periculi causa. At metu fieri id dicitur, quod quis mali declinandi causa facit, alioquin non acturus. Metus quidem alius ab intrinseco proficiscitur. v. g. si nauta pecunias metu naufragij vltro abiiciat. Alius ab extrinseca persona directè incutitur

8.  
Coactio  
& metus.

9.  
Metus.



vel iustè: v. g. si magistratus te sub pœna excommunicationis cogat ad matrimonium: vel iniustè: v. g. si quis alicui mortem minitetur, nisi filiam ducat, quod quidem nullum matrimonium. Porrò metus hic ab extrinseco alius est (vt diximus) cadens in constantem virum, quæ etiam grauis, iustus, probabilis dici solet: alius cadens in inconstantem virum, qui & leuis, vanus, & iniustus vocatur. Igitur vt metus factum alioquin illicitum excuset, necesse est, vt sit maioris mali, quàm sit illud, quod metus causa suscipitur. Vnde metus mortis non censetur iustus, si ob eam etiam in minimum peccatum consentiam; quia grauius malum quàm mors minimum crimen malum intrinsecè.

IO. *Ignorantia.* *Quotuplex ignorantia? Quadruplex.* Primò est ignorantia priuationis, seu carentia scientiæ in subiecto apto: & ignorantia prauæ dispositionis, quæ est positua deceptio, & contrarius error veritati existens: v. g. in Iudæis, hæreticis, aliisque errantibus. Secundò est ignorantia iuris, vt si quis ignoret, quod lege vel consuetudine constitutum est, v. g. carnes die Veneris esse prohibitas: & ignorantia facti, vt si quis ignoret rem particularem, ex qua actio moralis veluti obiecto dependet, vt si quis nesciat carnem esse, quam comedit, vel non existimet diem Veneris adesse. Tertiò est ignorantia, quæ causa operis existit: v. g. amicum ex ignorantia occidi, putans esse feram: & ignorantia, quæ non est causa operis, sed concomitans illud, v. g. si inimicum, quem maxime à te occisum cupiebas, pro fera occidisti. Quartò est ignorantia antecedens, quia omnem voluntatis actum antecedit, ideòque prorsus inculpata, inuincibilis dicta, quia adhibita diligenti inquisitione veritatis cognitio acquiri non potuit: & ignorantia consequens, quæ aliquo modo voluntaria est, ideòque culpabilis, & vincibilis, quia superari ac tolli, & opposita scientia acquiri potuisset, ac debuisset. Certè vincibilis ignorantia subdiuiditur in affectatam, cum quis data opera vult ignorare: & non affectatam, quæ vel crassa aut supina,

*Examen II. De Actibus humanis. 9*

ut si ad eam tollendam nullam curam adhibeas: vel non crassa, quæ non tam facile superari potuit, seu ad quam vincendam diligentia adhibita est, sed non sufficiens.

*Quandònam igitur ignorantia excusat à culpa, & quando non excusat? Inuincibilis tam iuris, quàm facti excusat omnino, quia ubi non est voluntarium nulla adest culpa. Concomitans inuincibilis excusat; qui enim inuincibiliter ignorat hominem inimicum esse, quem occidit, non vult ea actione committere homicidium. Homo ita affectus est, ut si aduerteret animo, homicidium faceret. Non obstat; quia Deus non imputat homini peccata quæ gereret, si hoc vel illud in mentem veniret. Ignorantia vincibilis non excusat, facit tamen culpam leuiorem, si affectata non sit; quia minuit voluntarium. Ignorantia vincibilis affectata seu crassa in re magni momenti mortalis est.*

---

C A P V T VI.

*Praxis circa prædicta ex Societatis IESU schola.*

**C**irca voluntarium tacitum requiro, quoniam modo regula II.  
Cilla 43. in 6. intelligenda: *Qui tacet consentire videtur? De vo-*  
Consentire tacens videor, si agatur de meo favore, & *luntario.*  
commodo, non item si de incommodo. v. g. si aliquis  
mihi promittat, aut donat, taceo, nec contradico, acce-  
ptare censeor: at si quis à me sibi rem donari postulet,  
tacens non ideo censeor assensum præbere. Item tacens  
videtur consentire, si consentire nolens negare, vel con-  
tradicare deberet: non autem si contradicere, aut re-  
spondere non tenetur. *Laymanus, & alij. Si reus à iudice*  
*legitimè interrogatus respondere ad obiecta taceat? Fateri præ-*  
*fumitur. Qui sedens in capitulo iniquæ constitutionis non re-*  
*clamat, consentire ne videtur? Ita planè, si utiliter reclama-*  
*re possit. Quod verum existimo in ordine ad incurren-*  
*dum peccatum, & pœnam, non item ad valorem ele-*

ctionis; quia in re graui, & communitati præiudicante, taciturnitas non debet haberi pro consensu. *An scientia & patientia Prælati consensus æstimetur?* Ita quidem, si contradicendo absque scandalo alteriùsve mali periculo impediri possit: non autem, si facile non possit impediri. v.g. Prælatus habens potestatem dispensandi, sciat subditum suspensum, vel irregularem (præsumentem ex iusta causa Prælatum scire, & contentum esse) confessiones audire, non prohibet: censetur hoc ipso velle dispensare. *Laym. & alij.*

12.  
De me-  
tu.

*Circa metum autem; censeturne contractus validus, cum sit ob metum ab extrinseco iniuste illatum?* Ordinariè validi sunt, licet rescindi debeant. Aliqui tamen sunt contractus, vt Matrimonium, & sponsalia, qui ob grauem, & iniustum metum ipso iure Ecclesiastico irriti sunt. *Metus naufragij, me in voti emissionem traxit: num validum?* Maxime; quia id emissum fuit causa metus ab intrinseco, & sine iniuria. *Laym. contractus ne ex metu leui factus valet in conscientia?* Negat Sanchez. cum aliis affirmo. *Num solus metus reuerentialis, etiam sine minis, & verberibus, cadit in constantem virum?* Cadit valè que ad rescindendos contractus, qui vt plurimum fiunt ab vxoribus, & filiis familias ex metu reuerentiali. *An eandem vim exerant preces importuna seorsim considerata, & sine reuerentiali metu?* Efficiunt quidem metum iustum, qui cadit etiam in constantem virum, atque adeò sufficiunt ad contractus irrationem. *Licet ne celebrare Missam sine altari, calice consecrato, aut sacris vestibus metu mortis?* Licet, modo id non fiat in contemptum, vel odium religionis. *Vasquez & alij.* *Licet ne eodem metu matrimonium contrahere cum impedimento dirimenti?* Licet, si fiat sine intentione consummandi; siue qua reliqua intrinsecè mala non sunt. *Suarez & alij.* *Licet ne sacerdoti porrigere Eucharistiam peccatori occulto, aut consicere Sacramenta in materia dubia ex metu mortis?* Respondeo affirmatiuè; quia cum hæc non sint intrinsecè mala, ob grauem metum à peccato excusantur. *Henriquez & alij.*

*Circa*

*Examen II. De Actibus humanis.* 11

*Circa ignorantiam inquiram, num vincibilis, quæ in aliis materiis esset mortaliter culpabilis excuset in præceptorum humanorum transgressione? Excusat, dummodo non sit crassa, vel affectata; quia illa non obligant cum tanto rigore; ut Sanchez ait, saltem, ut addit Lessius, quando quis putat esse causam excusantem, quæ non est. Operatur quis cum conscientia dictante solum in genere aliquid esse illicitum non determinando, an mortaliter, an venialiter: peccat ne hic mortaliter? Solummodo venialiter peccare cum Valentia & aliis affirmo; quia voluntas adhuc hæret intra terminos mali communis, & propterea est imperfecta in genere mali.*

13.  
De ignorantia.

*Iam verò circa circumstantiarum doctrinam quænam in particulari necessariò sunt aperiende in confessione? Peccata ne externa in loco sacro commissà? Continent peccatum irreligiositatis plerumque veniale: tunc autem mortale, si actus valde turpis sit, vel ab Ecclesia specialiter prohibitus ob loci sacri reuerentiam, ut fornicatio, furtum. Si ergo huiuscemodi graue sit delictum, aperiendum est. Sic Laymanus & alij. Explicari ne debent circumstantiæ minuentes peccatum? Ex tantum quæ peccati malitiam vel omnino tollunt, vel ex mortali veniale efficiunt. Scandalum actuum quando non est speciale peccatum, exponendum ne est? Affirmat Coninch; nam qui inducit foeminam ad peccandum, non satisfacit integritati confessionis, si dicat: Peccaui cum foemina, nisi addat: Et illam ad peccandum induxi. Explicandus ne numerus personarum, quibus unico peccato scandalum datum est? Ita planè ex eodem. Concubitus viri Christiani cum femina infideli est circumstantia aperienda? Cum Sanchez affirmo; quia mutat speciem; non tamen Filliutij ideo damno sententiam asserentis non esse peccatum à simplici fornicatione distinctum. Tenetur ne circumstantiam exponere, qui se polluit permissi religiosi, aut clerici tactibus? Tenetur planè Sanchez.*

14.  
De circumstantiis.


*Quænam verò circumstantiæ necessariò aperiende non sunt, Et ne, quæ intra eandem speciem peccati grauitatem notabiliter augent?*

augent? Ex communiore sententia explicandæ necessa-  
riò non sunt. Excipio tamen hinc circumstantiam  
*Quid*, seu circa *Quid*, si attingat quantitatem, ac veluti  
integritatem obiecti substantialis: v.g. quod decem mil-  
lia furatus sis: quod incestum in primo consanguinita-  
tis gradu commiseris: quod totam domus familiam  
tanto numero hominum constantem occidere propo-  
sueris: quod per integri diei spatium sine interrup-  
tione delictum committere meditatus fueris. *Layman*, &  
alij. *Exponi debent peccata commissa in die festo, imò feria  
sexta in Parasceue?* Non continent (vti didici ex *Vasquez*)  
peculiarem speciem irreligiositatis nisi fiant ex inten-  
tione directa inhonorandi sacrum tempus, & ideo ape-  
rienda non sunt. *Quid de actibus impudicis, qui per se ad  
fornicationem referuntur, tanquam inchoationes?* Ex communi  
respondeo non aperiendos sigillatim, actu iam fornicationis  
principali explicato. Id quod probabiliter de acti-  
bus impudicis, qui immediatè sequuntur, nec ad alium  
distinctum actum ordinantur cum *Henriquez* affirmo;  
quia principali fornicationis proximè elapso quasi præ-  
sentantur. *Aperienda ne relapsus circumstantia? aut duplicis  
præcepti violati? aut duplicis voti castitatis?* Non sunt (ait  
*Vasquez*) necessariò aperiendæ. *Circumstantia inductionis  
ad peccatum, quando scævina parata erat ad delinquendum, ex-  
ponenda est?* Non; quia vti ait *Fagundez* non est moralis  
inductio meretricis (ex.g.) si de se effet disposita. Idem  
dicendum, si quis utitur aliqua persona parata, vt male-  
ficium maleficio soluat cum pacto dæmonis. Tenetur  
tamen ex *Fagundez* sententia talis peccatum additionis  
sagæ confiteri. *Furatus quis ingentem pecuniarum summam,  
sagæ prædictam quantitatem æquat: tenetur ne distinctè expo-  
nere?* Respondeo cum *Vasquez* satisfacere, in confessione  
si dicat, se furtum in re notabili commississe. *Furatur in-  
dex rem alienam, quam tenetur ex officio custodire: muneris ne  
circumstantiam necessariò aperiet?* Minimè; (*Henriquez* ait)  
quia nimirum non aggravat peccatum circumstantia of-  
ficij. *Consuetudo peccandi est ne aperienda?* Non, nisi orta  
sit

fit. ex occasione proxima, quam poenitens rescindere tenetur. Sic Vasquez. *Graviter deliqui die, quo Eucharistiam suscepi: est ne circumstantia necessario manifestanda?* Minimè; nec enim (vti Vasquez adnotat) crimen in Eucharistia contemptum perpetravi. *Quid de apostasia circumstantia?* Sanchez docet non esse aperiendam tanquam ab hæresi distinctam; quia ab illa non differt specie. *Qui sine intentione fornicandi adiuit meretricem, vt eius tactibus fruere- tur, si post prædictos tactus addat & fornicationem, præter hanc debet ne consistere illos tactus tanquam peccatum distin- ctum?* Debet, (cum Sanchez loquor) quia cum non ordinentur ad copulam, nec sint inchoatio eius, cum hac vnum peccatum non constituunt. *Explicanda ne copula uxoricidæ, vel adulteri cum promissione matrimonij?* Non; quia quando impedimentum matrimonij imponitur in pœ- nam delicti, & ad præcauendum damnum, tunc copu- la cum habente tale impedimentum, tantum est sim- plex fornicatio. Sanchez & alij. *Quid si vir cum alijs sponsa de futuro commisceatur?* Haud tenetur sponsalium circumstantiam aperire; quia cum adulterium non fit, nec mutat speciem. Ex eodem Sanchez. *Qui peccauit contra naturam cum mare vel foemina vel bestia huius, aut illius speciei, tenetur ne has circumstantias explica- re?* Sufficit (ait Tannerus) si dicat: *Peccavi in sodomia, vel bestialitate.* *Deliquit mulier cum sacerdote religioso: necessum ne exponere illum religiosum sacerdotem esse?* Sufficit aperire cum sacerdote peccasse. Item sacerdos vel religiosus professus satisfacit si dicat, se vorum castitatis violasse. Saa & alij. *Sacerdos aut religiosus professus peculiare votum emisit de mollitie (ex.g.) non committenda; tenetur id exponere?* Non; quia multiplicatio votorum circa eandem rem non aggrauantem quidem circumstantiam addit, vt Fagundez affirmat. *Commisit quis incestum cum matre, filia, sorore: te- netur ne explicare persone circumstantiam?* Non tenetur; quamuis enim grauior sit incestus cum matre, aut filia, aut sorore, quam cum nepte: tamen ista grauitas intra eandem speciem malitiam adauget. *Fornicator Episcopus,*

aut

14 *Moralis Theologiae Principia,*  
aut gravissimus quisque Praesul tenetur dignitatis explicare  
circumstantiam? Non, nisi fornicatio illa ita esset publica,  
vt scandalum pareret. *Hurtado de Mendo.* Debet confessari-  
us, qui cum filia confessionis deliquit, hanc aperire circumstan-  
tiam? Non: quia licet grauet notabiliter, non mutat  
speciem: nec enim Poenitentiae Sacramentum proprie  
cognitionem spiritualement inducit. At si peccauit (addit  
*Hurtado*) cum poenitente vel in ipsa confessione, vel pro-  
ximè ad illam, ob Sacramenti iniuriam circumstantia  
aperienda. Qui iuratur ob fornicationem, tenetur ne dicere,  
se, vt fornicaretur, furtum commisisse? Sufficit si dicat: Fu-  
ratus sum, & postea subiungat: Habui moechandi in-  
tentionem; quia malitia illius finis, non est diuersa ab  
ea, quæ in intentione moechandi reperitur. Porro finis  
circumstantia (addo ex *Coninck*) non est necessariò ape-  
rienda nisi malitiam mortalem contineat. *Confessus sum*  
*aliquod graue peccatum, circumstantiæ necessariò aperiendæ obli-*  
*tus, teneor ne rursus & peccatum, & circumstantiam aperire?*  
Non teneor, sed sufficit proxima in confessione solam  
circumstantiam exprimere, si commodè possit separatim  
exponi. v.g. qui furatus est calicem Ecclesiæ, & ex obli-  
uione solum dixit: Furtum graue commisi: in proxima  
confessione satisfaciet, si solummodo accuset sacrile-  
gium. Ita *Suarez*, & alij.



### EXAMEN III.

Circa materiam de conscientia.

#### CAPVT PRIMVM.

*De essentia conscientia.*

15.  
Consci-  
entia essen-  
tia.

**Q**uid est conscientia? Actus intellectus practici iudi-  
cantis aliquid hinc & nunc agendum esse, vel fuisse  
tanquam bonum honestum: vel fugiendum esse, aut  
fuisse

fuisse tanquam inhonestum. Vnde conscientia partim se extendit ad opera nostra præterita ea accusando tanquam male facta, aut tanquam rectè gesta commendando: partim verò ad opera futura, dictando, vtrum agenda vel omittenda sint. Verum conscientia de agendis seu omittendis actus est à Prudentiæ virtute elicitus.

*Quotuplex conscientia?* Multiplex planè. Recta, erronea, probabilis, dubia, scrupulosa.

*Num vlla questio de conscientia recta?* Nulla prorsus; siue enim præcipiat, siue prohibeat, sic obligat voluntatem, vt grauiter, aut leuiter iuxta materiam delinquat, si illam non sequatur.

## C A P V T II.

### De conscientia erronea.

**Q**uam erronea conscientia? Quæ obiectum aliter ac est, agnoscit. Conscientia autem huiusmodi assolet iam inuincibiliter, iam vincibiliter errare. 16.  
Erronea.

*Num delinquat, qui contra conscientiam errantem agit?* Delinquit planè vel lethaliter, vel venialiter qualiter ipsa conscientia dicitur: si tamen inuincibiliter erronea dicitur aliquid agendum, quod reuera fugiendum fuisset. Nam inuincibiliter errans conscientia vim habet obligandi iuxta id, quod ipsa dicitur: inuincibiliter autem ad non agendum contrarium. *Quid si tantum dicitur aliquid esse peccatum in genere?* Probabile existimo tantum esse veniale.

*Ex conscientia erronea delinquens cuiusnam speciei peccatum perpetrat?* Illius planè, quam conscientia apprehendit; quia affectus ad huiuscemodi speciei peccatum allicitur. Expuo in terram credens me delictum sacrilegij committere ob loci sacri reuerentiam, peccati sacrilegij sum reus, si re ipsa expuo priusquam me ab isto expudiam errore.

Si



*Si aliquis eò perplexitatis deueniat vt vtrumque oppositorum existimet esse peccatum, eòque errore nec per se nec per alium explicare se possit: quid nam præstabit? Eligere debet quod minus malum apparet. Quod si quod minus malum apparet secutus adhuc errem in ipsa minoris apparentis mali electione, non delinquam; quia nemo necessitate peccat.*

## CAPVT III.

*De conscientia probabili.*

17.  
*Probabilis.*

*Quenam probabilis conscientia? Quæ iudicium continet alicuius rei ex opinione probabili. Probabilis autem opinio ea dicitur, quæ rationibus innititur alicuius momenti. Vnde aliquando vnus tantum Doctor grauis admodum opinionem probabilem potest efficere; quia vir doctrinæ specialiter addictus haud adhærebit sententiæ cuiuslibet nisi præstantis, seu sufficientis rationis vi allectus.*

*Num licet opinionem probabilem sequi, relicta probabiliori? Licet, imo & tutiori, modò non imminet aliquod periculum, ad quod vitandum prudentia, aut iustitia, aut charitas dicet oppositam sententiam esse eligendam.*

*Possum me probabili aliorum sententiæ aptare mea probabiliori ac tutiore relicta? Ita planè, nec sic operans contra conscientiam agam, modo existimem alienam opinionem, quam sequor, esse probabilem.*

## CAPVT IV.

*De conscientia dubia.*

18.  
*Dubia.*

*Quenam conscientia dubia? Quæ circa vtramque contradictionis partem suspensa est, & neutri assentitur.*  
*Delinquit*

*Delinquit ne, qui contra conscientiam practicè dubiam operatur? Qui operatur cum dubio, an hic & nunc opus sit licitum, nec ne, delinquit, peccato scilicet eiusdem rationis, & speciei, cuius est res, de qua dubitat; quia qui anceps operatur, se periculo delinquendi exponit.*

*Qui aliquid præstat non practicè, sed speculatiuè tantùm dubitans, num sit malum, delinquit ne? Minimè; quia prudenter operatur, cùm ex iusta causa dubium deponat. v.g. si dubitat, an liceat capere rem alienam, si hic & nunc credat, id sibi licere propter extremam necessitatem, à furti crimine excusatur; quia practicè non dubitat.*

*Quonam modo conscientia practicè dubia deponetur, speculatiuumque vincetur dubium? Duo requiruntur. Primum, debita diligentia ad inquirendam veritatem. Secundùm, iusta aliqua causa mutandi iudicium, seu deponendi practicè dubium speculatiuum, scilicet consilium doctrina pollentium virorum. Verùm iusta causa contra speculatiuum iudicium est possessio, quæ præstat, vt in dubio pro possessore iudicetur, iuxta illud: Melior est conditio possidentis.*

---

C A P V T V.

*De conscientia scrupulosa.*

**Q***uid scrupulosa conscientia? Profectò scrupulus non est conscientia appellanda, cùm non sit iudicium, sed vana apprehensio, & hinc ortus timor peccatum alicubi esse, vbi non est.* 19.

*Quodnam precor, hominis scrupulosi indicamentum? In vna vel pluribus materiis frequenter dubitare, præter consuetum morem interrogando: alias diligentem curam suæ habere conscientia: credere aliquid esse peccatum ob leuem rationem: quæcunque in dubium reuocare, & aliquando suspensum manere: contra sapientum denique, imò contra proprium iudicium frequenter,*

nihilominus inquietum esse. Hi quidem in causa aliena plerumque sine formidine iudicant, hominemque absoluunt. At verò si idem casus illis eueniat, statim peccatum inesse formidant.

*Num contra scrupulos licitum operari? Imo consultum.* Remedia autem contra morbum huiusmodi sunt triplicia. Primò naturalia, vt contemnere scrupulos, melancholiæ mederi. Secundò, moralia, vt leges secundùm æquitatem interpretari, opinionem probabilem eligere, se submittere iudicio aliorum. Tertio, supernaturalia, vt sese ad Dei auxilium speciale disponere, assidue orare, sollicitè cuncta manifesta peccata cauere.

## C A P V T VI.

### *Praxis circa predicta ex schola Societatis.*

20.  
De conscientia  
erronea.


**Q**uod ad conscientiam erroneam attinet, suppone aliquem erroris deuenire, vt vtrumque oppositorum ei peccatum sit: v.g. mentiri est delictum, non mentiri, vt proximum à graui periculo eripiam etiam contra charitatem crimen est mihi erranti. Die festo sacrificaturus pro populo recordatus me non ieiunum, ab altari abstinere decerno, non possum populum quietum dimittere, nec adest alius Sacerdos. Si non audio sacrum pastor ouium contra præceptum delinquo; si auditorus gregem à lupis comminuendum relinquo, pecco: quid tunc? Hisce in casibus, si non habeo, quem consulam, minus malum eligam. In primo scilicet minus malum mentiri, vt culpa grauior contra charitatem euitari possit. In secundo Missæ operam dabo, ne populus scandalo feriat. In tertio denique, vt proximi prouideam vtilitati, templum non adibo. Quòd si quod minus malum apparet secutus, adhuc errem, non delinquam. Quid si ita anceps erraui, vt mihi non repræsentetur minus malum, tunc quicquid egero, non peccabo; quia nemo necessitate peccat. *Laym.*

*Circa*

*Examen III. De Conscientia. 19*

*Circa conscientiam probabilem requiram. Pœnitens in praxi bona fide sequitur sententiam tutam, & probabilem: Confessarius vero eandem speculatiuè improbabilem censet: potest ne se accommodare opinioni pœnitentis? Potest, modò sciat illam tanquam probabilem à peritis doctoribus admitti. Imò ex Laymani sententia tenetur pœnitentem absoluerè; quia confessarius non potest negare disposito absolutionem. Doctor potest ne alteri consulenti dare consilium non solum ex propria, sed etiam ex aliena sententia probabili, quæ consulenti sit fauorabilior? Possè affirmo cum eodem Laymano. Tenetur ne subditus superiori præcipienti secundum opinionem probabilem obedire etiam contra propriam magis probabilem & tutam? Ex Laymano tenetur; si enim subditus aliquid licitè agere potest præcipiente superiore, etiam debet. Dubitat subditus, num superior iuste præcipiat? Adhuc obedire tenetur, nisi graue damnum timeatur. In dubio enim inter superiorem & subditum, præsumptio est pro superiore. Potest ne iudex in ferenda sententia ex duabus probabilibus opinionibus sequi, quam maluerit? Castro Palao respondet posse: imò secluso scandalo modo iuxta vnam, modò iuxta aliam iudicare; satis enim iuste & prudenter agit sequens opinionem, quam ipse probabilem agnoscit, nec quia secutus est vnam, altera sua est spoliata probabilitate. Quid si altera huiusmodi opinionum probabilior sit? Tenetur iudex illam sequi, alioquin personarum acceptor videretur, cum debeat ex officio suum cuique ius tribuere iuxta merita causæ. Videtur autem esse maius meritum causæ illius, quæ opinioni probabiliori nititur. Num de iudice id expressum de Aduocato possit affirmari? Minimè; quia Aduocati officium non est definire, sed parti vni litigantium assistere. Vnde si Aduocatus causam clientuli non manifestè iniquam, sed probabilem iudicet, licitè eius causam suscipit, etsi causam aduersariam probabiliorem, & facilius obrinendam arbitretur. Dubitat quis de Matrimony contrahendi valore, quia certum nuncium de morte coniugis non accepit: cogitur ne abstinere? Cogitur*

ob Sacramenti fauorem, ne inualidè administretur. Quod si adhuc mala fide contraxit, durante dubio, reddere, sed non petere debitum potest, uti affirmat Laymanus. *Quid si post matrimonium bona fide contractum superueniat dubium de illius valore? Licitè (idem Doctor affirmat) petet debitum; quia dubium superueniens bonæ fidei possessori obesse non debet. Quidnam de Medico egrotis medicamina adhibente? Qui experimenti gratia (cum Baldello loquor) dubio medicamento utitur grauius peccat contra iustitiam, quando nulla suppetit opinio probabilis, & aliàs adfunt remedia probabiliter profutura; quia vitam, & salutem ægrotantis periculo sine iusta causa exponit.*




### EXAMEN IV.

Circa materiam de Gratia, & Merito.

#### CAPVT PRIMVM.

*Quid, & quotuplex Gratia?*

21.  
Gratia.

 *uidnam Gratia? Donum superadditum naturæ gratis à Deo homini collatum merito Christi.*

*Quotuplex Gratia? Triplex. Prima diuisio sumpta ex diuerso modo existendi, quem habet in homine, est in habitualem, & actuaalem. Secunda desumpta ex fine propter quem confertur, amplectitur gratiam iustificationis, & gratiam gratis datam, sumpto nomine generis pro specie. Tertia est per habitudinem ad voluntatem nostram, & diuiditur in præuenientem, comitantem, & subsequenterem.*

CAP. II.

C A P V T II.

De necessitate Gratiæ.

**E**stne gratia homini lapsō necessaria? Itā planē. Por- 22.  
 rō necessitas gratiæ respectu hominis lapsi con- *Gratiā*  
 siderari potest tum in ordine ad cognitionem, tum in *necessi-*  
 ordine ad actionem. *tas.*

*Quam est necessaria ad cognitionem?* Quæcunque veri-  
 tas naturalis cognosci potest absque peculiari gratiæ  
 auxilio, siue sit speculatiua, siue practica; at supernatu-  
 rales veritates egent auxilio gratiæ, & etiam Theo-  
 logicæ.

*Quam est necessaria ad actionem?* Inter extremas Pe-  
 lagij & Lutheri sententias pro hæresibus damnatas, ex  
 quibus ille sine gratia posse hominem omnia bona  
 opera tam moralia, quam supernaturalia facere: hic  
 vero nullum omnino bonum opus absque gratiæ au-  
 xilio fieri posse asserbat: media Catholica veritas  
 constituenda est gratiam esse simpliciter necessariam  
 ad opera requisita ad salutem: & in homine etiam  
 peccatore bonam aliquam operationem esse posse,  
 quæ peccatum non sit. Hinc primò, assero hominem  
 lapsum solo Dei generali auxilio bonum aliquod opus  
 moraliter facere posse; vt autem tale opus ad iustifi-  
 cationem conferat peculiaris Christi gratia præterea  
 necessaria est. Secundò, hominem lapsum sine Chri-  
 sti gratia non posse diligere Deum super omnia ne-  
 que vt finem supernaturalem, neque vt finem natura-  
 lem. Tertiò, hominem lapsum legem totam natura-  
 lem seruare non posse, nec quoad modum, nec quoad  
 substantiam, absque gratia Christi. Quartò, ad ser-  
 uandam totam naturalem legem, multo tempore, præ-  
 fertim verò per totam vitam habitualement gratiam re-  
 quiri. Quintò, hominem lapsum absque speciali au-  
 xilio tentationi alicui posse resistere, graui autem ne-

quam, & multo minus omni. Homo verò iam iustus absque speciali auxilio opera aliqua bona moraliter agere potest; ad longum tamen tempus, aut usque ad vitæ finem in bonis operibus perseverare absque speciali gratia non potest. *Homini iusto iam quidnam confert hæc nova gratia?* Tribuit ei ad perseverandum, moralem facultatem tentationibus omnibus resistendi. Ut autem omnia etiam venialia peccata deuitet, communis gratia satis non est, peculiaris autem ex privilegio satis esse potest.

## CAPVT III.

*De iustificatione.*

23.  
*Iustificatio.*

*Quid est iustificatio?* Gratia habitualis in anima inhaerentis, & facientis hominem iustum effectus. Definitur autem, Gratuita, & supernaturalis quædam mutatio, per quam supernaturalia infunduntur dona.

*Sunt ne ad iustificationem aliqua in homine dispositiones necessariae?* Sunt, nempe fides, spes, & poenitentia, quæ procedunt à Spiritu sancto mouente, nondum inhabitante.

*Num iustus de sua iustificatione certitudinem potest habere?* Fidei quidem minimè, moralem tamen, & magnas coniecturas habere potest.

## CAPVT IV.

*De Merito.*

24.  
*Meritum.*

*Quidnam meritum?* Opus est liberum, bonum, ad alterum aliqua ratione pertinet, quod secundum aliquem æquitatis aut debiti modum aliquo præmio ab altero debet compensari.

*Quotuplex*

*Examen IV. De Gratia, & Merito. 23*

*Quotuplex Meritum?* Duplex est, de condigno vnum, alterum de congruo. Quinque ad meritum de condigno requiruntur. 1. Libertas. 2. Bonitas non solum moralis, sed etiam supernaturalis, vt scilicet actio fiat ex supernaturali motiuo fidei, spei, charitatis, vel ex simili motiuo imperetur. 3. Gratitude personæ quæ meretur, vt videlicet in gratia habituali sit. 4. Vt sit viator. 5. Vt vltra operis bonitatem etiam diuina promissio intercedat. Ad meritum verò de congruo nec habituali gratia, nec promissione præmij; quo actio remuneretur, opus est; sufficit honestas operis tali premio remunerabilis.

*Cadit ne sub meritum primum gratiæ auxiliū?* Minimè nec prima gratia iustificans sub meritum de condigno. *Num gloria?* Hæc quidem sub meritum de condigno cadit.

*Iustus ne reparationem sibi post lapsum potest mereri?* Nec de condigno nec de congruo; at sanctitatis augmentum de condigno meretur.

*Num alteri gratiam, aut gloriam mereri potest?* De condigno minimè, de congruo maximè.

*An bona temporalia quatenus adiumenta perueniendi ad beatitudinem estimantur, cadunt sub meritum?* Sub meritum quidem de condigno cadere possunt. Hæc loco Procemij moralis Theologiæ libri innuisse sufficiat, ad sigillorum septem reparationem veniamus, in secundum sigillum tractationem de Peccatis in communi, quæ ad principia moralis Theologiæ pertinebat, differentes.





TRACTATUS PRIMVS  
LIBRI THEOLOGICÆ  
MORALIS.

PROFERENS SIGILLVM  
PRIMVM, IDEST, LEGES;


*Vbi Materia de legibus, de Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ, de Priuilegiis in communi, ac de Priuilegio Bullæ Cruciatæ & Dispensationum in particulari discutiuntur.*

PROLVSIO.



*P*rovidi, (ait Ioannes) quod aperuisset Agnus vnum de septem sigillis; & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum. Apoc. 6. Christus eques potestatis arcum ostentans, qua & naturæ author, & REX ac PARENS Ecclesiæ leges præscribit, Præcepta antiqua indicit, noua profert, in onerisque subleuationem Priuilegia indulget. Sequor præcipuè harum materiarum scriptores SAGRIUM, SALAS, HENRIQUEZ, TOLETUM, LAYMANUM, FERDINANDUM DE CASTRO, FILLIUCIUM, BALDELLUM, MERATIUM, REINAUDUM, GORDONIUM, THOMAM SANCTIUM, MOLINAM, PRÆPOSITUM, AZORIUM, & FAGUNDEZ.

EXAMEN



EXAMEN PRIMVM

Circa Materiam de legibus in communi.

CAPVT PRIMVM.

De Legis diuisione.

**Q**uid est lex? Ordinatio rationis promulgata ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, seu qui potestatem habet obligandi. I.  
Legum  
diuisio.

Ad legem condendam quotnam requiruntur conditiones? Quinque. 1. Vt sit iusta. 2. Vt promulgetur. 3. Vt à legitimo superiore feratur. 4. Vt ob bonum commune immediatè vel mediatè indicta sit; lex enim communitati omnino inutilis non obligat. 5. Vt acceptetur.

Indica legis diuisiones. Primò, est *lex æterna*, seu mens & ratio Dei bona præcipiens, mala prohibens. Secundò, *lex diuina*, seu quæ vim habet, quatenus à Deo proficiscitur, est duplex Verus seu Mosaïca; Noua, seu Euangelica: adhucque subdividitur in diuinam naturalem (qua idem præcipitur, quod naturali lege) vt sunt Decalogi præcepta: & in diuinam positivam, qua præcipitur aliquid, quod lege naturali non est sancitum, vt præceptum præmittendæ confessionis ante sumptionem Eucharistiæ ab eo qui est sibi de lethali crimine conscius. Tertio, *lex humana*, seu quæ humana auctoritate fertur dependenter tamen à Deo: estque duplex Ecclesiastica, & secularis. Quarto, *lex naturalis*, seu dictamen ac lumen nostræ rationis naturale, quo quidem quid faciendum, quid vitandum agnoscimus. Quintò, *lex gentium*, seu quam omnes homines naturali ratione ducti constituunt, cuiusmodi est illa: *Possessiones sunt diuidendæ*. Sextò, *lex Civilis*, seu quæ simpliciter hominum auctoritate sancitur. Septimò, *lex Canonica*, quæ

Ecclesiæ autoritate decernitur, cui quidem obediendum contra ciuilem repugnantem; Ecclesia enim leges ciuiles valet abrogare: Octauò, *lex affirmatiua*, quæ præcipit aliquid faciendum: & *negatiua*, quæ aliquid fieri videtur prohibere.

---

C A P V T II.

*De legislatoribus.*

2.  
*Legislator.*

**Q**uam ergo leges potest ferre? Qui habet publicam potestatem, iurisdictionem, & vim cogendi.

*Quidnam de Pontifice summo?* Leges Ecclesiasticas toto in orbe potest præscribere: leges autem ciuiles non in suo territorio tantum, sed etiam in alieno, indirectè saltem in ordine ad spiritualem animorum finem. Quam quidem potestatem immediatè accepit à Christo eius Vicarius immediatus.

*Episcopus quid?* Quod potest Papa in tota Ecclesia, id etiam in dicecesi sua potest Episcopus, cum dependentia tamen, & subordinatione ad Papam; quia Episcopus à Pontifice summo hanc potestatem mutuatur, non immediatè à Christo.

*Quid Metropolitanus?* Archiepiscopus in subditos Coepiscoporum nullam ordinariè iurisdictionem obtinet, nisi ad ipsum à suo Episcopo appellarint. Verum est ordinarius superior Coepiscoporum prouinciæ: tamen in causis criminalibus, quæ depositionem merentur contra aliquem eorum procedere non debet, sine Sedis Apostolicæ autoritate.

*Num Imperator leges condere possit?* Si legitime electus, in Regna & Prouincias sibi subditas leges ciuiles ferre valet; non verò in orbem vniuersum; multi enim Christiani non sunt subditi Imperatori. Quare Prouinciæ nec iure dominij, nec iure feudi, nec alio titulo Imperatori subiectæ haud Cæsareis legibus tenentur.

*Examen I. De legibus in communi.* 27

*Num Reges?* In suis Regnis leges ciuiles ferre possunt; habent enim potestatem publicam, supremamque iurisdictionem. Id quod de quibuscumque Principibus supremis in temporalibus superiorem non agnoscentibus consequenter affirmo. *Si superiorem agnoscunt?* Adhuc possunt leges iuxta limites à Principe sibi præscriptos sancire.

*Quid de Regina, quæ Regni domina est, nullumque in temporalibus superiorem reueretur?* Idem ius legum ferendarum obtinet. *Si illigetur matrimonio?* Ad ipsam adhuc pertinet leges ferre, nisi vices marito cedat; quia penes ipsam ius, & dominium Regni, minimè ex matrimonio translatum viro, cum Regnum nec alienari, neque in dotem dari queat.

*An condunt Respublicæ, aut communitates perfectæ, quæ per se ipsas gubernantur?* Condunt equidem in territoriis suis. Idem de ciuitatibus, quæ supremæ Reipublicæ formam aliquam retinent, adfirmarim. Quæ autem in Principem potestatem transfudere, leges propria auctoritate non sanciant.

*De Conciliis generalibus quid dicendum?* Concilia summi Præfulis auctoritate collecta possunt leges & statuta generalia condere iuxta potestatem sibi à summo Pontifice concessam. Vnde colligo à summo Præsule ad Concilium non dari appellationem quia Pontifex superiorem non habet. *Provincialia Concilia quid?* Provincialia; Nationalia, ac Synodalia Concilia vim habent condendi leges obligantes territoria sua; nec commune ius efficiunt nisi à summo Pontifice generaliter approbentur.

*Potest ne Cardinalium Collegium?* Non potest seu viuentis summo Pontifice, seu sede Apostolica vacante legem vniuersalem condere, imo nec particularem nisi in suis Titulis, in quibus iurisdictionem Episcopalem habent; cum enim Collegium Cardinalium (vti probabilior fert sententia) non sit de iure diuino, nullamque habeat iurisdictionem, quæ à summo Præsule non pendat

28 *Moral. Theologia Tract. I. Leges,*  
deat, nusquam legitur hæc facultas condendi leges  
Cardinalibus à Papa concessa: sed illis tantum permit-  
tuntur, quæ ad Papæ electionem, & ad Ecclesiæ defen-  
sionem spectant.

*An Capitulum Ecclesiæ Cathedralis sede vacante possit leges,  
& statuta in diœcesi ferre? Potest planè, duratura quidem,  
donec ab Episcopo successore reuocentur. Imò potest  
statuta ab antecessoribus Episcopis facta reuocare, &  
contraria stabilire, si expedire iudicauerit; quia Capi-  
tulum exceptis casibus à iure expressis, vacante sede, in  
iurisdictionem plenam Episcopi succedit. Quid uiuente  
Episcopo? Non potest leges, aut statuta ferre nisi circa ea,  
quæ ad bonum regimen & ordinem Capituli pertinent.*

*De Generalibus, Prouincialibus, ac Prælati Religionum ap-  
probatarum quidnam? In Capitulo generali, aut Prouin-  
ciali concurrente maiori suffragiorum portione, leges  
ferre possunt Generales, & Prouinciales iuxta proprii  
instituti præscripta. Reliqui verò Prælati ea valent præ-  
cipere, quæ ad obseruantiam regulæ sunt accommoda-  
ta. Num hi possunt subditos ad regulæ obseruationem, quæ iam  
erat abolita, cum professionem emiserunt, compellere? Minimè,  
si aut auctoritate Papæ, aut consuetudine legitimè præ-  
scripta erat iam abrogata; secus si regula paucorum  
culpa non seruabatur, non tamen erat legitima con-  
suetudine abolita: tunc enim subditi ad custodiam le-  
gum nouis possunt constitutionibus compelli; nam qui  
illius Religionis regulam uouerunt, consequenter ad  
eius compelli debent obseruationem.*

---

### C A P V T III.

#### *De Promulgatione, & Acceptatione legum.*

3.  
Promul-  
gatio le-  
gis.

**A**D ferendam legem quinque innuisti conditiones necessa-  
rias, ut scilicet à legitimo superiore ferretur, ut esset iusta,  
ut in commune bonum, ut & promulgaretur, & acceptaretur:  
circa

*Examen I. De legibus in communi. 29*

*circa quæ requirantur, num necessaria, omnino legis promulgatio?*  
Ita planè, facienda in singulis Prouinciis, neque obligat illius Prouinciæ subditos, in qua facta non est huiusmodi promulgatio.

*Dicendum ne idem de summi Pontificis legibus promulgandis?* Minimè, sed sufficit in Curia Romana fieri, vt vbiq; legis seruandæ obligatio inducatur; vsus enim obtinuit, vt leges Pontificiæ solùm in Romana Curia promulgentur.

*Obligat ne lex statim post promulgationem?* Obligat planè, quando nullus ad obligandum fuit terminus constitutus, nisi aliter de legislatoris mente constet. Solet certè legislator, quando non intendit ante certum tempus obligare legem, hoc exprimere. *Nullum expressit tempus.* Censetur igitur velle legem statim post sufficientem promulgationem obligare. Scio tamen, illud speciale legibus Imperatoriis, vt ante duos menses à promulgatione non obligent.

*Qui legem rescissoriam contractus (v.g.) sufficienter promulgatam ignorat, delinquit ne celebrando contractum contra legem?* Minimè, sed inualidè inicit contractum; leges enim rescissoriæ hoc habent, vt post promulgationem etiam obligent ignorantes.

*Leges priuilegiorum reuocatoriæ obligant ne ante quam ad aures illius, cui concessa priuilegia fuerant, perueniat reuocatio?* Non: quia priuilegium est fauorabile; fauores autem ampliandi sunt.

*Num acceptatio est ad legis valorem necessaria?* Leges sub hac tacita conditione feruntur, vt vim habeant, si fuerint acceptatæ, & vsu receptæ.

*Quandonam lex dicitur non esse acceptata, nec recepta vsus?*  
Quando populus, vel maior pars mori præterito præscripto adhæret, siue sciat contrariam esse latam legem, siue ignoret.

*Et quandonam recepta dicitur?* Quando maior communitatis pars, quod lex præcipit, præstat: aut eam approbat verbo, vel scripto, vel saltem non improbat. Potest tamen

4.  
Acceptatio legi.

tamen legitimus superior legem in commune bonum ferre, quæ obliget rebelles subditos independenter ab eorum acceptatione; alioquin maior esset potestas ægritudinis popularis, quàm medici Principis.

*Lex ne quoad vnam partem acceptata, obligat quoad totum?* Minimè, sed tantum quoad eam partem, quæ acceptatur; quia quæ ratio est totius ad totum eadem prorsus est partis ad partem. Potest etiam lex aliquando per consuetudinem quoad vnam partem abrogari: (aut quoad poenam) reliquis partibus suo in robore permanentibus.

*Possunt ne subditi ex iusta causa non solum supplicationes, & preces ad legislatorem transmittere, vt legem reuocet: verum & legis obligationem interim suspendere, donec rursus de Principis constet voluntate?* Possunt; quia data iusta, & rationabili causa reuocandæ legis, consonum rationi, vt subditis pateat aditus ad Legislatorem pro legis reuocatione: & interim legis onere non premantur.

*Potest ne Princeps intra decennium subditos panis compellere ad legis promulgatæ obseruationem?* Maximè, sed translatò decennio, si lex acceptata non fuit, non potest Princeps, per se loquendo, subditos ad seruatalem legem compellere; lex enim per desuetudinem decennalem abrogatur, & tollitur.

*Vt lex obliget, & acceptabilis sit, requiritur ne scriptura tanquam necessaria conditio?* Minimè; potest enim lex acceptari non scripta, modò contrarium non sit vsu sancitum. Hinc infero priuilegium absque scriptura concessum morte concedentis non expirare, etiam si literæ non essent expeditæ. Vt plurimum tamen & regulariter loquendo, lex per scripturam ferri consuefcit.

CAPVT IV.

De legum materia.

Quidnam legi materiam præstat? Cum leges circa humanas actiones versentur, præcipiendo bonas, malas prohibendo, actiones humanæ legum materia sunt. 5. Materia legum.

Num interni actus possunt præcipi, aut prohiberi? Possunt aliqua ratione; non ex se præcisè, quia merè interna soli Deo referuntur: sed quatenus pertinent ad actus externi complementum. v.g. Ecclesia præcipiens Canonici officij recitationem, simul etiam præcipit attentionem, quæ est actus internus; quia attentio est omnino ad orationem necessaria. Similiter aliquem actum externum prohibens, simul etiam prohibet internum illi respondentem. v.g. cum furtum prohibetur, etiam furandi voluntas refecatur.

CAPVT V.

De subiecto legum.

Quodnam legum subiectum assignas? Legis subiectum 6. Subiecti legum. est homo subditus iuxta legis tenorem. Colligo hinc infideles, aut Catechumenos legibus Ecclesiasticis minimè adstringi, quia non sunt subditi Ecclesiæ. Pueros autem ratione vtentes illigari prorsus, ac consequenter ad confessionem annuam, ad Missæ die festo auditionem teneri.

Num Regina coniux Principis, qui condidit legem, eidem obseruandæ addicatur? Ex natura rei obligatur, nisi exempta sit, vt re ipsa eximi assolet, à vi scilicet coactiua.

Tenetur Princeps suorum prædecessorum leges obseruare? Præciso scandalo non tenetur; quia à sibi superiore lætæ non sunt.



32 *Moral. Theologiæ Tract. I. Leges,*

*An ad observationem legis à se ipso latae teneatur superior? Proprie loquendo ex vi coactiua non obligatur; quia lex obligat subditos, nullus autem sibi subditus est, nec potestatem ac iurisdictionem coactiuam exerit in se ipsum. v.g. si Papa Clericum percutiat haud excommunicationis vulnere afficitur. Loquamur de vi non coactiua, sed directiua fundata in iure naturæ: sic ne Princeps propriis legibus illigatur? Ita planè; debet enim subditos suo exemplo mouere, modò leges sint vniuersales, suoque statui conuenientes.*

*Tenantur ne Clerici, aliique Ecclesiastici ciuilibus legibus subiacere? Ex vi coactiua minimè; quia laicus Princeps non habet in Clericos iurisdictionem: ex vi autem directiua tenentur legi ad bonum commune spectanti subiici, dummodo Ecclesiasticæ non repugnet libertati; quia Clericos decet aliis exemplum exhibere.*

*Num Cardinales legibus generalibus etiam odiosis à iure communi latis illigentur? Ita planè, & consequenter censuris per verba generalia à iure communi impositis feriuntur; sunt etenim subditi iuri communi, seu Prasuli summo, modò queisdam in casibus aliter de Pontificis mente non constet.*

*Peregrinus qui ad aliquem locum peruenit absque intentione inibi constituendi domicilium, vel maiori anni portione manendi, ligaturne legibus particularibus, ac illius loci propriis? Minimè; quia per breuem moram non acquiritur in illum iurisdictione: nisi fortè ratione scandali vitandi, aut aliis circumstantiæ vi obligari videatur. Qui verò ad aliquem locum accedit animo inibi maiore anni parte manendi legibus eo loci receptis illigatur fitque parochianus illius loci quoad Sacramenta, excepta tonsura, & ordine: licet postea accidentaliter post paruum discedat interstitium.*

*Quid si non sit peregrinus seu viator, sed vagus qui nullam certam habet sedem? Profectò locorum legibus, & consuetudinibus ligatur; alioquin omnino exemptus ab omnibus legibus, & statutis municipalibus, aut etiam*

etiam Episcoporum decretis vagans esset, quod minimè rectæ consentaneum gubernationi.

*Qui in alieno territorio versatur, tenetur ne leges proprij ibi non obligantes observare?* Non tenetur; quia Princeps suam potestatem & iurisdictionem non extendit, subditisque in alieno territorio existens non est actu subditus legislatori. Id quod extendo non solùm ad leges municipales, verùm etiam ad leges iuris communis, quarum observatio proprio viget in territorio, non verò eo loci, ubi ad tempus versatur.

---

C A P U T VII.

*De legis observandæ obligatione sub peccato.*

**N**um lex aliqua, quæ neque ad culpam obliget, nec ad pœnam? Minimè; propriè enim lex vocitanda non est, quæ nec culpâ nec pœnâ exigit observantiam: sed potiùs regulæ seu ordinationes ad bonum dirigentes appellandæ, qualia equidem nonnullarum Religionum præscripta, quæ nec ad culpam venialem obligare videntur. 7. obligatio observandæ legis.

*An omnes leges humanæ obligent in conscientia sub mortali præsertim?* Non omnes obligant; leges enim prohibentes v.g. venationem, aut piscationem sine proximi nocumento: aut armorum tempore nocturno delationem, per se loquendo & præcisè aliis circumstantiis non obligant sub mortali. Nec enim legislator præsertim civilis ad hæc intendit sub gravi culpa obligare; sed solùm sub aliqua assignata pœna detertere.

*Obligat sub mortali lex pœnalis, qua scilicet aliquid imperatur, aut prohibetur assignata pœna transgressori?* Obligat iuxta materiæ gravitatem sub mortali, aut veniali, nisi aliunde constet legislatorem non intendere obligare ad culpam; quia pœna culpam supponit. v.g. præceptum recitandi horas sub amissionis fructuum pœna, aut lex

C

soluendi

34 *Moral. Theologia Tract. I. Leges,*  
soluendi veltigalia sub pœna amissionis mercium, obli-  
gant in conscientia.

*Lex inferens ipso facto pœnam transgressoribus obligat ne in conscientia ante sententiam declaratoriam pœna subeundæ ? Non ; nec potest ipsa pœna executioni mandari absque hominis actione, nisi apertè eam esse mentem legislatoris constet. Potest enim legislator ad soluendam pœnam ante sententiam obligare, regulariter tamen non obligat. Quid si delictum ita notum sit, vt non possit vlla tergiversatione celari ? Adhuc affirmo delinquentem non teneri ante declaratoriam sententiam soluere pœnam, quæ ad sui executionem hominis actionem requirit. Quidnam autem de lege ipso facto lata, quæ ad sui executionem hominis actionem non postulat ? Scatim post violatam legem incurritur. Quare si lex ita feratur : Qui hoc fecerit, sit ipso facto excommunicatus : delinquens patrato delicto, statim incurrit excommunicationem, cum ad hanc pœnam subeundam nulla actio requiratur, nec sententia criminis declaratoria expectanda est. Fateor tamen circa pœnam priuationis officij, beneficij, vocis actiux & passiuæ, &c. delinquentem non teneri cum grauis infamiæ periculo hanc pœnam ante iudicis sententiam subire.*

*Obligat ne in conscientia lex illa, quæ iuri diuino, aut communi bono aduersatur : aut quæ legislatoris potestatem excedit : aut quæ onus improporionatum imponit : aut quæ in falsa presumptione fundatur ? Non obligat, modo scandali, aut perturbationis Reipublicæ periculum absit.*

*Tenemur ne legibus, ac sententiis Tyranni parere ? Tenemur profectò legibus latis ab eo, qui solùm tyrannus est regimine, & administratione : id est, qui iustè quidem possidet Regnum, sed iniustè subditos aggrauat ; hic enim est legitimus superior. Porrò Tyranno qui per vim Regnum vsurpauit obedire tenemur, quandiu pacificè Regnum possidet, & Reipublicæ non resistit. Nec enim Christicolæ in terris Turcarum existentes à Turcæ legibus eximuntur, licet Turca tyrannus sit Regni vsurpa*

vsurpatione. Peccat ne Tyrannus leges & sententias ferendo? Non; hoc enim Reipublicæ auctoritate præstat, quæ ex suppositione tyrannidis vult ab ipso exerceri iudicia; ne incommoda multiplicentur. Delinquit tamen ille non solum Regnum vsurpando, verum & illud iniuste retinendo.

CAPVT VII.

*Regulas exhibeo, queis cognoscitur, num leges obligent sub mortali.*

**Q**uoniam modo poteris dignoscere, an lex obliget sub mortali, nec ne? Id apertè præstabo, si septem hæc regulas mente euoluerim. Prima mentem legislatoris rimatur, quæ ex materiæ grauitate, aut ex aliis coniecturis colligitur. Vnde quando lex absolutè condita est, non addico sub qua culpa velit obligare legislator, iuxta materiæ grauitatem est iudicandum. Secunda sumitur ex verbis, queis lex fertur, modo leuitas materiæ non excuset. v.g. lex illa obligat sub mortali, quæ in graui materia fertur in hæc verba: *Iubemus, præcipimus, prohibemus, &c. Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, sub indignatione Dei, &c.* Item verbum oportet: nec non lex verbo imperatiuo condita posita materiæ grauitate; & illa: *Sancimus, statuimus, &c.* Legislator enim hac loquendi forma quantum potest obligare velle censetur. Tertia ex materiæ grauitate desumitur; ex graui materia grauis obligatio legis colligitur: in materia autem leui legislator non potest sub mortali obligare; quia lex esset iniusta. *Quoniam modo dignoscemus num legis materia grauis sit, an leuis? Vix certa regula potest adscribi, sed prudentis arbitrio relinquendum.* Attamen ego finem legis contemplarer; lex enim, quæ ex se leuis est, habita ratione finis grauis affolet apparere. *Num in materia graui potest legislator sub veniali obligare? Quis dubitet?*

8.

*Regulæ ad dignoscendum, quando nam lex obliget sub mortali.*

36 *Moral. Theologiae Tract. 1. Leges,*  
 quia moralis actus agentis intentionem non excedit,  
*Quarta* regula, ex vna lege aliam explicante, aut ex com-  
 muni hominum æstimatione legem sub mortali obli-  
 gare petenda est. *Quinta* ex legis acceptatione; lex  
 enim obligat, quatenus acceptatur. Si ergo non ac-  
 ptatur vt obligans sub lethali, sub lethali non obligat,  
 etiam si legislator intentionem habuisset grauiter illi-  
 gandi: nisi intenderit ille independenter ab accepta-  
 tione obligare. *Sexta* in poenæ grauitate fundatur; poe-  
 na enim proportionem debet habere cum delicto.  
*Obligat ne sub mortali lex, quæ grauem poenam continet, quan-*  
*do poena huiusmodi ponitur in re leui tantum ad terrorem? Mi-*  
*nimè; nec enim esset iusta lex, quæ sub poena capicis*  
*leporum venationem prohiberet, ob materiæ leuitatem.*  
 Vnde subdicitur non tenetur illi legi vt pote inualidæ  
 obedire in conscientia, nisi ex aliqua circumstantia iu-  
 sta præsumatur. *Septima* denique ex aliqua graui cen-  
 sura colligitur, vel Ecclesiastica poena transgressoribus  
 legis imposita; nam grauis censura v. g. excommuni-  
 catio maior, aut grauis suspensio non fertur nisi ob  
 lethalia delicta.

---

## CAPVT VIII.

### *De lege irritante.*

9. *Lex irri-*  
*tans.* **A**cta, quæ fiunt contra aliquam legem irritantem sunt ne  
 valida? Ipso facto in vtroque foro inualida sunt.  
 Vnde qui contractu irritato rem accepit, talis actus vi  
 præcisè non potest illam vt propriam retinere; quia  
 per irritum contractum dominium non acquiritur.

*Num irritatio ipso facto incurritur antè declarationem? In-*  
*curritur quidem, quando irritatio in falsa præsumptio-*  
*ne non fundatur, seu quando forma substantialis requi-*  
*sita ad valorem non seruatur.*

*Ad incurrendam irritationem actus requiritur ne scientia*  
*legis*

*Examen I. De legibus in communi. 37*

*legis irritantus?* Minimè speciàtim illius actus, qui defectu formæ substantialis irritatur. Vnde Matrimonium clandestinum est inualidum etiam respectu illius, qui Tridentini decretum Matrimonium clandestinè initum irritans, ignorat. Item qui beneficium obtinet bonâ fide per pactum Simoniacum, quod ipse ignorat, inualidè obtinet.

*Actus humana lege irritus obligat ne in conscientia?* Obligat; Ecclesia enim & Principes possunt actus in utroque foro irritare.

*Actus ne contra legem prohibentem sunt inualidi ex eo solum capite, quod prohibentur à lege?* Minimè; multa enim illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent. Neque verò omnes actus, qui iure naturæ prohibentur, sunt irriti; validus enim est contractus, quo quis rem vni promissam alteri vendit; Validum Matrimonium de præsentì cum vna celebratum, post sponsalia prius celebrata cum alia: quamuis delinquat vtriusque contractus præuaricator.

*Actus contra ius commune est ne ipso facto irritus?* Ita planè: at non secundum se, & in foro conscientiæ ante sententiam iudicis: sed quia per sententiam iudicis ita declarari potest irritus, ac si irritus à principio esset. Id quod in iis tantummodo locis procedere affirmo, in quibus lex Theodosij Imperat. quæ incipit: *Non dubium*; recepta est.

*Actus celebrati sine forma substantiali, ac sine solemnitate à iure requisita sunt ne validi?* Minimè; sed in utroque sunt inualidi foro. *Quandonam autem solemnitas substantialis adesse censetur?* Quando clausula apponitur factum irritans sine huiusmodi forma celebratum. Scio sanè actus ad causas pias factos excipiendos; sunt enim validi etiam sine solemnitate à Civili iure præscripta.

## CAPVT IX.

*De Legis satisfactione seu adimplentione.*

IO. *Adim-pletio legis.* **L** Ex ne aut præceptum potest adimpleri ex actu ex aliqua circumstantia malo? Potest; vt quando quis ex vanæ gloriæ motiuo ieiunat; modus quippe sub præceptum non cadit, dummodo non sit de intrinseca ratione præcepti: vt quando alioquin præceptum non valet adimpleri, nisi modus adimpleatur. v. g. qui dormiens Missæ assistit, non satisfacit Missæ audiendæ præcepto; quia assistentia humana requiritur tanquam modus ad præcepti pertinens substantiam.

*Possim ne vnico actu pluribus præceptis satisfacere? Potes;* superior enim à cuius mente legis obligatio pender, id concedere præsumitur. Vnde qui ieiunium in Vigilia D. Petri vouit, eadem abstinentia & Ecclesiæ præcepto, & voti obligationi facit satis.

*Eodem autem tempore per diuersos actus possim ne pluribus satisfacere præceptis? Potes planè,* quando vnus actus alium non impedit. v. g. qui tempore, quo celebratur Missæ sacrificium, horas canonicas recitat, vtrique obligationi satisfacit; quia vnus actus non impedit, alium utroque scilicet ad Dei cultum tendente.

*Vt præceptum impleatur, requiritur ne intentio præstandi opus, quod præcipitur? Ita planè.* v. g. vt quis præcepto audiendi sacrum satisfaciat, requiritur intentio Missam audiendi; quia opus præceptum implendum est humano modo, seu cum intentione illud præstandi. Non autem erit necessum, vt opus præceptum fiat cum intentione satisfaciendi. v. g. Missam audit nesciens diem festum celebrari, præcepto satisfacit. *Quid si qui opus præceptum præstat cum intentione non adimplendi præceptum per illud opus: satisfacit ne, si postea mutet intentionem? Ita sanè.* v. g. Audio Missam intendens non adimplere præceptum illa audicione, sed alia; postea accidit alij

alij Missæ non interesse, præceptum impleui; quia opus iniunctum præstiti:

C A P V T X.

De legum interpretatione.

**L**icet ne leges interpretari, non solum exponendo, verum etiam ampliando, & coarctando? Licet; hic enim usus, & praxis viget. Porro Tridentini decreta fas est obiter, & humiliter rebus in dubiis interpretari, Declarationes Congregationis Cardinalium circa Tridentinum maximi quidem sunt ponderis, ab iisque non facilè recedendum: vim tamen legis non habent antequam sufficienter promulgentur, & publicentur: Id quod de huiusmodi declarationibus adfirmarim.

II:  
Interpre-  
tatio le-  
gum:

Quonam modo humana lex interpretanda est? Lex quidem odiosa explicanda, & extendenda iuxta naturalem verborum proprietatem: non verò strictiùs aut laxiùs. At in materia fauorabili explicanda & extendenda est, quantum verba patiuntur non solum iuxta naturalem, sed etiam iuxta ciuilem verborum proprietatem. v. g. lex fauorabilis loquens de filiis, ad adoptiuos extendenda: loquens de legitimis, extendenda est ad legitimatos. Quid in dubiis legis pœnalis materiæ. Mitior pars amplectenda est, seruata verborum proprietate.

Lex ne pœnalis extendenda est ab vno casu ad alium, vel ab vno crimine ad aliud, vel ab vna persona ad aliam ob rationis paritatem? Minimè, iuxta illud tritum axioma: In lege pœnali non valet argumentum à simili, seu ab identitate rationis, seu à fortiori, seu à maiori ad minus, seu à contrario sensu. Si tamen lex sit generalis, generaliter de omnibus casibus, ad quos verba legis extendi possint, est intelligenda: & licet vnius tantum personæ fiat mentio, non tamen propterea cæteræ videntur, seu censentur exclusæ.



## CAPVT XI.

*De legis abrogatione precipue per  
consuetudinem.*12.  
*Abrogatio legis.*

**Q**uandonam lex antea recepta vim obligandi amittit? Per legem posteriorem contrariam, seu per reuocationem, seu per correctionem, seu per restrictionem, iuxta restrictionis, aut correctionis qualitatem; quia posterior voluntas Principis priori derogat, etiam si in posteriori lege nulla fiat mentio prioris.

*Cessante causa motiua, seu finali legis respectu totius communitatis, cessat ne obligatio legis etiam absque alio decreto, vel Principis declaratione? Cessat; quia non præsuntur vel le obligare, cessante legis fine.*

*Cessat item legis obligatio in casibus, qui per epicheiam comprehenduntur in lege non tensentur, etiam si verba legis eos comprehendere videantur? Cessat plane; quia legislator non præsuntur casus illos comprehendere, qui ob superuenientem aliquam circumstantiam fiunt illiciti, aut Reipublicæ perniciosi, aut nimium difficiles, seu moraliter impossibiles.*

13.  
*Consuetudo.*

*Amittunt ne leges vim obligandi per contrariam consuetudinem legitime introductam? Amittunt; legitima enim consuetudo vim obtinet legis.*

*Indica legitime consuetudinis proprietates. Prima est leges interpretari; quando enim dubium suscitatur circa legis intelligentiam, ad consuetudinem, quæ optima legum interpretis vocatur, recurendum. Vnde ad contractuum validitatem non leue ex consuetudine ducitur argumentum. Secunda proprietates consuetudinis est, legem inducere. Tertia legem inductam mutare, & abrogare vel in totum, vel in partem. Vt autem consuetudo veterem legem abrogare, & nouam introducere possit, quænam conditiones requiruntur? Octo. 1. Vt id, quod per consuetudinem introducit, possit esse materia legis.*

Hinc

*Examen I. De legibus in communi. 41*

Hinc fit, vt contra ius diuinum, aut naturale, consuetudo legitima induci non possit; quia materia huius consuetudinis est mala, & prohibita. 2. Vt consuetudo per actus voluntarios inducatur; lex enim est actus voluntatis, & liber. 3. Vt consuetudo abrogans legem, ab iis, qui tenentur eam seruare, inducatur. 4. Vt adfit intentio eximendi se per consuetudinem à lege abroganda, vtque id, quod inducitur per consuetudinem obseruetur tanquam præceptum, seu per modum obligationis; alioquin consuetudo vim legis non fortietur; quod enim frequenter fit ex sola deuotione, aut liberalitate, nullam obligationem, nullam legem inducit. 5. Vt consuetudo sit vniuersalis; minor quippe populi pars consuetudinem non potest inducere, maior potest. 6. Vt consuetudo per eos inducatur, qui legem possunt condere, vel habent capacitatem actiuam condendi, vel saltem passiuam eam recipiendi, interueniente aliquo superioris consensu. 7. Vt consuetudo sit longæua, scilicet seruata fuerit per decem annorum spatium; decem enim anni sufficiunt ad consuetudinem præscribendam, modò non sit contra ius Ecclesiasticum, ad præscribendam enim contra Ecclesiæ iura consuetudinem quadraginta anni requiruntur cum aliquo titulo; aut etiam tempus immemorabile, si ius resistat. 8. Denique, vt Principis consensus saltem tacitus adfit.

*Potest ne lex vi sua, & absque alia clausula præcedentem consuetudinem abrogare? Potest, modò habeat omnimodam contrarietatem & repugnantiam cum consuetudine, & legislator sit consuetudinis conscius; quia consuetudo non adimit superiori condendi leges auctoritatem.*

*Per legem vniuersalem abrogantur ne consuetudines speciales locorum, aut statuta particularia? Non, nisi eorum in lege mentio fiat, aut nisi saltem per clausulam generalem, qualiscunque contraria consuetudo, statutum, aut priuilegium expressè reuocetur; quia Princeps, qui consuetudines speciales locorum ignorare censetur; non*

42 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*  
videtur eas velle abrogare, nisi specialem earum memo-  
riam efficiat.

*Per hæc verba: Non obstante contraria consuetudine,*  
*reuocatur ne consuetudo immemorabilis? Non reuocatur, nisi*  
*addatur in reuocatione: Non obstante consuetudine etiam*  
*immemorabili: aut nisi aliquid æquiualens apponatur;*  
*quia consuetudo immemorabilis peculiaribus in iure*  
*priuilegijs gaudet.*

*Peccant ne introducetes consuetudinem contra legem, seu*  
*contra antiquam aliam consuetudinem legitime receptam? Pec-*  
*cant planè toto eo tempore, quo agunt contra legem,*  
*vel consuetudinem, donec elapsum sit tempus requisit-*  
*um ad legitimam consuetudinem inducendam; nisi*  
*fortè Princeps etiam tunc, quando contra legem aut*  
*consuetudinem faciunt, id sciat, & toleret, aut nisi è*  
*bona fide excusetur.*

---

## C A P V T XII.

*Praxis circa Materiam prædictam ex*  
*Societatis IESV schola.*

14. *Varij ca-* **P**ontifex legem promulgat; Episcopi, & Principes, qui tunc  
*sus de te-* viuunt, non admittunt; ad quid successores tenentur? Ex  
*gibus.* Becano respondeo omnino eos ab huius legis obserua-  
tione excusari; quia verè non extat tunc, cum ad illos  
pertinet dominatus.

*Quamnam ætatem leges ligare incipiunt? Affirmo non li-*  
*gare ante septennium, etsi subditus vsum rationis ha-*  
*beat; quia ad ea, (Sanchez ait) quæ frequentius acci-*  
*dunt, leges adaptantur: per accidens autem est, ali-*  
*quem ante septennium vsum rationis pollere.*

*Ut lex per non vsum abrogetur, requiritur ne certum tem-*  
*pus, v.g. decem annorum? Sentio cum Suarío non requiri,*  
*sed solum populi repugnantiam per actus contrarios*  
*sufficere; quia nullum ius præscribere certum tempus*  
*inuenitur.*

*Examen I. De legibus in communi.* 43

inuenitur. Imo Azorius affirmat sciente Principe, & non repugnante, & eius auditoribus, & Episcopis duos, vel tres actus contra legem sufficere.

*Dixisti, quod quando ratio legis cessat in totum, legem etiam in totum cessare: requiro, num cessante fine adaequato legis in aliquo casu particulari, cesset etiam obligatio legis? Respondeo cessare; quia valet argumentum de toto ad partem, sicut de toto ad totum. sic Granados opinatur.*

*Lex ne fundata in presumptione, obligat in conscientia, si contingat presumptionem aliquo in casu esse falsam? Non obligat; quia haeres. v.g. qui non confecit inuentarium, non tenetur, (vt innuimus) in foro conscientiae debita, vel legata defuncti soluere, si excedant vires haereditatis. sic Laymanus.*

*Dixisti legislatorem, qui superiorem non habet, teneri legibus quae omnes obligant vi quidem non coercitiua, sed directiua: vogo, num lethaliter delinquat illas non obseruando? Respondeo ex doctrina Lessij non peccare; nisi iurauerit, se illas seruaturum.*

*Dubitas, an lex sit vsu recepta, vel an obliget ad mortale: cuiusmodi sententiae est tibi adherendum? Mitiori; quia melior est conditio possidentis. sic Azor. Vnde similiter Meratius affirmat, in dubio, an consuetudo sit inducta ex obligandi intentione, vel tantum praetextu deuotionis? hoc posterius esse eadem ratione praesumendum.*

*Certus es de lege imposta, sed tamen dubitas, num ratione alicuius necessitatis, vel alterius circumstantiae excuseris? Cum Salas sentio, me non teneri eam seruare, si eius executio mihi incommoda sit, & molesta.*

*In dubio circa legem, est ne epicheia locus? Minimè, sed seruanda sunt verba legis, vt sonant; quia lex est in possessione. ex Suario didici.*

*Tenentur ne Regulares leges Episcoporum Synodales obseruare? Minimè nisi ex decencia, & ad scandalum vitandum, vt Suarius docet. Sunt tamen multi casus, in iure expressi, in quibus Religiosi exempti legibus ac sententiis Episcoporum tenentur.*

44 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*

*Lex pœnalis Ecclesiastica puta excommunicationis, suspensionis, &c. obligat ne sub mortali? Obligat ex communi Doctorum sententia. Attamen probabile cum Valentia reputo non obligare excepta pœna excommunicationis.*

*Num pœnalis lex, siue mixta in materia graui, que aliquid v.g. sub pœna capitali vetat, confiscationis bonorum, damnationis ad trirèmes, &c. obligat sub mortali? Obligat; quia pœna grauis grauem culpam supponit, vti Vasquez affirmat.*

*An regule Cancellariæ obligent in foro interiori? Nô obligant. Quare donatio inter viuos. v. g. per Episcopum facta intra viginti dies ante obitum valet in foro conscientiæ, licet per regulam Cancellariæ in foro externo sit nulla. Baldellus sic.*

*Si subditi sciunt superiorem iudicare consultum, vti aliquid ab ipsis geratur, idemque velle, aut optare: exequi ne illud tementur? Non, si superior voluntatem obligandi externo præcepto non intimat. Laymanum sequor. Interim consilij tibi sit, quodcunque signum iustæ voluntatis Prælati instar præcepti habere.*

*In quo differt lex seu statutum commune à præcepto seu mandato ad personas singulas tendente? Respondeo ex Laymano in eo quod lex seu statutum perpetuò manet ob continuam communitatis successiõnem: neque extinguitur nisi à legislatore, eiusve successore reuocetur, vel derogetur desuetudine: præceptum autem, seu mandatum tendens ad personas singulas cum ipsis plerumque extinguitur, imo etiam per mortem præcipientis.*

*Quandonam à foro seculari ad Ecclesiasticum licet recurrere? Quando secularis iudex nolit iustitiam administrare, inter Christicolos Ecclesiasticus iudex adiri potest. Præterea si ciuiles leges peccata foueant, & animarum salutem repugnent, ad Ecclesiasticam potestatem pertinet prohibere. Laym. & alij.*

*Dixisti actus internos ab humana potestate præcipi, vel prohiberi?*


*Examen I. De legibus in communi.* 45

prohiberi posse concomitanter, quatenus requiruntur ad actuum externorum moralem substantiam: rogo, utrum si ebrius, dormiens, aut mentis inops dicat Horas Canonicas, præcepto satisfaciatur? Non satisfacit, sed ad mentem si redeat, debet iterum recitare; quia illa actio humana non fuit. Si autem aliquis in somno (*Layman* addit) mentis impotentia, vel per vim adductus decimas soluat Parocho, materialiter & in effectu satisfactum est legi; quia effectus ille imperatus non requirit à legislatore voluntatem, sed quod efficaciter decimæ solvantur. Qui autem ob metum opus præceptum exequitur, satisfacit ne legi? Ita planè. v.g. puer, qui à Pedagogo metu adactus Missam attentè audit, licet expressam habeat intentionem non audiendi, si Pedagogus abesset: nihilominus opus præceptum implet, nec aliam Missam tenetur audire; quia licet inuitus actionem assistendi ab Ecclesia imperatam implevit. Peccat tamen secundum affectum internum peccato commissionis, ex *Laymano* didici.

In his, quæ ad corporis naturam pertinent propagandam, & conseruandam tenemur ne alienæ potestati obedire? Homo in his sui iuris, esse debet, & soli Deo subiectus. Quæ causa est, (loquor cum eodem Doctore) vt serui dominis, parentibus filij obedire in matrimonio contrahendo, aut virginitate seruanda non teneantur.

Valet humana potestas interdum præcipere, aut prohibere aliquid cum periculo mortis? Possè *Laymanus* affirmat si videlicet ex obseruantia legis aut præcepti maius Reipublicæ commodum speretur: vel ex neglectu maius incommodum timeatur, quàm priuatum periculum mortis debeat æstimari.

Obligatio legis extenditur ne ad actus præteritos? Solum extenditur ad futuros. Quatenus tamen lex declaratoria est (addit *Laym.*) etiam ad actus præteritos se extendit.



## EXAMEN II.

De legibus in particulari circa Materiam  
Primi Mandati Decalogi de  
Diligendo Deo.

## CAPVT PRIMVM.

*De Decalogo nonnulla praeimitto.*

15.  
Decalogi  
commu-  
nia.



Notam sunt Decalogi praecepta, (vt legum in parti-  
culari diuinarum feriem discutiamus) & quam  
in parte sacrae paginae continentur? Sunt decem,  
Exodi vigesimo capite exarata. 1. Non habebis<sup>9</sup> Deos alie-  
nos coram me. 2. Non assumes nomen Dei tui in vanum.  
3. Memento, vt diem Sabbathi sanctifices. 4. Honora pa-  
trem tuum, & matrem tuam. 5. Non occides. 6. Non  
Mæchaberis. 7. Non furtum facies. 8. Non loqueris con-  
tra proximum tuum falsum testimonium. 9. Non concupisces  
uxorem proximi tui. 10. Non desiderabis domum proximi  
tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, non om-  
nia, quae illius sunt.

Sunt ne praecepta haec naturalia, an positiua diuina? Sunt  
naturalia, tertium si excipias; quamuis enim ex iure  
naturali Deum certo die colere teneamur, determina-  
tio tamen talis diei vel fuit ex praecepto diuino positi-  
uo, vt in veteri lege Sabbathi sanctificatio: vel est ex  
praecepto positiuo Ecclesiastico, vt modo obseruantia  
Dominicae, vel solemnia sanctorum.

Quare Praecepta Decalogi sunt forma negandi ferè expressa?  
Id factum tribus de causis. 1. Quia ea forma valet ad  
coercendos impios à flagitiis. 2. Quia negatio latius pa-  
tet, quam affirmatio, vt praeceptum de non habendis  
diis alienis, quam de vno Deo colendo. 3. Quia nega-  
tio apertè includit affirmationem; si enim non habendi  
sunt

*Examen II. De diligendo Deo.* 47

sunt dii, ergo vnus Deus colendus: similiter sub affirmatione negatiuum continetur, vt sub præcepto honorandi parentes, de iisdem non contemnendis præceptum includitur.

*Quo differunt negatiua ab affirmatiuis? Affirmatiua quidem obligant semper sed non pro semper, id est omni tempore; non enim teneor omni tempore parentes honorare: negatiua autem obligant semper, & pro semper; nullo enim tempore licet fornicari, furari, &c. illa quidem omissionis, hæc commissionis peccato violantur.*

*Quale peccatum transgressio alicuius Decalogi præcepti? Mortale, nisi trium causarum aliqua excuset; 1. defectus deliberationis, 2. defectus pleni iudicij, 3. paruitas materiæ modo ad huiusmodi materiæ paruitatem contemptus non accedat, de quo figil. 2.*

*Præter hæc præcepta naturalia in Decalogo scripta sunt ne alia naturalia præcepta? Sunt equidem, & præcipua dilectio Dei, ac proximi; at tamen in illis implicitè continentur: nec in Decalogo adnumerantur explicitè, quia sunt principia naturalia, prima, quæ naturæ ducatu ostenduntur. Fateor communi opinione præceptum de diligendo Deo cum primo Decalogi non meritò confundi: Non habebis Deos coram me, quibus quidem verbis solum peccatum superstitionis, & idololatriæ, quod est contrarium Religionis, & patriæ virtuti, prohibetur. Igitur præceptum de proximo diligendo in materiam charitatis referendo, communi errore de præcepto diligendi Deum periculum facias.*

---

C A P V T II.

*Præceptum de diligendo Deo.*

16.

**Q**uoniam modo Deus est à nobis diligendus? Quemadmodum nos IESVS apud Marcum cap. 1. 2. ex præceptum Dei Deut. 6. diligendi.



48 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*

Deut. 6. docuit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Ex toto corde, id est, ex tota mentis intentione; ex tota mente, id est, ex toto intellectu; ex tota anima, id est, ex toto affectu; ex omnibus viribus, id est, per omnia externa opera; ex omni mente, id est, ex toto interno obsequio.

*Tenemur ne Deum summè diligere super omnia intensuè?* Non, sed solum appretiatiuè, hoc est, ut eum, eiusque amorem pluris, quam aliquam creaturam aestimemus; & propter illius amorem potius mortem oppetere, quam ipsum vel corde, vel verbo, vel opere mortaliter delinquendo negare.

*Num tenemur, perpetuò in actu diuini amoris esse?* Minime; nec enim huiusce miseræ vitæ conditio somno, aliisque diuerticulis aberrans patitur.

*Quando nam hoc præceptum sub mortali obligat?* Cùm sit affirmatiuum non pro quocunque obligat tempore. Existimo itaque solum obligare pro eo tempore, in quo homines tenentur actui contritionis operam dare.

*Quando autem contritio procuranda?* Cum adest mortis periculum. Cum administraturus est, vel recepturus aliquod Sacramentum. Cùm actum ordinis solemniter facturus, v.g. cantaturus Epistolam cum manipulo, aut Euangelium cum stola, vel quamuis aliam actionem officio, Ordiniq; solemniter annexam, si criminis lethalis illigetur vinculo, & copia confessarij careat.

*Num delinquat, qui Deum amat precisè, quia ab eo accipit, vel sperat accipere seu spiritualia, seu temporalia bona?* Delinquit planè mortaliter.

## CAPVT III.

## De Adoratione.

**C**um in primo præcepto propriè, Dei adoratio præcipiatur, 18.  
 Adoratio expendit definitionem. Adoratio est exhibi- Adora-  
 tio reuerentiæ propter excellentiam illius, cui exhibe- tio.  
 tur. Eius tres sunt actus. Primus intellectus, quo adorati  
 excellentiam cognoscimus. Secundus voluntatis, quo  
 nos ei subiicimus. Tertius adorationis effectus, qua no-  
 stram subiectionem patefacimus.

*Quotuplex adoratio?* Alia interna, alia externa. Alia  
 latric, quæ debetur Deo; alia Hyperdulic, quæ debetur  
 B. Virgini; alia Dulic, quæ debetur Sanctis. Alia deni-  
 que absoluta, quæ conuenit rei intellectuali: & alia re-  
 spectiua, quæ conuenit rebus ratione carentibus, quæ  
 non propter se, sed propter alium honorantur.

*Num una Trinitatis persona possit distinctè ab aliis ado-  
 vari?* Potest, modò aliæ personæ explicite non exclu-  
 dantur.

*Sancti ne in celo degentes adorandi sunt?* Quis dubi-  
 tet, si etiam viri Sancti nondum relati in numerum  
 Sanctorum coli & adorari possunt cultu quidem priua-  
 to, non publico.

*Christus homo, id est subsistens in natura humana & diuina  
 adorandus ne est adoratione latric, qua adoratur Trinitas, &  
 singule Trinitatis personæ?* Maximè. At humanitas illius  
 per se, & præcisa persona Verbi diuini Hyperdulic est  
 adoratione colenda. Dum autem colimus Christum,  
 naturam humanam vt assumptam à Verbo diuino  
 adoramus, eique ineffabili vnionis vinculo an-  
 xam.

*Quid de sacrarum imaginum vsu?* Licitus est & hone-  
 stus, proponendæque imagines Dei, & Angelorum, licet  
 sint puri spiritus, eos per quandam metaphoram repræ-  
 sentantes; quia Deus aliquando sub forma visibili  
 apparuit.

D

apparuit.

50 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*  
apparuit. Imo adorari potest ipsamet imago, sed adoratione tantum respectiua.

*Num lignum Crucis Dominicæ, & alia passionis instrumenta, quæ Christum tetigere adoranda? Ita planè, patriæ quidem adoratione respectiua. At instrumenta quæ modo conficiuntur ad repræsentanda instrumenta illa, quæ in Christi sunt adhibita Passione, non possunt adorari præcisè quatenus repræsentant instrumenta antiqua, sed quatenus Christi passionem, sive Christum passum repræsentant.*

*Reliquiæ ne adorandæ sunt? Maximè, & deuotè quidem custodiendæ, eademque illis impendenda adoratio, quæ personæ cuius sunt reliquiæ tribuitur. Quidam per reliquias intelligis? Corpora, ossa, cineres, vestes, pannos, &c. quæ Sanctorum corpora, vel reliquias attigerunt. Admonuero tamen reliquias, quæ publicè exponuntur, non esse absolutè adorandas, nisi postquam fuerint per Papam, vel Episcopum approbatæ.*

---

#### C A P V T I V.

*Praxis circa prædicta ex Societatis*

*I E S V schola.*

18. *De diligendo Deo varij casus.* **A**N infirmus in articulo mortis constitutus teneatur in rigore, & ex præcepto charitatis in Deum elicere contritionis actum? Minimè, sed sufficit confessio cum attritione cognita; quia Concilium Trid. docet ad salutem, & gratiam à Deo impetrandam, sufficere attritionem cognitam cum poenitentiae Sacramento. Sic *Coninck.* Optimum tamen factu reor, in articulo mortis perfectum dolorem de peccatis mortalibus, quæ commisit in vita, propter Dei amorem ab ægroto excitari.

*Num liceat sanctum beatificatum sic honore prosequi, ut ex deuotione recites eius officium extra diem eius festum, aut commemorationem eius in Missa facias? Granados affirmat non licere,*

licere, & contra facientes peccare mortaliter. Existimo tamen non esse lethale, si id solum semel, aut bis fieret. Item quando conceditur aliquibus Religiosis facultas Missam de talibus Beatis celebrandi in suis Ecclesiis non posse illam alibi celebrare sub eadem poena sentit Granados, à qua semel aut bis contrarium gerentem absoluerim.

Quando in beatificatione alicuius Pontifex concedit Sacerdotibus alicuius Religionis, ut possint de illo Missam celebrare, licet ne aliis Sacerdotibus, seu secularibus seu Regularibus de eo Beato in assignata Ecclesia Missae celebrationi dare operam? Minimè; quia illud privilegium tantum conceditur Sacerdotibus illius Religionis, cum illi soli in Bulla exprimanter. Sic Turrianus & alij.

Potest ne Episcopus diem festum alicuius Beati nondum canonizati instituire? Sanchez negat, sed Suarius & Fagundes affirmant. Porro nec licet talem Beatum in publicis litanis inuocare, neque eius imaginem cum radiis vel diademate depingere, uti Bellarminus affirmat.


Si caro aut Sanguis Christi miraculosè in Eucharistia appareat: num adorandus? Adorare tenemur cultu latriæ Sic Canisius.

Potest ne imago, & exemplar adorari una, & eadem adoratione, qua prototypum? v.g. potest ne Crux Christi adorari latriæ adoratione, qua ipse Christus adorandus est? Potest, imò debet; quia imago cum exemplari, & exemplar in imagine adoratur. Ex Eodem.

An adoranda nomina IESU, & MARIÆ? Maximè, adoratione quidem respectiva, propter eum, quem repræsentant, & ad quem diriguntur. Adhuc Canisius.

Quidnam de cereis iuxta reliquias vel imagines Sanctorum accendendis, reliquiis ad collum appensas descendendis, agnis cereis adorandis? Licitum planè cereos accendere, deferre reliquias. Num speciale peccatum committitur ab eo, qui delinquit, cum reliquias ad collum gerit? Minimè. Agni denique cerei adorari debet uti imago IESU. At vèdi, aut minio, auro, aliove colore pingi sub excōmunicatione prohibentur.

*Ut reliquæ alicuius Domini recens inuenta possint adorari, quidnam præcedere debet? Sunt ab Episcopo approbanda. Ad huiusmodi autem approbationem requiritur in primis certitudo moralis, non autem euidentia, quæ nitatur infallibilibus argumentis: Deinde ut ille Sanctus sit canonizatus. Bellarm.*



### EXAMEN III.

De legibus in particulari circa Materiam de iuramento & Blasphemia.

#### CAPVT PRIMVM.

*Quid sit iuramentum, cuiusnam est virtutis actus, & quonam modo diuiditur?*

19.  
Iuramenti  
essentia  
& causæ.



*Quidnam iuramentum? Si nominis etymon spectes, Actio est, qua Deus in testem inuocatur; si interiori essentiam, Affirmatio est, vel negatio, sacre rei attestacione firmata, ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam. Tria quidem ad illud concurrunt, intellectus necessitatem, vel utilitatem proponens, voluntas iurandi intentionem addens, & lingua, sermone iuramentum complens.*

*Num malum intrinsecè iurare? Minimè, & ideo nec iure naturali, nec in lege gratiæ prohibitum, si debiti feruentur circumstantiæ.*

*Bonum ne iuramentum, debitis seruatis circumstantiis? Bonum planè, & actus Religionis, ad quam si debitus modus in iurando seruetur maximè pertinet.*

*Licetum ne per creaturas iurare? Ita quidem, neque id est à Christo prohibitum, nec alio positiuo iure, nisi scandalum adsit. Per irracionales absolutè iurari non potest, sicuti per rationales, ut Sanctos, & viatores: suo autem*

*Examen III. De iuram. circa Mandatum. 53*  
autem modo licitè potest : nullo autem modo per Dæ-  
mones , & damnatos.

*Differunt ne specie iuramenta per Deum & creaturas? Ab-*  
solutè loquendo non differunt ; si tamen creaturæ se-  
cundùm se sumptæ accipiantur, sic vtrique differunt.

*Quinam iuramenti finis ? Confirmatio veritatis ; ad*  
eam etenim iuramentum comparatur sicut principia ad  
conclusionem.

*Quotuplex est iuramentum ? Quadruplex. Assertorium,*  
in quo affirmatur, aut negatur aliquid præterea, vel præ-  
teritum. Promissorium, in quo futurum affirmatur, vel  
negatur promittendo. Comminatorium, in quo pro-  
mittitur malum pœnæ. Execratorium, in quo siue  
promittendo, siue asserendo, aliquid affirmatur, vel  
negatur, sibi apponendo pœnam iurante. Comminato-  
rium quidem ad Promissorium, Execratorium autem ad  
Promissorium, & Assertorium reuocatur.

*Assigna iuramenti materiam & formam ? Materia quidem*  
res contingens esse debet : verba autem, sufficientiæve  
signa sunt ad formam. Verum ex parte formæ triplex  
est. Primum verbale, cum fit solis verbis. Secundum  
corporale, cum solis corporis actionibus geritur. Ter-  
tium mixtum, cum signum ex verbis factis que compo-  
situm est.

---

## C A P V T II.

### *De iuramenti conditionibus.*

*Quanam adesse iuramento conditiones requiruntur ex parte* 20.  
*eius, per quem iuratur ? Debet per Deum verum fieri, Conditio-*  
ut obliget, siue explicitè, siue implicitè per creaturas in *nes iura-*  
ordine ad Deum. Nam si per falsos Deos fiat non obliga- *menti.*  
gat, nisi ratione erroneæ conscientiæ. Ideo infideles  
conuersi ad sua iuramenta non tenentur, licet tamen  
pacta inter eos inita firma sint ex obligatione iustitiæ,

54 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*  
vel fidelitatis. Nec fidelis si per Deos iuret ex vi iuramenti adstrictus est. Nec iuramentum per creaturas, quæ Deus existimentur, vt sol, &c. verum est. Qui per Dæmonem iurat, non manet obligatus, nisi ex falsa conscientia verum iuramentum ab aliquo censeretur. *Num per Sanctos Angelos, vel Homines obligaret, si ex intentione iurantis in eorum auctoritate fisteretur?* Minimè ex vi iuramenti; obligaret tamen (vri aduertit Filliutius) ex virtute Dulix, quæ Sanctis exhibetur illa promissio sub graui peccato. Iuramentum per creaturas sine ordine ad Deum non solum non obligat, verùm nec qui falsum, per lapidem iurat, periurus est, nisi vel idolum intelligatur, quo verus Deus ex errore censeatur: vel quid consecratum, & sanctum, tanquam creatura & scabellum Dei, quo pacto periurus esset.

*Ex parte item illius, qui iurat, quænam requiruntur conditiones?* Necessaria est libera voluntas eius, ideoque intentio deliberata, qualis ad mortale peccatum satis esset. Qui igitur iurare non intendit, non obligatur. *Intendo iurare, sed non intendo promittere: num obligor?* Ita planè: intentio enim non se obligandi cum iuratur, iuramenti obligationem non tollit, siue homini, siue Deo iuramentum præstetur. *Simulatum iuramentum obligat?* Cum prudenti fit amphibologia, & absque alterius iniustitia, non obligat; quia verum iuramentum non est; quando verò dolo malo fit licet ex vi iuramenti directè non obliget, teneris tamen ad illud implendum iuxta sensum intentum, & obligaris præterea ratione iniustitiæ, & damni inde secuti. *Extortum ne per iniuriam obligat?* Maximè, si absque peccato impleri possit; quia absolutè voluntarium. Et quamuis latroni factum irritum sit iure naturæ, confirmat tamen assertionem, quamuis minimè promissionem. Hinc iuramentum de soluendis vsuris inductorium dicitur, assert enim obligationem, & confirmat assertionem: *Soluam tibi vsuras. Iuramentum ne ex metu sine iniuria illatum obligat?* Maximè; & etiam si intercedat iniuria vim habet obligandi,

*Examen III. De iuram. circa Mandat. § 5*  
obligandi, si de materia capaci sit, & impleri honestè possit. *Obligat ne factum per errorem.* Si error sit in substantia rei, non obligat; error enim siue det causam contractui, siue incidat in contractum, obligationem aufert; si verò sit circa extrinsecam causam, non irritat, nisi materiam substantialem afficeret.

*Quenam denique conditiones requiruntur ex parte materiæ, circa quam sit iuramentum?* De re bona debet fieri, & ita emissum obligat quantum est ex se, nisi maius bonum impediatur. *Quid si maiori bono repugnat?* Probabile quidem est promissorium non obligare; at contrarium reputo probabilius. *Si sit de re mortaliter mala;* Non obligat, neque de mala venialiter. *Si sit de re indifferenti?* Etiam non obligat, nisi ad honestum finem referatur. *Num si fiat de mali operis omissione obligabit?* Ita equidem; minime autem de opere supererogationis, neque de mala re per diuinam legem positivam prohibita, neque factum contra prius iuramentum, aut votum, aut simplicem promissionem, modò honesta fuerit; neque si de re sit humana lege prohibita, vt Canonica, vel Ciuili, modò hæc de re sit, quæ sine peccato seruari possit; neque contra bonos mores naturales. *Non obligat iuramentum illicitè factum?* Potest obligare, modò ex illicita materia non sit, nec illicitæ promissioni iungatur.

---

### C A P V T III.

*De tribus conditionibus requisitis ad iuramenti  
sanctitatem, & de gravitate  
transgressionis.*

21.

**Q***uidnam in iuramento requiritur, vt sanctum sit?* Tres Tres con-  
conditiones habere debet, vt scilicet adsit veritas, ditiones  
iustitia, & iudicium: sine veritate est mendax: sine iu- ad iurā-  
stitia, hoc est, cùm sit de re illicita, est iniquum: sine menti  
iudicio, hoc est debita reuerentia, seu exigente sanctita-

D 4

oeca tem.



56 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
occasione & necessitate, est indecens. Ex defectu  
trium harum proprietatum iuramentum est pec-  
catum.

*Quodnam peccatum est veritatis defectus?* Mortale sem-  
per siue materia sit grauis, siue leuis, imò quò res est le-  
uior, eò grauius crimen. Incertum igitur, pro certo iu-  
rare, mortiferum est semper, & qui habitum pro falso  
iurat, licet verum sit aliàs, periurus est; secus si proba-  
biliter putauit verum, licet alias falsum esset. Sub dubio  
iurare, semper mortale, licet verum sit; quia me periurio  
expono. *Num consuetudo iurandi mortalis sit?* Si cum  
veritate fiat, mortale peccatum non est; secus si pro-  
miscuè, hoc est, etiam cum admixta frequenter falsitate,  
sine debita addita cautela, tunc enim iuramenta illa  
periuria censentur: secus si cautela plerumque adhi-  
beatur, licet aliquando quis in falsum prolatur.

22.  
Trans-  
gressio iu-  
ramenti.

*Est ne mortale crimen defectus iustitiae?* Profectò mortalis  
est defectus huiusmodi in materia graui, venialis autem  
in leui materia. v.g. iuro per Deum me ab hoste vindic-  
tam sumpturum: si vindicta sit grauis, grauius deli-  
qui; si leuis, leuiter. *Quid si non intendam implere, sed ter-  
roris gratia solummodo iurauit?* Siue grauis vindicta verba  
sint, siue leuis, mortale crimen est; quia veritas abest.  
Vnde in leui materia quando v.g. parentes, aut domini  
filiis aut famulis, adhibito iuramento minas iactant,  
oportet implendi habere intentionem, licet iniusta sit  
vindicta; quia illa leuis iniustitia solummodo venialis  
est, at intentionis defectus mortalis, ob absentiam veri-  
tatis. *Quodnam, si postquam cum intentione iurauit leuem filij,  
v.g. aut famuli percussione, mutata voluntate, non impleri?*  
Si supplicium illud erat iniustum, satius non opere exe-  
qui: quia venialis executio, sicut venialis iuramenti ini-  
iustitia; si autem iusta vindicta, in re graui, scilicet,  
quando ex indulgentia graue malum exoritur, mortale  
est: in re leui, veniale non adimplere. *An mortale non  
implere iuramentum promissorium?* Non semper, vt si de re  
sit illicita; alioqui si licita res sit, & voluntariè non  
implea

*Examen III. De iuram. circa Mandat. 57*  
impleatur mortale est, nisi materiæ leuitas excuset.  
*Peccatum ne absque intentione iurare?* Iurare quidem non  
absque intentione implendi (de quo supra) sed absque  
iurandi intentione, ex genere mortale est, etiam si cum  
veritate: non autem mortale, cum iniuste exigitur iu-  
rumentum. *Iuro rem malam impossibilem, grauitè ne delin-  
quo?* Non, si cum ignorantia iuras, quod sit impossibilis.  
*Iuro me peccatum commissurum: quoniam me crimine illigo?*  
De veniali committendo, veniale iuramentum est: de  
mortali, mortale.

*Iuramentum absque iudicio aut necessitate, est ne mor-  
tale?* Non, sed solum veniale, nisi modus incautus, &  
temerarius esset.

---

## C A P V T I V.

### *De iuramenti amphibologia.*

**V***Ti in iuramento amphibologia, hoc est, verbis alio sensu,* 23.  
*quàm alius accipiat, est ne peccatum?* Malum intrinsecè *Amphi-*  
non est, sæpe peccatum esse potest. Ex causa quidem ho- *bologia*  
nesta periurium dici non potest, & si verba sint æquiuo- *iuramētī.*  
ca, ex honesta causa amphibologia vti licitum est. Si  
tantum huiusmodi æquiuocatio sit in mente, nec eam  
verba ipsa includant probabilis sententia est, haud lici-  
tum esse iurare: sed probabilius illicitum non esse.

*Verba ne aliqua honestari possunt, vt iuramenta non sint,*  
*licet communiter iuramenta habeantur?* Pluribus Sanchez  
huic quæstioni satisfacit, consulendus. Interea nonnulla  
verba huiuscemodi à iuramento libero. *In mea conscien-*  
*tia, cum intendo animum ipsum exponere, iuramen-*  
*tum est: cum solum cognitionem, minimè. Per salutem*  
*meam, Per meam vitam, sic Deus me adiuuet, &c.* Si intendo  
animum ipsum periculo addicere iuramentum est: si  
non animum, sed exteriorem viuendi rationem, vt est  
cibus, potus, cultus, aër, &c. non est ex Saa & aliorum

58 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*  
sensu iuramentum. Alios loquendi modos adinuenit  
desiderium non peierandi, scilicet, *Possum iurare per*  
*Deum, per Christum: iurabo per Deum; si iuro per Deum, quare*  
*mibi fidem non prestas?* Qui quidem loquendi modi licet  
imperitis, vel incautis iuramenta videantur, verè, cum  
nihil affirmetur, sed suspensa sit oratio, iuramenta  
non sunt.

---

C A P V T V.

*De commutatione dispensatione, & interpreta-*  
*tione iuramenti.*

24. *Comm-*  
*tatio, Re-*  
*laxatio,*  
*interpre-*  
*tatio iu-*  
*ramenti.*  
**P**otest ne iuramenti obligatio auferri? Variis equidem  
modis. Primò, irratione, cum iuramentum aufer-  
tur ex parte materiæ, ob dominatiuam potestatem, v.g.  
parentis, mariti. Secundò, Dispensatione, cum eius obli-  
gatio soluitur per superioris facultatem. Tertiò, Condo-  
natione, siue relaxatione, cum obligatio à creditore re-  
mittitur. Et quidem Promissorium potest irritari, nec  
in huiusmodi irratione causa requiritur ad valorem.

*Quinam irritandi iuramenta obtinent potestatem?* Papa  
irritat ex materia ipsi subiecta, vt etiam laicus Princeps,  
nec non parentes realia & personalia filiorum iura-  
menta; Domini seruorum, tutores pupillorum in qui-  
busdam casibus. Directè absque materiæ mutatione  
probabile est, irritari non posse. Homini factum per  
condonationem auferitur, vt dixi, etiam si intuitu Dei  
factum sit: & certè huiusmodi condonatio peti potest  
ab eo, in cuius vtilitatem iuramentum factum esset.  
*Mutuo iurante, per modum reciproce promissionis, in mutuum*  
*vtilitatem factæ?* Remittere ad inuicem possunt; si intui-  
tu diuini seruitij, non possunt. *Quid si vnus ex pietate in*  
*Deum, alter verò solo respectu humani contractus iurauerint?*  
Remittente vno, v.g. paupere promissa à diuite sponsa-  
lia propter Deum, diues liberatur.

*Potest*

*Examen III. De iuram. circa Mandat. 59*

*Potest ne in promissorio dispensari? Et quisnam dispensandi facultate fungitur? Potest quidem per subtractionem materiae, qua dispensans vice Dei debitum remittit, vel commutat in aliud. Et quidem Episcopi ordinariam potestatem in dispensando habent, praeterquam in reseruata.*

*Num iuramenta homini praestita absque eius consensu relaxantur? Minimè, nisi cum turpitudine creditoris esset, tunc enim, eo inuito, relaxari possunt.*

*Quae autem Deo soli sunt facta? Papa cuncta relaxat, Episcopus suorum non reseruata subditorum. Ciuilibus potestas non relaxat, neque dispensat hoc modo. Etiam periurus dispensari potest, siue periurium occultum sit, siue publicum.*

*Requiritur ne causa relaxationi? Maximè, & sola turpitudine ex parte iuramentum exigentis, satis est; vt etiam graui cum iniuria quilibet metus.*

---

C A P V T VI.

*De Blasphemia, & Maledictis.*

**Q***uid est Blasphemia? Laus Dei, quae in secundo Praecepto continetur, manifestatio quaedam est alicuius excellentiae cum affectu voluntatis. Laudi opponitur Blasphemia, verbum scilicet maledictionis, conuictij, vel contumeliae in Deum. Non omnis Blasphemia contra fidem? Non; quia nec omnis cum interiore assensu falsi.*

*Quotuplex illa? Multiplex, tum ratione verbi quod in Deum profertur; tum ratione formae loquendi; tum ratione obiecti, in quod contumeliosum verbum effertur; tum denique ratione grauitatis.*

*Si quando effertur in sanctos erit ne Blasphemia? Erit planè, si simul de Deo cogitetur intentione illi detrahendi; vel proferatur in Sanctum sicuti in amicum, vel*  
ministrum

60 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*  
ministrum Dei: secus si tantum consideretur excellen-  
tia sanctitatis, in qua talis respectus fundatur; tunc  
enim erit tantum imperfectè, & indirectè Blasphemia.

*Quodnam peccatum Blasphemia?* Ex suo genere pecca-  
tum mortale & quidem inter grauissima, grauius ta-  
men odium Dei, hæresis, & desperatio. Distinguitur  
eius malitia ab infidelitate, atque periurio; & omnes  
eiusdem speciei sunt, si hæreticales excipias. Denique  
quæ in Deum, & in Sanctos effertur, ad eandem specie  
malitiam reuocatur.

*Num aliquando venialis Blasphemia?* Consuetudo qui-  
dem absque aduerrentia, lethale peccatum non facit,  
eadem autem si voluntas directæ, vel interpretatiua Bla-  
sphemandi adsit, mortale peccatum erit.

26. *Quidnam de maledictionibus in creaturas dicendum?* Male-  
dictum contra creaturas, tanquam quid Dei, Blasphemia est. Si rationales maledicantur oprando illis graue  
malum, mortale crimen est; si leue veniale. Irrationa-  
les verò si secundum se maledicantur, veniale erit, se-  
cus si ratione Domini, cui graue malum desideretur)  
lethale enim peccatum esset. Admonuerim rarò quem  
cum intentione deliberata maledicere, licet ex præci-  
pitatione sibi plenè desiderare quod imprecatur proxi-  
mo, videatur. Regulam accipite, quam magis ab experi-  
mento, quam auctoritate accepi. Saepe indignationis  
feruore maledicta iactas, quæ magis ex præcipitatione  
indignationis, quam ex libertate procedunt. Assoles  
interdum in amicos indignari, vt filios, famulos, vici-  
nos: interdum in inimicos; cum ex inimicitia affe-  
ctu maledicta prodeunt, plerumque cum plena in-  
tentione feruntur: cum autem in amicos rarissimè ex  
intentione exoriuntur, sed solùm ex perturbationis  
ebrietate: vnde lethalia peccata non erunt. Si inter-  
rogeris mox post prolationem maledicti, num intendas  
filium, aut famulum à diabolo arripi? respondebis:  
Minimè planè. Fateor quosdam tam immoderata pas-  
sione perturbari solere, vt etiam illo instanti vel filios  
inten

*Examen III. De iuram. circa Mandat. 61*  
intendant deperire. Id quod prudentiæ Confessarij ex  
diligenti examine relinquo.

C A P V T VII.

*Praxis circa prefata ex Societatis IESV schola.*

**Q**uotplex in promissorio iuramento obligatio? Directè 27.  
obligat Deo, nisi cum humana promissione iungatur; tunc enim ad utrumque obligatio nascitur, Deo scilicet & homini ex promissione simplici, quæ quidem per iuramentum augetur non modò extensiuè, sed etiam intensiuè: non tamen ita ut diuersæ speciei obligatio confurgat. Ex *Filliutius* accipi.

*De iuramento  
varij casus.*

*Prestari ne iuramentum potest per procuratorem?* Ex rei natura posse affirmat *Filliutius*, quamuis humano iure personaliter debet emitti.

*Potest ne communitas iuramento obligari?* Maximè, ad quod singuli requiruntur de communitate, vel saltem pars maior. Ex *eodem*.

*Transit ne iuramentum ad iurantis successores?* Minimè; (ait *Filliutius*) vinculum enim personale est. At ad successores eius, cui iuratur, utique transit.

*Quidnam de iuramenti interpretatione?* Ex duobus maximè principiis pendere asserit id em *Doctor*. Primum est, iudicandum esse iuxta naturam actus, cui adiungitur. Alterum strictè interpretandum esse, quoad materia, & verba permiserint. In dubio de iuramento præfinito, nec ne? Haud obligare docet *Filliutius*, idem, si dubium sit de verborum significatione. *Dubius autem de intentione?* Obligatur, si certus est de iuramento: ut etiam dubius de impletione, certus de factò, ad implendum tenetur. *Si dubium, an de re licita factum sit?* Tunc implendum in eo, quo de re licita possit esse: vbi autem dubia materia iuramenti esset, non obligaret. Idem *Pater*.

*Transfertur ne iuramentum ad materiam commutatam?*  
Non

Non transferri probabile *Filiutius* reputat, attamen transferri asserit probabilius.

*An Blasphemia, & iuramenta falsa orta ex prava consuetudine, & per inadvertentiam prolata letibalia sint? Negatiuè respondeo cum Suario. Quare ita iurantibus non est deneganda absolutio, sed admonendi quidem, vt se accusent de negligentia circa huiusmodi consuetudinem extirpandam.*

*Iuramentum de seruandis statutis ciuitatis, &c. extenditur ne ad statuta, quæ in desuetudinem abiere? Minimè; cum enim per contrariam consuetudinem sint abrogata, illa non obseruantes periuri non sunt. Sanchez ita.*

*Num obligat iuramentum ex metu vel dolo adiectum contractibus inualidis, & de iure reprobatis? Minimè obligare probabile docet *Rebellus*.*

*An iuramentum seruandi castitatem vel Religionem ingrediendi sit per Episcopum dispensabile? Scio ex *Ledesma* & *Nauarro* probabile asseri; sed probabilius affirmo haud dispensabile; quia omne iuramentum Deo factum votum includit.*

*Erit ne in foro conscientie periurus, qui quod audiuit à viro fide digno simpliciter assermet, & extra iudicium iuret esse verum? Huiusmodi hominem à periurio *Sanchez* defendit.*

*Iuramentum promissorium de faciendo peccato veniali, quodnam peccatum est? Veniale tantum esse *Sanchez* idem affirmat.*

*Num liceat per falsos Deos ad iurandum inducere? Determinatè inducere mortale crimen est; petere verò iuramentum ab eo, qui per Deos falsos est iuraturus, per se malum non est, si debito modo fiat. sic *Filiutius*.*

*Peti ne potest iuramentum ab eo qui peieraturus nascitur? Potest, præsertim si persona publica sit qui petit; causæ tamen iustæ requiruntur. Ex eodem Doctore.*

*Indica periuri pœnas. Nec censuram, nec inhabilitatem vllam incurrit: aliquando ciuilibus incurritur infamia:*

*Cano*

Canonica verò tantùm, cum publicum præstatur cum malitia periurij. Insuper illa etiam poena periurus plecti solet, vt in testem non admittatur. Porrò blasphemia notoria iure communi non est Episcopo reseruata, nec ad publicè blasphemantem arguendum correctio- nis præceptum obligat, nisi spes emendationis effulgeat. Ex *Filiutio* carptim.


*Iuramenta æquiuoca non reprobasti, si debitè fiant: doctrinam queso vberius expendas.* Potest quis ex causa iusta absque periurio, vel mendacio aliqua verba vsurpare cum iurat, etiam si ex sua significatione non sint ambigua, & in alium sensum detorquere, alio equidem mente proferentis retento; non quidem ad fallendum, sed ad occultandam veritatem, quam non expedit manifestare. Exemplis practicis confirmo. Sacerdos interrogatus de peccato in confessione audito: potest respondere etiam (si opus est) addito iuramento, se nihil tale in confessione audisse, subintelligendo, tanquam priuatum hominem. Aliqua bona tibi necessaria abscondis, ne à creditore capiantur, & cogaris mendicare: potes interrogatus à iudice iurare, te nulla abscondita habere, subintelligendo, quæ manifestare tenearis. Potest quis iurare latroni daturum se pecunias absque intentione dandi, vtendo hac retentione mentali: *dabo si teneat.* Adultera rogata à marito, num admiserit adulterium, potest negatiuè iurare, concipiendo mente alium diem ab eo, quo illud admisit. Veniens è loco, qui falsò creditur peste infectus, rogatus potest iurare, se inde non venire, subintelligendo tanquam ex loco pestilenti. Num huiusmodi æquiuocationibus vti absque causa sit peccatum mortale? Minimè; quia huic iuramento deest solum iudicium seu discretio: modò ne id fiat in fraudem tertij, aut in iudicio, dum iudex iuridicè interrogat. Omnia ex *Sanchez*, & aliis.

*Num permissum omnibus iudicialiter iurare? Non, quia masculis ante decimum quartum annum, & puellis ante duodecimum, iuramentum solemne*  
in



64 *Moral. Theologia Tract. I. Leges,*  
in iudicio in causis ciuilibus interdicitur.

*An ratione circumstantiarum periurium possit esse veniale, scilicet ratione leuitatis materiae, vel coactionis, vel ignorantiae, vel inaduertentiae, vel ioci, seu intentionis non iurandi? Prædictis addiderim ex Busæo: Periurium in iuramento assertorio etiam in materia leui, semper mortale est: in promissorio veniale. Periuria coacta venialia sunt secundum Panormit. Sed assero mortalia esse cum D. Thomas; quia coactio periurium non efficit inuoluntarium. Ignorantia si crassa sit, vel affectata, à mortali non excusat; si verò sit inuincibilis & improbabilis, excusat à mortali, imò à veniali, si debita diligentia sit adhibita. Adde tamen peccare mortaliter eum, qui de re de qua dubitet, iurat sicut de certa. Inaduertentia excusat à mortali, quando lingua mentem præcurrit. Iocus denique à mortali non excusat.*



#### EXAMEN IV.

De legibus in particulari circa Materiam  
de Voto,

#### CAPVT PRIMVM.

*De Voti essentia.*

28.  
*Essentia  
Voti.*

**Q***uid est votum? Voluntaria & deliberata promissio facta Deo de aliquo bono meliori. Hinc fit primò propositum deliberatum requiri faciendi aliquid in cultum Dei, animumque se obligandi. Liber deinde esse debet actus hic supererogationis cum sit; ex metu tamen orto ex causis naturalibus vt ægri tudine, tempestate, &c. valet: ea itaque deliberatio requiritur, quæ ad mortale peccatum fatis esset; vnde si passio tanta sit, vt non adsit aduertentia erit actio indeliberata, & votum nullum; secus si aduertentia*

aduertentia non desit. Tertio, soli Deo colligo esse faciendum votum proprie loquendo; si autem fiat Sanctis vna promissione ad ipsos immediate ordinata, non est votum. Denique debet esse de bono meliori, de quo infra.

*Si substantiales conditiones voti ignorentur, erit ne validum?* Non, secus si tantum accidentales: eodemque modo si conditio ignorata pertineat ad causam finalem voti, votum irritum erit; secus si tantum ad motiuum; non refert autem, an ignorantia inuincibilis sit, vel vincibilis, nisi affectata esset.

*Num opus ex voto melius, quam sine illo?* Ita plane, & ceteris paribus magis etiam meritiorum.

*Quotuplex Votum?* Multiplex. *Personale*, id est promissio facta à vouente alicuius functionis personalis præstandæ. *Reale*, id est, promissio facta alicuius rei dandæ, vt eleemosynæ, &c. *Mixtum*, quod participat de utroque, v.g. vouere contra hostes fidei se pugnaturum. *Absolutum*, quod absolute emittitur. *Conditionale*, quod adhibita conditione. *Simplex*, quod consistit in nuda promissione. *Solemne*, quod sistit in actuali quadam dedicatione, & traditione proprii corporis, & libertatis acceptata ab eo qui vices Dei gerit, cum quadam solemnitate, qualitate, ac circumstantiis approbatis ab Ecclesia. Præterea votum diuiditur in purum, & pœnale, in internum & externum, in expressum, & tacitum; in occultum & publicum, de quibus omnibus patebit essentia.

---

C A P V T II.

*De Voti materia, & dissonis eius materialibus.*

**Q**uidnam voti materia? Totum id quod in Dei cultum potest promitti. Duplex est, vna proxima, humana scilicet actio, qua promittitur; & remota, vt in castitatis

29.

Materia  
Voti.

E

castitatis

castitatis voto est humanum corpus. Debet esse de re possibili, & non de re necessaria; quando autem esset de impossibili, non obligaret ad possibilem in illa inclusa. *Quid si materia promissa esset multorum actuum collectio?* Obligaret ad eos, qui possibilem sunt, nisi de voluntatis contraria intentione constet.

*Num votum de non peccando mortaliter, vel venialiter ex plena advertentia, validum?* De mortali utcumque validum est, de veniali autem ex plena advertentia etiam validum, secus de non peccando simpliciter.

*Actio mala est ne voti materia?* Minimè, imo nec indifferens; debet enim esse de bono meliori, quàm sit eius oppositum. v.g. ieiunium est melius, quàm non ieiunare; unde colligo votum contra prius votum, aut iuramentum, aut promissionem non valere. Valet autem actio bona sub turpi conditione, v.g. voueo eleemosynam, si furabor; quia post patratum furtum, melius quidem eleemosynam dare, quàm oppositum. Item bonus effectus ex turpi actu est voti materia, v.g. Voueo eleemosynam, si filius ex concubina nascatur. Similiter si fiat in gratiarum actionem pro actu turpi, v.g. Voueo calicem, si bello iniusto sit parva victoria. *Quid si fiat ob turpis actus impetrationem?* Non valet; vt Voueo eleemosynam ad vindictam obtinendam.

*Num res præcepta possit esse materia Voti?* Potest; quia de meliori bono actu illo rem illam Deo dicaui; unde actus omnis virtutis voti est apta materia.

*Num Matrimonium?* Coniugij votum per se non valet, quia contra melius castitatis bonum, nisi vel ob commune bonum præcepto teneatur, vel ratione periculi intemperantiæ, vel pietatis intuitu (vt si cum foemina paupere eo prætexu contrahas) cohonestetur.

*Obligat ne votum ex re bonum & malum includent?* Obligat planè ad id, quod bonum est, relicto malo.

*Sunt ne materia apta omissiones actionum, quæ sunt in præcepto, vel consilio?* Minimè, v. g. votum non dandi eleemosynam, vel non ingrediendi Religionem: at earum, quæ

*Examen IV. De Voto circa Mandat. 67*  
quæ neque sunt in præcepto, neque in consilio, vt non nubendi, non ludendi, valent.

*Sunt ne ex parte materiae voti diuisiones peculiare? Sunt 30.*  
equidem, diuiditur enim in reale, & personale: affirmatiuum, & negatiuum: perpetuum, & temporale: referuatum, & non referuatum. *Diuisio Voti.*

---

### C A P V T III.

#### *De obligatione Voti.*

**Q***uam voti obligatio? Oritur quidem ex voto obligatio fidelitatis, & iustitiæ, interueniente acceptatione Dei. Et ex suo genere grauis, & maior quam præcepti eadem de re, nisi præceptum ad superiorem virtutem pertineat, vt fidem, spem, charitatem.* 31. *Obligatio Voti.*

*Quam grauis huiusmodi obligatio? In graui materia ad mortale obligat, nisi vouentis intentio ad venialem tantum culpam se adstringat; in leui autem materia non obligat ad mortale, nisi ea ad grauem finem referatur: nec potest fieri votum ad solam obligans sine culpa pœnam.*

*De Voto dubius sum: quidnam à me præstandum? Si dubium sit, num factum Votum, ante diligentiam adhibitam teneris ad illud seruandum: post eam adhuc dubius liber es à promissione. Si tibi constat de facto voto, dubitas autem, num de licita materia sit, seruare teneris. Si dubitetur, an intentio adfuerit, attendenda verba, & si promissionem significet, illi standum: si tantum propositum, tenendum contra votum. In dubio de vsuruationis? Censendum pro libertate, vt etiam in libertatis dubio. Quonammodo igitur interpretatio facienda? Si circumstantiæ omnes determinatè intentæ fuerint, ad omnes votum obligat: si seruari aliqua non potest, seruandum quò ad alias; modò illa principalis non esset, traheret enim omnes ad se; si circumstantiæ non*  
E z *deter*

determineatur intentione, iuxta materiæ exigentiam obligabit; denique si ex his nil constet, expendenda sunt verba, & in dubio pro vouentis libertate erit interpretatio facienda.

*Ad singulas voti circumstantias descende, quonam modo obligent: Circumstantia, Quis?* Solus vouens obligatur. Communitas si voueat, ij soli ex ea obligantur, qui personaliter vouerunt, reliqui autem tantum ex præcepto. Et quamuis votum per alium fieri possit: at quoad internum consensum non nisi per seipsum.

*Circumstantia, Cui?* Soli Deo quis obligatur propriè loquendo: ratione tamen materiæ etiam ad aliam obligationem potest inducere.

*Circumstantia, Per quem, quonammodo ligat?* Si votum personale fit, non impletum per alium: si reale, debet impleri de suo, vt eleemosyna de propriis, sed per alium, v. g. feruum potest impleri: si mixtum, cessante obligatione personali, cessat etiam realis, vt in peregrinatione sumptus itineris. Hæres certè non tenetur ad vota personalia defuncti.

*Dic de Circumstantia, Quid.* Si neque ex verbis, neque intentione vouentis determinari possit, ad quid obliget votum, datur optio vouenti, vt ea eligat, de quibus æqua est incertitudo; vnde etiam mitiorem partem eligere poterit.

*De Qualitate quidnam?* Circumstantia *Qualitas*, nisi determinata sit ex verbis, aut materia, arbitrio vouentis relinquatur, modò bona si se procedatur. Idem de circumstantia *Quantitas* dicendum est.

*Cadit ne finis voti sub votum?* Minimè, neque sub obligationem, nisi vouens illum formaliter intendat.

*Cadit ne modus?* Nequaquam, nisi vel ad actus substantiam pertineat, vel directè promissus sit.

*Quid de loco?* Arbitrio vouentis relinquatur, nisi exprimatur.

*Denique quid sentis de Tempore:* Votum negatiuum statim obligat, & pro semper, nisi à vouente limitetur; affirma

*Examen IV. De Voto circa Mand. 69*

affirmatiuum autem pro tempore, quo fit, determinando ex verbis, vel intentione, vel vouentis prudenti arbitrio.

*Quantum durat Voti obligatio?* Cùm actio tanquam onus diei vouetur, die transacto votum eius non manet: secus si tanquam terminus dilationis, eo enim elapso vrget obligatio. Certè in votis realibus terminus ad dilationem, solet apponi, vt in voto elemosynæ, ideoque statim post terminum, soluendum erit. *Qui præuident se præfixo tempore ieiunia voto imposta non impleturum?* Tenetur præuenire; terminus enim est tantùm ad differendam obligationem; secus quando tanquam onus diei præfixa essent. *Si tempore præfixo non impleatur est ne compensatio facienda?* Haud necessariò facienda est, siue intercedat culpa, siue non.

*Quando autem Voti obligatio cessat?* Finali causa cessante votum cessat; secus si motiua tantùm fuisset. Mutatio in circumstantiis tanta si esset, vt ab initio si fuisset, impediuiisset votum; etiam impedit factum. In ordine autem ad voluntatem, manente re ad obseruandum possibili, remanet etiam regulariter obligatio, nisi obseruationem mutatio reddat inhumanam, vel nimis duram: tunc enim vel tolleret, vel suspenderet.

*In casu necessitatis, articuli mortis, iacturæ in fama, honore, salute corporis, & similibus cessat-ne obligatio?* Maxime, nisi cum speciali reflexione votum fiat circa tale periculum.

*Quid de conditionalis Voti obligatione?* Ante conditionem impletam conditionalis non obligat: & si quidem pœnale sit, impediri semper conditio potest; v.g. si lusero, dabo centum. Si ab alterius arbitrio pendeat, non debet eius consensum fraude, vel vi impedire, precibus tamen posset. Si à naturalibus causis pendeat, bona fide procedat vouens, & satis erit. Denique si conditio absque vouentis culpa non impleatur, nulla oritur obligatio; si eius culpa, adhuc inter Doctores dissidium est.

## CAPVT IV.

*Quisnam possit vouere?*32.  
*Vouens.*

**P**otest ne omnis rationalis creatura votum emittere? Potest Angelus, potest & homo. Ille potuit quidem dum viator fuit. Ex hominibus autem qui rationis vsu caret, capax voti non est, ceteri, si viatores, possunt vouere.

*Potest ne quis reddi inhabilis ab Ecclesia ad vouendum?* Potest, imo de facto redditus est qui metum grauem patitur, & annos pubertatis non excedit inhabilis ad solemne, imo & qui decimum sextum annum non compleuit; ad simplicia etiam reddi posset, sed de facto nullus est redditus. *Num personæ specialiter subiectæ vt Religiosi prohibiti sunt vouere?* Minime, ideo valent eorum vota quandiu per superiorem non tollantur; nec de materia prohibita fuerint. Possunt quidem illi in materia præceptorum, vt recitandi Horas Canonicas, ieiunandi, &c. personalia vota emittere, eodémque modo de iis, quæ per regulam præcipiuntur. De actionibus nec præceptis, nec prohibitis, sed de consilio, idem dicendum. De prohibitis fieri sine licentia, vota validè fiunt; sed non obligant, ad executionem, nisi superior dederit facultatem. Secus de iis, quæ simpliciter prohibita sunt fieri; illa enim inualida sunt. Actio supra regulam, vt transeundi ad arctiorem, capax est validi voti, & obligat independentè à Prælati consensu.

*Num vxoris valida vota?* Ita planè; quia vxor subditur viro in iis, quæ ad coniugij vsum pertinent, & familiæ gubernationem, non in iis, quæ ad animi salutem spectant. Quod si debitum coniugij obsequium impediunt, valida non sunt nisi de viri consensu: Idem assero de viro vicissim, quò ad vota ad coniugalem vsum spectantia.

*Quid de Filiis familias?* Validè vouent de honestis actiōni

*Examen IV. De Voto circa Mand.* 71  
actionibus, quæ tamen debitam parentibus subiectionem non impediunt. Id quod de seruis afferendum circa actiones, quæ sui iuris sunt, ut orare, ieiunare: in aliis, in quibus pendent à Dominis, ipsorum consensus exigitur. Profectò in præfatis personis realia vota valida non erunt absque dominio pecuniæ, & liberæ eius administrationis. Vnde Religiosi eiusmodi vota facere non valent, neque de communibus bonis uxores, aut dotalibus sine consensu viri; nec filij familias de bonis paternis, sine consensu patris; nec serui de bonis domini, eo non annuente.

---

C A P V T V.

*De delictis Voto contrariis.*

**Q**uoniam modo in emittendis votis potest delinqui? Primò, si temerè, quod ordinariè culpam venialem non excedit. Secundò, si fiat fictè, animo scilicet se non obligandi, id quod veniale peccatum tantum est. Tertio, si factum sit animo illud non seruandi, & id ex genere suo est mortiferum. Quarto, si fiat ob malum finem grauitè, lethale est; leuiter verò, veniale. Quintò, si fiat de materia incapaci peccatum est: de actu quidem moraliter malo, malum etiam est tale, qualis est actus: de re indifferenti vel circa consilium, veniale tantum est.

*Quale crimen est voti fractio?* Intrinsecè mala est, & quædam infidelitas, siue commissionis peccatum sit, siue omissionis: vna specie transgressio est, etiam si materia diuersa specie sit. Si materia præcepta sit, ut castitatis, duplex erit in fractione malitia. Ex suo genere voti violatio grauis est, leuis ex leui materia, siue hæc totalis sit, siue partialis. Ex partialibus omissionibus grauis materia potest integrari: secus si diebus singulis obligatio extinguitur. *Est ne peccatum de voto pænitere?*

33.  
*Delicta  
contra  
Votum.*



72 *Moralis Theologiæ Tract. I. Leges,*  
Et quidem mortale si efficaciter pœniteat; si ineffaciter, veniale tantum.

C A P V T VI.

*De Voti irritatione, dispensatione, & commutatione.*

34.  
*Irritatio  
Voti.*

**Q**uidnam & quotuplex irritatio? Est ablatio voti per actum liberum eius, à quo pendet. Duplex est, & ex parte materiæ, quæ sit in alterius potestate; & ex persona, quæ sit alteri subiecta, vt impubes patri, religiosus Prælato.

*Num ex parte materiæ omnia vota possint irritari, & ex parte personæ? Verum ex parte materiæ omnia vota possunt irritari fidelium, excepto Papa: non ex parte personæ.*

*Quisnam huiusmodi ex parte materiæ vota valet irritare? Papa omnia vota fidelium, Episcopus suorum subditorum, Domini reali a seruatorum vota, non personalia, nisi sint in ipsorum præiudicium. Pater vota puberis ex parte materiæ, impuberis autem omnia potest, etiam si quando irritat, pubes sit, semel autem irritata non reuiuiscunt. Coniuges directè non irritant, sed ex materia, ea, quæ coniugij vsui præiudicare queunt, vel gubernationi in vxoribus: quod etiam extenditur ad vota ante matrimonium emissa. Prælati tam indirectè quàm directè subditorum Regularium vota irritare possunt, excepto voto ad arctiorem Religionem transeundi. Si superior confirmarit emissum à subdito votum? Inferior Prælatus non irritat: à se tamen confirmatum idem irritare potest.*

*Causa ne ad irritationem voti requiritur? Non quidem ad valorem, sed ad iustitiam requiritur causa.*

35.  
*Dispensatio  
Voti.*

*Alius modus soluendi vota est dispensatio: quidnam hæc? Relatio quædam iuris est ab habente legitimam potesta*

potestatem. In Papa ordinaria potestas dispensandi est respectu omnium, Episcopi etiam eandem habent respectu subditorum, si reseruata excipias. Quilibet autem in particulari à suo superiori dispensatur, Papa uero vel à se ipso, vel à suo Confessario, cui hanc potestatem ille commiserit. Delegari etiam hæc facultas potest habilibus personis, quales Clerici sunt.

*Qui possunt in votis dispensare, si ea iurata sunt, dispensant?* Probabile, quod dispensare possunt: probabilius cum Fillutio affirmo, quod non possunt in votis iuratis dispensare.

*Extenditur ne hæc potestas ad vota in incommodum tertij?* Ita quidem, modò acceptata non sint: tunc enim etiam tertij consensus requireretur.

*Causa ne ad dispensandum requiritur?* Maximè. Illas præcipuè causas assigno, indiscretum uouendi modum; materiam, quæ ruinæ sit spiritualis occasio; personæ conditionem, ut si maius spirituale bonum uouentis impediatur; mutationem materiæ, quoad difficultatis, vel incommoditatis magnitudinem; necessitatem vel utilitatem ad publicum pertinentem bonum; denique si consideratis omnibus, ita prudens arbitretur.

*Quenam sunt Papæ vota reseruata?* Quinque tantum, Religionis, Castitatis, Ierosolymitanum, Romanum & Compostellanum votum. Hinc assero neque Clericatus in sacris, nec Paupertatis, aut Obedientiæ extra Religionem, nec temporalis castitatis vota reseruata esse: nec ex intentione uouentis fieri reseruata. Quæ autem reseruata assignaui, haud commutari possunt. Conditionalia, ante conditionem impletam, reseruata non sunt: sunt autem post eam impletam. Pœnalia item antè commissam culpam, reseruata non habentur: ea admissa, censentur esse reseruata. Disiunctiua, re integra reseruata non sunt, nisi utraque pars reseruata sit. *Potest ne Episcopus in reseruata vota?* Potest quidem vel ex delegatione, vel in dubio de valore reseruati, siue dubium sit iuris, siue facti. Dispensat etiam in graui periculo

74 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*  
transgressionis, cum alioqui magna difficultas sit ad  
Papam recurrendi. *Requiritur ne intentio in dispensante?*  
Ita quidem, eaque sufficientibus signis expressa.

36.  
Commu-  
tatio Vo-  
ti.

*Ultimus modus tollendi vota est commutatio: quidnam illa?*  
Substitutio quædam est operis alterius loco promissi  
per votum, eodem vinculo manente. Triplex quidem,  
in melius, in æquale, & in minus. Est & commuta-  
tio quædam, quæ Redemptio appellatur; est illa, sub-  
stitutio pecuniæ, vel rei pecunia æstimabilis loco rei  
voto promissæ.

*Quidnam requiritur ad commutationem?* Si fiat in  
æquale, requiritur potestas, non si fiat in melius eui-  
denter; in minus autem commutatio non fit, sed di-  
spensatio.

*Num causa requiritur ad commutationem?* Tantum cum  
fit in æquale, nam in melius absque causa fieri  
potest.

*Quonammodo vota commutantur?* Reale commutari  
potest in personale, cum præsertim ex paupertate causa  
oritur commutandi. Personale redimi potest, si facultas  
fit, sin minus in alia opera commutari. Mixtum, ut pere-  
grinatio, in alia similiter opera pietatis.

*Cum commutatio facta est, sitne reditus ad prius votum?* Mi-  
nimè, si in melius commutatio facta, secus si in æquale  
aut in minus.

*Facta commutatione extinguitur ne votum?* Ita planè, si  
rite facta sit, nec reuiuiscit commutati obligatio voti,  
etiam si per impotentiam melius opus, in quod com-  
mutatum est, fieri non possit. Probabilius quidem cen-  
seo, commutato referuato, non manere referuatum id,  
in quod commutatum est. In pœnalibus pœna incurfa  
etiam commutari potest.

*Queisnam commutans vota qualitatibus præditus esse debet?*  
Quæ requiruntur in rescripto, scilicet, ut sit Confessor,  
Doctõr decretorum, aut Magister in Theologia, & ap-  
probatus. Plura inferiùs.

CAP.VII.

C A P V T VII.

Praxis circa prædicta ex Societatis  
IESV schola.

**D**ouitat quis, an cùm vouit, usum rationis habuerit propter  
ætatem; teneaturne? Suarez sentit, si vouit post sep-  
tennium, præsumendum pro voto. 37.  
De Voto  
varij ca-  
sus.

Douit quis Religionem, sed dubitat, an aliquam in particula-  
ri; vel non accedere ad sæminam, & dubitat, an intellexerit de  
fornicatione tantum, an etiam maritali: quidnam illi? Ex  
Sanchez mente, potest vnus quamlibet inire Religionem:  
potest alter vxorem ducere. Dubitat equidem, an solum vo-  
uerit Religionem ingredi, an etiam profiteri? Idem Doctor  
affirmat non teneri post professionem perseuerare. Si  
sciat se vouisse castitatem, sed immemor sub quibus verbis, du-  
bitat an perpetuam, an temporalem? Ad temporalem solum-  
modo tenebitur, Sancio asserente: verba autem: Voueo  
castitatem proculdubio perpetuitatem sonant. Vouit quis  
dare Ecclesie aliquot nummos, & dubitat quos? Sanchez. Po-  
test (inquit) dare minores. Ratio in hisce omnibus  
illa est, quia in dubio votum obligat ad id, quod minus  
est. Quæ certè vera existimo, etiam si quis magis incli-  
naret in eam partem, quod votum emiseric, quandiu  
manet dubius.

Dubitatur de materia voti, an bona sit, an mala: est ne obli-  
gatio? Sanchez nullam asserit adesse obligationem; ego  
cum Suarío contrarium probabilius affirmo.

Vouit ieiunare Quadragesima, sed dubito, abstinentiam à la-  
civiniis comprehenderit: quid tunc? Ex Salas assero à lacti-  
ciniis abstinere non obligari. Vouit certo die ieiunare, &  
dubito, num votum simpliciter, num vero cum dependentia à  
tali die? Si eo die impeditus fuisti, non teneris alio ieiu-  
nare. Sic Layman.

Votum de patrandò veniali peccato, quodnam crimen est?  
Cum

Cum Lesio tantum veniale assero; quia materia paruitas excusat.

*Votum quis pœnale emittit, obligans se ad aliquid faciendum, si v.g. iterum iuret: post ea contingit peccare: votum ne durat post transgressionem? Laymanus respondet de prima vice tantum intelligendum, nisi intendisset expressè, quotiens peccasset.*

*Quoniam modo maritus vxoris vota potest irritare? Non minus quàm vota Religiosi Prælati, impuberis pater. Votum vxoris de non petendo debito, vel de ingredienda Religione post obitum viri: imo ante matrimonium vota emissa: quod intelligendum est etiam de marito secundi matrimonij, qui potest quidem irritare vota, quæ vxor tempore prioris matrimonij emisit, vti Sanchez sentit. Num vera hæc, quamuis vota illa emissa essent cum licentia mariti? Affirmat Sanchez, neque virum peccare nisi tantum venialiter illa irritando sine causa, quatenus inconstanter retractat quod concesserat. Imo quamuis mutuo consensu castitatem vouissent, & iuri petendi renunciaissent, nihilominus illicitè quidem, sed validè vxoris votum maritum irritare valere.*

*Certus sum me castitatem vouisse, sed dubito, an habuerim animum me obligandi: quidnam præstandum? Num recurrentium ad Pontificem? Teneris quidem votum seruare, tamen illud auctore Sanchez, non est Papæ reseruum.*

*Diversis votis varia ad castitatem pertinentia promisi possunt, ne singula, atque ad eò omnia commutari? Licet ex omnibus simul iunctis consurgat obligatio ad perfectam castitatem, commutari possunt; quia (vti Sanchez aduertit) vota posteriora se habent per accidens ad priora: nisi vouens intendas ea coniungere; tunc enim teneris obstrictus voto perfectæ castitatis indispensabili.*

*Vouit intra annum Religionem ingredi, si me abstinuero à tali delicto v.g. à furto, vel periurio, malitia, vel praua intentione fueratus sum, seu peieravi: teneor ne Religionem intrem? Etsi fortè contra votum delinquas, non tamen ingredi teneris quia*

quia non est impleta conditio, nec potest impleri, vt notauit *Suaris*.

*Vouit non solum Religionem ingredi, sed etiam in quadam Religione profiteri: sed tempore nouitiatus video eam mihi non esse accommodatam: possum ne sine dispensatione egredi? Affirmat Lessius, quia votum est intelligendum iuxta canones annum nouitiatus concedentes, vt si intra hoc tempus minimè placeat Religio, liberum sit egredi.*

*Indiget ne Confessarius priuilegio Bullæ, ad commutandum votum in bonum æquale? Lessius asserit non indigere. Imo potest ex Henriquez pœnitens id propria gerere auctoritate: communi tamen sententiæ contrarium asserentis hæreo.*

*Quenam causæ sufficient ad votorum commutationem? Ad commutanda vota in bonum etiam æquale causam aliquam requiri certum asserni, scilicet extra casus Iubilæi, vel Bullæ: existimo tamen cum Lessio leuem, & paruam sufficere, v.g. si vouens commodius, seu hilarius impleuit illud, quàm alterum; non probo autem Sanchez asserentem sufficere, quia petit vouens, hoc enim causa nulla est. Quid si sacerdos votum in æquale bonum sine legitima causa commutet? Sanchez respondet valere quidem commutationem, sed tamen venialiter delinquere tantùm; quia abusus potestatis est in re leuissima, ex qua noq. magnum diuino cultui infertur detrimentum.*

*Meum votum ieiunandi v.g. in aliud opus commutatum est, lubet ad prius opus redire: Num possim? Ita planè, etiam si commutatio facta fuerit in melius, (vti Sanchez asserit) quia illa commutatio facta est in fauorem vouentis, cui potest renunciare. Quid si vouens acceptauit commutationem ad maiorem Dei cultum? Non poteris (ex eiusdem Patris doctrina) ad priorem materiam redire; quia in Dei fauorem facta est commutatio.*


*Vouit singulis mensibus confiteri, vel communicare, per duos vel tres dies ultra mensem distuli: num voto satisfeci? Maximè, imò (loquor cum Sanctio) si infra octo dies à mense*

78 *Moral. Theologia Tract. I. Leges,*  
mense elapso solemnibus aliquis dies instaret, vel Iubi-  
læum, poteris tandiu differre, si ægrè bis intra octo dies  
confitearis; idemque de anticipando ex simili causa  
asseruerim.

*Vouit Deiparæ, Pater, & Aue, siue Saluæ Regina quotidie, &  
non recito: an delinquo lethaliter? Non; quia vouens in ma-  
teria tam leui non potuisti te ad peccatum mortale  
obligare. Secus si vouisses paruam quotidie dare elee-  
mosynam; quia hæ parux materiæ coalescunt in vnam.  
Didici ex Suario.*

*Extinguuntur ne omnia vota tam in seculo, quam in noui-  
tatu emissa per solemne Religionis votum? Sanchez affirmat,  
idem de iuramentis adiiciens.*

*Confert prima votorum emissio omnium peccatorum remis-  
sionem: num idem præstet ipsorum renouatio? Sanchez ne-  
gat, cum Laymano affirmo, quoties quis interno reno-  
uaris affectu.*



## EXAMEN V.

De legibus in particulari circa Materiam Mandati  
tertij Decalogi de Festorum  
obseruatione.

### CAPVT PRIMVM.

#### *De Festiuitatibus obseruandis.*

38. **I**N tertio Præcepto Decalogi: Sabbata sanctifices, deter-  
minatur tempus, quo Deo est externus cultus tribuen-  
dus. In Euangelica lege Sabbatum in diem est Domini-  
cam mutatum. Igitur expendas, quæ nam solemnia obseruare  
teneamur? Ad Deum pertinet Dominica dies, cuius ob-  
seruatio perantiqua, & multis de causis iure Canonico  
introducita. Ad Christum duodecim Festiuitates perti-  
nent, Incarnatio, Natiuitas, Circuncisio, Epiphania,  
Præsen

*Examen V. De Fests. obseru. circa Mand. 79*

Præsentatio in templo, Transfiguratio, Passio Domini, (quæ minimè in præcepto) Resurrectio, Ascensio, Rogationes de præcepto non sunt, Pentecostes, Corpus Christi, Inuentio Crucis. B. Virgini dedicantur Conceptio, Natiuitas, Præsentatio, Annunciatio, Visitatio, Purificatio, Assumptio, Dedicatio S. Mariæ ad niues, Expectatio, quorum solemnium Præsentatio, Dedicatio, & Expectatio non vniuersaliter de præcepto custodiuntur. Ad Sanctos denique pertinet Dedicatio Angelorum, & Apparitio, ex quibus prima tantum in præcepto, Natiuitas Ioannis, Duodecim Apostolorum dies, SS. Stephani, Laurentij, Sebastiani ex consuetudine, S. Syluestri Romæ, Martini alicubi, SS. Antonij, & Francisci ex deuotione, Annæ, Magdalenæ, Catharinæ, & Luciæ alicubi, Festum omnium Sanctorum: atque adeo dies omnes festi in anno octoginta sunt & vnus. Durant omnes æqualiter à media nocte in mediam noctem.

*Quenam cause, ac cuius potestas dies festos insituenti?*  
In summo Pontifice amplissima potestas est. Episcopi in suis Diocesibus instituere possunt, modò sit capax materia. Requiritur cleri, populique consensus, vt Episcopus præceptum imponat colendi festum; ex consuetudine tamen potest sine populo Episcopus. Laici præcipere festum diem non possunt, secus vacationem à seruilibus operibus, at non sub præcepto. *Consuetudo laicorum & clericorum potest ne introducere dies festos? Potest, obligationem attamen non inducit, nisi fiat cum existimatione obligationis. Possunt ne singuli de communitate se obligare? Possunt se personaliter, non tamen ad posteros obligationem transmittere. Potest ne festus dies ad meridiem vsque tantum insitui? Ita quidem, & de factò alicubi obseruatur. Porrò (vti integræ quæstioni satisfaciam) Festorum institutionis causæ multæ ad Dei, sanctorumque honorem, gratiarum actionis, &c. pertinentes.*



## CAPVT II.

*Quidnam præceptum, quidnam in die Fæsto  
prohibitum?*

39. *Præcepta, & prohibita in Fæsto.* **O**bsæcro expendas, quidnam sit præceptum agere in die Fæsto? Missam audire, quod quidem præceptum aliquo modo diuinum est, absolute Ecclesiasticum. Obligat ad mortale, si voluntariè omittatur, eiusque obligatio durat toto tempore ante meridiem. Impleri potest statim post mediam noctem. Infrà de Missæ exauditione.

*Quidnam autem prohibitum in die Fæsto?* In die fæsto solum vacatio à seruilibus operibus præcipitur. *Quid seruile?* Illud, ad quod serui deputati sunt. Nec opus seruile fit, quia ob lucrum factum est, si de se ante seruile non erat. In commodum alterius fieri, vel non, ad seruile opus extrinsecum est.

*Si seruile opus necessarium sit ad hominis sustentationem, prohibitum ne est?* Minimè, sicut neque ad curandum proximum; quia necessitas caret lege.

*Quid si ad Dei cultum seruiatur?* Si diuino cultui opera extrinseca propinqua sint, v.g. ornare altaria, vestes sacras extrahere, & similia, licent. Remotiora, vt mundare scopis, tapetibus vestire parietes, & huiusmodi, nisi aliqua intercedat excusatio, saltem venialia sunt.

*Num misericordiæ opera exerenda?* De se seruilia non licent, vt consueve vestem pauperi, deferre ligna eidem, &c.

*Quid de liberalibus?* Studere, etiam artibus mechanicis, vt mentis instructioni opera detur, liberale est. Item scribere, nec fit seruile ob lucrum: transcribere autem etsi probabile sit seruile esse, contrarium probabilius affirmo. Pingere seruile ex suo genere. Itineratio minimè, nisi fiat cum oneratis iumentis, vel deferantur humeris onera. Nec choreas agere. Venatio si fiat ex officio seruile

*Examen V. De Fest. obseru. circa Mand. 81*  
feruile est vt pictura, ob voluptatem & recreationem  
minimè. Militia opus est ex se feruile, sed ex causa tole-  
ratur. Igitur quæ feruilia sunt prohibentur, quæ non  
feruilia permittuntur.

*Sunt ne aliqua opera, quæ & si feruilia non sint, tamen probi-  
beantur?* Sunt equidem. *Primò*, Mercatus, quo nomine  
comprehenduntur nundinæ, quæ fieri assolent semel in  
hebdomada: & ipse actus mercandi, contractus vide-  
licet emptionis, & venditionis, exceptis rebus necessa-  
riis. *Secundò*, Placitum, sententia videlicet ciuilibis, &  
strepitus iudicialis; nisi necessitas vel pietas excuset.  
*Tertiò*, Iudicium ad mortem, vel ad pœnam corporis  
grauem, nisi grauis intercedat causa; vsus tamen spiri-  
tualis potestatis licitus est. *Quartò*, Iuramentum iudi-  
ciale, nisi pro pace & necessitate præstetur. In particu-  
lari autem prohibiti sunt forenses actus, vt citatio, cau-  
sæ processus, examen, & sententia cum strepitu iudi-  
ciali; absolutio verò prohibita non est, nec actus extra-  
iudiciales, nec appellatio; quam tamen in die festo  
prosequi non licet, sicuti nec præstare iuramentum, per  
quod contractus obfirmetur.

---

### C A P V T I I I.

*De Personis, quæ obligantur ad Festos dies  
obseruandos, & de causis excusantibus ab  
obseruatione deque transgressionis  
grauitate.*

**Q**uam ad Festorum custodiam obligantur? Omnes  
fideles ad festos dies, qui generaliter tota in Ec-  
clesia coluntur: ad speciales autem alicuius loci, tan-  
tum fideles illius illigantur. *Mutantes domicilium?* Non  
obligati sunt ad festa patriæ. *Quid de vagis, & peregrin-  
nis?* Si idem festum in loco transitus sit & in patria,  
E obliga

40.  
Personæ  
additæ  
Festi ob-  
seruatio-  
ni.

82 *Moral. Theologia Tract. I. Leges;*

obligatur ad illud peregrinus: aliter non. Vagi autem obligantur ad festa loci, in quo morantur, sicuti etiam qui domicilium quærunt. Absens quidem legibus loci in quo moratur, se conformare debet.

*Num à loco Festi, ad locum ubi non est, recedere consultò liceat? Ita planè, & seruilibus inibi operibus vacare ad Missam tamen audiendam tenetur, si commodè possit.*

*Permanet peregrinus quodam in loco: num tenetur ad illius festa? Si permanenter habitet, tenetur tam ex consuetudine, quam ex iurisdictione; at si versetur tanquam in hospitio probabile satis est, non teneri. Quidnam requiritur ad hoc, ut quis dicatur habitator? Vel domicilij vera acquisitio per animum ibi perpetuò manendi coniunctum cum habitatione; vel acquisitio quasi domicilij, quæ animo ibi per maiorem anni partem habitandi habetur; ad hoc autem ut reddatur habitator in ordine ad obligationem legum localium, breuior mora satis est.*

**41.** *Quenam cause excusant ab obligatione Festorum? 1. Imminens necessitas, ut paupertatis, ob quam, nisi laborem in die festo, non habeo, quo viuam; Damni in agricolis tempore messis laborantibus; vel in coquentibus lateres, aut calcem; vel in famulis qui præcepto Domini laborare coguntur; in satoribus autumnii tempore; militibus tempore belli, & similibus. 2. Necessitas Reipublicæ: unde excusantur reficientes pontes, & vias, quæ sine incommodo differri non possunt; vel prouidentes de rebus necessariis; vel artifices pro publica causa, parantes bellica tormenta, & huiusmodi. 3. Necessitas proximi: sic laborantes ad extinguendum ignem accensum in domo proximi; vel opera tonsoris, pharmacopolæ, chirurgi facientes, excusantur. 4. Pietas in Deum & proximum. 5. Dispensatio siue à iure. v.g. oecursus copiosæ capturæ piscium; forense iudicium, quando necessitas, vel pietas suadet: siue ab homine, ad quam requiritur potestas, causa, & voluntas externo*  
igno

*Cause excusantes à custodia Festi.*

*Examen V. De obseru. Fests. circa Mand. 83*  
signo expressa: siue à consuetudine, ex qua multi excusantur, vt piscatores, venatores, pictores, quoad aliquos frequentiores actus, barbitonfores, artifices aliqui præparantes materiam, muliones, & agalones, aliique officiales vendentes in die festo rusticis venientibus tunc commodè de villis.

*Quanta est seruandi festa obligatio?* Grauis utique. Ex leuitate tamen materiæ, & aliis causis peccatum veniale esse potest. *Quanam grauis materia?* Spatium duarum horarum grauis materia videtur esse Filliutio & aliis: ego grauem assigno quod spatium duarum horarum excedit. *An aliquod opus otiositatis fugienda gratia sine veniali geri possit?* Ita planè, vt delineare, filo globulos immittere, calamo pingere, & his similia.

42.  
Delictum  
contra  
Festi ob-  
seruatio-  
nem.

## C A P V T I V.

*Praxis circa prædicta ex Societatis  
IESV schola.*

**H**abitat quis in duplici Parochia diuersa festa celebrante: *43.*  
ad quam tenetur? Ex Filliutio respondeo teneri  
ad eius Festa seruanda in qua præsens est.

De Festo-  
rum ob-  
seruatio-  
ne varij  
casus.

*Num venatio aut piscatio propter lucrum sint opera seruilia?* Granados asserit venationem ferarum prohibitam non esse die festo: neque piscationem, nisi quæ fit deferendo retia, remigando, & similem laborem exercendo adèd vt tota posita sit in corporis defatigatione: id quod etiam venationi ferarum addendum est. Facilius eiusdem opinioni hærebo affirmantis diebus festis docere artem gladiatoriam, vel exercere, non esse contra præceptum.

*Num Typographi die Festo characteres ordinantes violent præceptum?* Non violare asserit Laymanus. Sanè ipsam librorum impressionem seruile opus esse cum eodem Doctore affirmo.

*Notary, Commissary, & alij Officiales curiæ diebus festis transcribentes acta propter mercedem violant ne Solemnia? Minimè, sicut qui sermones aut doctorum allegationes transcribunt. Talis enim actio de se est mentalis, & spiritalis, & per accidens est, quod hac vel illa intentione fiat. Ita *Suaris*, qui talem indicat venialiter hos delinquere: quos equidem si à mortali nescio quare non & à veniali liberemus.*

*Quid de agasombus, & mulionibus, qui audito sacro cum iumentis oneratis itineri sese committunt? Et si dixi hoc opus esse prohibitum, non tamen eos lethalis criminis reos affirmo, sed tantum venialis; quia in oneribus leuandis, vel imponendis (quod est opus seruile) non multum temporis consumunt: ergo ob materiæ paruitatem à mortali excusantur: Ex *Fillutio* didici. Idem de ducentibus iumento lignis dixero, si opus seruile cedi, imponendi, & deponendi duarum horarum spatium non multum excedat.*


*Num rustici, qui diebus festis inter se contractus celebrant, & Notary qui adsunt peccant mortaliter? Minimè, si absit scandalum; quia necessitas illos excusat, cum aliis diebus operi sint intenti. Collegi ex *Fillutio*.*

*Opera seruilia, quæ fiunt ob pietatem, v.g. elemosynam, licent ne in die festo? Affirmant multi, saltem quando secretè fiunt; ego cum *Fagandez* & communi Societatis sensu affirmo non licere, quia seruilia plane:*

*Num seruile opus, musica instrumenta pulsare? Nec ex genere suo, seruile est, nec ratione officij aut quæstus fit seruile, *Castro-Pal*.*

*An famuli, quando coguntur à dominis diebus festis laborare, possint parere? Ex *Toledo* respondeo, posse sine peccato, modò non cogantur in Ecclesiæ, aut festi contemptum: tunc enim deberent mori potius, quam laborare. Adicit tamen huiusmodi famulos, qui sæpe ad laborem coguntur, transacto tempore suæ obligationis, debere alium quærere dominum, sub quo possint festa obseruare; nisi desint quibus commodè suam*

*Examen VI. De Parent. cultu ad Mand. 85*  
suam operam locare possint, aut si magnum mutatione  
illa incommodum paterentur.




*EXAMEN VI.*

De legibus in particulati circa Materiam quarti  
Mandati Decalogi de Parentum  
cultu.

*CAPVT PRIMVM.*

*De mutua Parentum, & Filiorum  
obligatione.*

 *Uotnam obsecro circa parentum honorem obseruanda?* 44.  
Curanda sex, internus amor, externus, subuentio *Obligatio*  
in necessitate spirituali, in corporali, adimpletio *filij erga*  
testamentorum, & dilectio in ordine ad supernatura- *parentes.*  
lem beatitudinem: Hinc consequenter totidem modis  
possunt filij delinquere.

*Quid circa alimenta? Iure gentium alimenta parenti-*  
bus debentur, iisque subueniendum in graui necessita-  
te. *Num si professus sit in Religione filius egredi teneatur?* Mi-  
nimè, nisi parentes extremam necessitatem paterentur;  
tunc autem deferendus etiam habitus esset.

*Licet ne alimenta parentibus aliquibus in casibus denegare?*  
Licet in his, in quibus ab iisdem exheredari possunt.

*Quidnam præterea filius debet parentibus?* Eorum curare  
sepulturam, soluere debita, quæ facultatem hæreditatis  
non excedunt. Nunquam licet filio patrem occidere, nisi  
patriæ hostis esset. Denique grauius delinquere potest  
filius non obediendo in iis, quæ ad domus gubernatio-  
nem pertinent, ad bonos mores, & ad statum matrimo-  
nij in quibusdam casibus.

*Quidnam vicissim parentes filiis debent?* Necessaria ad vi-  
tam subministrare, bonis moribus instruere, nõ vendere *45.*  
*Obligatio*  
*Parenti*  
*erga fi-*  
*absque lium.*

86 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*  
absque iusta causa, liberare à seruitute, prouidere illis  
volentibus studio operam dare.

*Potest ne parens alimenta filio denegare?* In his casibus  
potest. Si patrem accuset, si ipsemet illis indigeat, si fue-  
rit ingratus, si habeat, unde sustentari queat, si quid  
agat, ob quod hæreditate spoliari possit. Aliàs quidem  
iure naturali filiiis patres alimenta debent.

*Quidnam patris proprium?* Filiis prouidere in futu-  
rum, non priuare hæreditate nisi iusta causa, dotare  
filias.

*Præscripto debentur ne alimenta?* Debet pater ei sim-  
pliciter necessaria. *Quid de spuris?* Spurio etiam de iu-  
re Canonico necessarium alimentum debetur. Clerici  
spuriis relinquere possunt alimenta necessaria. Num ex-  
communicato filio, aut Religioso è cœnobio eiecto debeantur ali-  
menta? Ita planè, si eiectus egeat, etiam hæretico, si  
aliunde non habeat.

*Valet ne renunciatio alimentorum?* Minimè, absque iudi-  
cis auctoritate, nisi iurentur. Neque alimenta præte-  
rita tenetur pater resarcire in conscientia, secus in ex-  
teriori foro. Profectò inter alimenta impensæ pro filio  
ad studia comprehenduntur. *Dos ne spuris tradenda?*  
Ita planè.

*Quenam propria matris?* Duo, vnum, alere filios vs-  
que ad tertium annum, & lactare eos per se, vel per bo-  
nam nutricem.

---

## C A P V T II.

### *De mutua coniugum obligatione.*

46. *Obligatio mariti erga uxorem.* *Quenam viri erga uxorem obligatio?* Eam in di-  
uinis præceptis non potest impedire, in hu-  
manis iusta de causa potest. Grauius percutere  
minimè, secus reprehendere, & moderatè cor-  
rigere. Domus administratio ad virum spectat, &  
cum

*Examen VI. De Parent. cultu ad Mand. 87*  
cum vxore tenetur habitare, nec abesse, nisi ex iusta  
causa.

*Quenam autem vxoris erga virum? Obedire debet ma-*  
rito in domus administratione. In rixis cum viro graui-  
ter aut leuiter peccare potest iuxta materię, aut affectus  
grauitatem. Tenetur sequi virum, queisdam casibus ex-  
ceptis. Aliquando possit se se administrationi domus  
ingerere. Inuicem equidem debent sibi amorem, reue-  
rentiam, tolerantiam, & debiti redditionem.

47.

*Obligatio  
vxoris  
erga ma-  
ritum.*

---

### C A P V T III.

#### *De mutua Dominorum & seruorum obligatione.*

**E**xhibe seruorum erga Dominos obligationem. Tenentur de-  
bitum honorę Dominis deferre, obedientiam præ-  
stare, conseruare Domini res, in ægritudine iis Sacra-  
menta procurare, & à malis tutari imminentibus.

48.

*Obligatio  
seruorum  
erga Do-  
minos.*

*Quandonam serui tenentur non fugere, quandonam autem  
fugam possunt arripere? Iniuusto bello capti fugere possunt,  
non autem qui sese vendiderunt in seruos. At iusto bel-  
lo capti, etiam fugere ad suos valent, absque vi tamen,  
aut deceptione fidei datę. Capti apud infideles etiam  
fugere possunt, & iis dari valet consilium ad fugam: ac-  
cipere autem ad fugam necessaria à Turcis vel aliis ho-  
stibus Christiani nominis possunt.*

*Quid de peculio seruorum? Habere possunt peculium  
suum permissu Domini, mobilibus, vel immobilibus  
constans. Absque Domini autem consensu inutilis est  
dō natio.*

*Si vxorem duxerint, cuiam potius seruire debent, Domino,  
an vxori? Magis Domino, quàm vxori, si Domino incio  
eam duxerint: secus si sciente.*

*Num in omnibus obedire Domino teneantur? In iis ple-  
nè, quę contra naturale ius sunt, vel contra diuina*



88 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
præcepta parere non debent. Tria autem præstare tenentur famuli heris suis: honorem, reuerentiam, & obsequium.

19.  
*Obligatio Domini-  
rum erga  
seruos.*  
*Quidnam Dominus debeat seruo?* Honestam sustentationem, institutionem in rebus fidei, & correctionem fraternam. Haud Domino potestas necandi seruos; si tamen occideret, nihil vlli deberet, nec si mutilaret. Alimenta in totum subtrahere non potest. Ex delicto eius iussu commissio tenetur.

*Quid de famulis alendis & gubernandis?* Alimenta, quæ Dominus famulo debet, famulatu congruentia debent esse. Ad hospitale licet quandoque mittere; & iuste merces subtrahitur, cum ægrotat. Ex contractu aut delicto famuli herus non obligatur, nisi iussu, aut auctoritate Domini facta sint. Debet expellere herus famulos moribus corruptos, nisi ad meliorem redituros frugem speret.

---

#### C A P V T I V.

##### *De mutua Prælatorum & Clericorum obligatione.*

50.  
*Obligatio Clerici  
erga Prælatum.*  
**A**D quidnam Clerici erga Prælatos tenentur? In actibus malis quidem internis obedire non tenentur, neque in malis etiam venialiter. In dubio de peccato, præcipienti Prælato obedire tenentur: debet autem eius voluntas illis esse denunciata. Tenentur profectò obedire in pertinentibus ad Clericos. Beneficiarij ad subsidium charitativum, contributione videlicet quadam in pecunia, vel æquivalenti re à beneficiariis facta in quibusdam casibus erga Episcopos. Curati etiam, & Religiosi erga suos Prælatos peculiaribus tenentur obligationibus.

51.  
*Obligatio Prælati  
erga Clericum.*  
*Prælatorum erga Clericos recense obligationes.* Debent resistere, ad quam probabilius reputo iure diuino teneri.  
Ad

Ad breue tempus cum causa abesse possunt. *Quenam iustæ causæ discessus?* Quinque exhibeo, Christianam charitatem, Vtilitatem Ecclesiæ, & Reipublicæ, Vrgens necessitas, Debita obedientia.

*Quoad leges morum ad quidnam tenetur?* 1. Quotannis Synodum facere. 2. Visitare singulis annis diœcesim per se, vel impeditus per alium. 3. Instituire idoneos ministros. 4. Inquirere in populi sui peccata. 5. Corrigere subditos. 6. Superflua pauperibus elargiri. 7. Iudicare causas Ecclesiasticas. 8. Approbare Confessarios, Concionatores.

*Quenam eius potestas?* Potest conferre indulgentiam quadraginta dierum, imponere censuras, in quibusdam irregularitatibus, & impedimentis matrimonij non dirimentibus dispensare, & alia plura gerere valet.

*Quidnam ei circa ordines, beneficia, & Confirmationem conferendam præstandum?* Eos per se conferat, vel aliò mittat. Singulis annis chrisma conficiat, suis temporibus Sacramentum Confirmationis conferat, dignos ordinet cum sufficiente titulo. Porro beneficia solummodo dignis conferat, ad testamentorum denique executionem maximè in piis causis attendat.

---

C A P V T V.

*De mutua Principis laici, & subditorum obligatione.*

**A**D quidnam tenetur vasallus erga Principem? Debet veteralia solvere: in necessariis tamen familiæ defraudantes minime obligantur nisi in quibusdam casibus. Nouæ gabellæ debentur, si iustæ sint; si non petantur, seclufa fraude, non est obligatio soluendi. Soluentes pœnam non tenentur ad gabellam: tenentur tamen, quando in conscientia eorum id relinqueretur. Potest quis non soluere, quando certo scitur, non

§ 2.  
*Obligatio  
Vasalli  
erga  
Principem.*

90 *Moral. Theologia Tract. I. Leges,*  
impendi gabellam in rem ob quam imposta est. *In dubio de iniustitia?* Præsumendum pro Principe, & etiam infideli soluenda.

53. *Obligatio Principis erga vassallum.* *In quibus autem Superiores laici erga subditos tenentur?* Cum virtutes laici Principis debeant esse Religio in Deum, Clementia, Liberalitas, Iustitia, Fortitudo, Prudentia, Magnificentia, Magnanimitas: vitia autem Cupido immodica regnandi, indictio belli iniusti, Socordia in muniendis Regni arcibus, Negligentia in viis publicis reparandis, Non subuenire miserabilibus, Non tollere consuetudines prauas, Exactionibus iniquis subditorum copias exhaurire, iniustas leges condere, subditum ad certum matrimonium cogere, vel in contracto impedire. Suisque priuatis commodis studere: obligatur quidem, & proprietates Principis exercere, & vitia fugere, sub mortali quidem, aut veniali iuxta materię grauitatem.

*Peccant ne Principes assumptes ineptos ad gubernationem?* Si omnino inepti sint, peccant grauiter, & ad restitutionem tenentur; si autem sint minùs idonei, peccant quidem, sed minimè tenentur ad restitutionem.

*Speçtat ne ad Principes cura Sacrorum?* Profecò ad ipsos patrociniũ speçtat, cura ad Episcopos. *At residentia Episcoporum?* Non pertinet ad Principis, curare tamen possunt, vt ea seruetur.

*Quid de officiorum venditione, aut naufragantium bonis?* Officia lucrosa vendere non semper licet: nec bona naufragantium applicare sibi licet, nisi derelicta sint.

---

## C A P V T VI.

54. *Obligatio Discipuli erga Magistrum.* *De mutua Magistri & discipuli obligatione.*  
**Q**uidnam debent Magistro discipuli? Honorem, reuerentiam, obedientiam in pertinentibus ad bonos mores. Debent item vacare studiis, & pecuniam à parenti

*Examen VI. De Parent. cultu ad Mand. 91*

parentibus traditam expendere iuxta magistrorum voluntatem, vel iuxta debitam dispensationem.

*Quid Magistri?* Eorum peccata dissimulare non debent, eos in literis promoueant, & eorum curam in pertinentibus ad mores gerant. Plura sigillo sequenti. Interim Doctores tenentur ad multa. 1. Nihil docere contra fidem, au bonos mores. 2. Discipulos ab aliis doctoribus non auertere. 3. Diligenter studere, vt officio suo satisfaciant. 4. Stipendia æquo maiora non exigere. 5. Captui auditorum sese accommodare. Porro caueant ne Doctoratus insignia negent dignis, aut indignis conferant, aut malè moratos admittant scholasticos, aut eos permittant, cum possint reprimere, suffragia indigno impendere, aut pro suffragio iusto, aut iniusto pretium accipere.

55.  
*Obligatio  
Magistri  
erga Discipulum.*

C A P V T VII.

*Praxis circa prædicta ex Societatis IESV schola.*

**I**N extrema necessitate (circa parentes primum requiro) 56.  
*Subuenire debeo filio meo, an parenti? Toletus* respondet *De Parentum cultu* probabilius subueniendum patri. Et quidem in vitæ *varij casus* periculo patri potius subueniendum, & præferendus ille etiam ei, cui fuisset iuratum; quia intelligitur pater *sus.* exceptus. *Quinam communiter ad alia munia nomine patris veniunt intelligendi?* Superiores, vt sunt Episcopi, Curati, Imperatores, Reges, Principes, Tutores, Curatores, & Magistri, quorum prudentia erudimur, & doctrina: his certè omnibus honorem & reuerentiam exhibendam & hoc præceptum, & naturæ dictamen nos edocet; vnde coniiçientes contumelias in hosce ad grauemque iram iustam prouocantes grauiter delinquant. Ex *Sua* & aliis.

*Num teneatur pater non solum filio etiam proscripto & emancipato alimenta præbere, sed & filij uxori, dum filius præbere*

*præbere non potest?* Ex Azorio tenetur; vxor enim & maritus idem reputantur. Num mater filio alimenta præbere teneatur? Præter lac minimè, & ipsam lactationem debet ex defectu patris; vnde existimo quod si ipsa iustè excusatur ab immediata nutritione, ad patrem solum pertinere sumptus filio nutriendo, licet ad matrem pertineat bonam filio nutricem adhiberi curare.

*Possunt ne parentes filium ægotantem ad hospitale remittere?* Mortaliter peccant, nisi adsit iusta v.g. necessitatis causa. Azorius.

*Obligatio ne filios alendi transit ad heredes parentis, qui filios alere tenebatur.* Maximè ex Azorio; sed non transit directè ad donatarium; neque ad eos, qui bona parentum titulo emptionis, vel similis contractus acquisierunt; transmittitur tamen ad fiscum, cui bona parentis addicta fuere, ob ipsius parentis delictum.

*Pater qui filio alimenta non præstitit, tenetur ne ad restitutionem?* Minimè ex Lessio, nisi fortè ob id filius debita contraxisset.

*Tenetur ne pater filie nubenti dotem competentem constituere?* Tenetur planè etiam spurix, quamuis filia diues sit, aut monasterium ingredi velit, aut nubat, inuito parente, aut etiam indigno; secus si filia nubens cum dedecore indigno maior sit viginti quinque annis, & diues, patrisque alimentis non indigeat. Neque pater eximitur ab onere dotis, alio tradente. Sic *Fagundes*.

*Iam venio ad filiorum obligationem: possunt ne priuari hereditate, & alimentis?* Multis de causis posse ex meis Doctoribus collegi. 1. Ob percussione[m] parètum iniustam cù lethali culpa. 2. Ob grauem & inhonestam iniuriam. 3. Ob accusationem in iudicio, excepto crimine hæresis, & læsæ Majestatis. 4. Ob attentationem in vitam patris. 5. Si cum maleficis versetur. 6. Si copulam habeat cum nouerca, seu patris vxore. 7. Si non succurrat patri. 8. Si impediatur ne pater testamentum conficiat. In his certè casibus pater filium hereditate priuare potest,

potest, non verò alimentis, si aliunde filius non haberet. *Quid de filia aut inuitis parentibus nubente, aut luxuriosè transigente vitam?* Nubens parentibus inuitis, seruata Tridentini forma, attento iure Canonico non potest hereditate priuari, imò neque Cæsareo, nisi filia sit minor viginti quinque annis, & parentibus volentibus ipsam in matrimonium coniungere renuerit, & luxuriosam degere vitam voluerit. Tamen filia, quæ bis tantum copulam commisit, non potest ob id hereditate priuari. Idem affirmo si post viginti quinque annos luxuriosam vitam degerit; imò etiam si ante viginti quinque annos, si mater illius luxuriosam vitam degat, & nondum correcta sit exheredationis tempore; secus dicendum, si solus pater luxuriosè viuat. Porro à fortiori filius inuito patre contrahens etiam cum indigna, non potest hereditate ideo priuari; quia leges solummodo de filiabus loquuntur. Certe exhereditatio non tollitur per reconciliationem superuenientem, aut poenitentiam: tollitur verò Religionis professione.

*Quod attinet ad coniuges: quæram, num teneatur vir uxorem alere, si ob viri seuitiam recedens reuolat oblata securitate ad virum redire?* Non teneri affirmo ex *Facundo*; si verò vxor vtriusque coniugis culpa recessit, deinde ad maritum redire contendat, maritus autem id non patiat, alenda est à marito; quia vltima culpa ipsi marito est impuranda. Alenda item, quoties dos casu fortuito perit.

*Num vxor aut filij ad soluenda debita teneantur, quæ vir seu pater contraxit pro vxore aut filij alendis?* Minimè, nisi pater illa acceperit nomine ipsorum, vel protestatus sit, nolle gratis illa præstare, aut nisi acceperit in fraudem, id est, sine iusta causa, scientibus filiis, & vxore.

*Seruatorum ac Dominorum percurro obligationem. Teneatur ne Dominus de damnis, quæ cum posset non impediuit circa famulos: aut vasallos?* Teneatur planè. Potest in domibus seruorum dare hospitium externis per aliquot dies, modò id suis præstet expensis. Potest & solus hospitium, & furarum


94 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
furnum publicum, si velit, habere. *Valentiam* consule.  
*Tenetur ne famulum ob peccatum domo eiicere?* Non, nisi for-  
tè id necessarium sit ad peccatum illud vitandum, aut  
nisi futura mansio familiae graui nocumento. Sic *Azor.*

*Si famulus ad annum conductus ante tempus discedat, de-  
betur ne ei merces?* Cum Rebello affirmo deberi mercedem  
temporis, quo seruiuit, nisi Domini multum interesset  
eum diutius morari.

*Tenetur ne herus soluere salarium famulo infirmo, quandiu  
egrotans est?* Molina negatiuè respondet, nisi sit in extre-  
ma, aut graui necessitate, tunc enim ex charitate tenere-  
tur. Imò potest ab eo exigere sumptus in curatione  
factos.

*Potest ne seruus bello captus fugere?* Molina affirmat iusto  
bello captum peccare mortaliter fugiendo, tenerique se  
Domino restituere. Ego autem sequor *Valentiam* asse-  
rentem posse fugere etiam ab eo, qui se emit à captiui-  
tate, nisi non fugere promississet.

*Num bona ludo, aut dono, aut hereditate à seruo acquisita  
Domini sint?* Cum *Valentia* negatiuè affirmo de captis in  
bello sed & ad emptitios alij extendunt.



## EXAMEN VII.

De legibus in particulari circa Materiam quinti  
Mandati Decalogi de Occisione.

### CAPVT PRIMVM.

*Quidnam in praecepto quinto prohibeatur?*

57.  
Prohibita  
in quinto  
Præce-  
pto.

**H**oc praecepto: Non occides, quid prohibitum est?  
Omnis occisio, quæ contra naturam sit, non  
animalium, vnde venatio sua natura licita est.  
Vna cum occisione hominis prohibita est mutilatio,  
contumæ

*Examen VII. De Homicidio ad Mand. 95*  
contumeliæ, voluntas occidendi, mutilandi, percutien-  
di, & omnis ad id cooperatio.

*Quidnam debet habere homicidium, ut prohibitum non sit?*  
Tria præcipuè, iustam causam, publicam auctorita-  
tem, & ut fiat secundum ordinem iuris. Porro malefa-  
ctores non prohibentur occidi. Innocentis occisio ab-  
solutè est prohibita; nisi in aliquo casu necessaria esset  
ad bonum Reipublicæ. Tyrannum gubernatione non  
licet occidere ex iniusta inuasione; in ipso inuasionis  
actulicet, ut patriæ hostem; at si possessionem Regni  
adeptus iam sit, publicum iudicium postulat. *Quid de*  
*viro in flagranti uxorem occidente?* Peccat planè, sed legi-  
bus non punitur: ut minister tamen publicæ potesta-  
tis, post latam à iudice sententiam occidere absque  
peccato posset.

---

## C A P V T II.

### *De variis Homicidij speciebus.*

**Q**uatnam Homicidij species? Nouem præcipuas adnu-  
mero. Punitiuum, Defensiuum, Voluntarium sui  
ipsius, Voluntarium aliorum, per Abortum ex ludò, Ca-  
suale, ex Duello, ex Bello.

*De iustitia Homicidij Punitiuu differo.* Malefactores pos-  
sunt occidi, nocturni diurni fures, & alij quicunque  
malefactores, etiam certò damnandi. *Quid de Proscriptis*  
*publicè?* Aquolibet etiam priuato possunt occidi, intra  
territorium tamen proscribentis, extra minimè. *Licet*  
*ne Bannitum occidenti premium proponere?* Licet. *Filij ne ex*  
*legitima facultate interfectorem patris aut fratris occidere?* Pos-  
sunt planè. Porro ante sententiam non datur facultas  
quemquam occidendi. *An iudex addicere mortè potest,*  
*quem secretò tantum deliquisse cognouit?* Minimè, nisi eam  
Respublica facultatem daret. *Dignum morte ex actis, &*  
*probatis, potest ne iudex à morte eximere?* Non; Princeps  
verò

58.  
Homici-  
dij Pu-  
nitiuum.



verò in aliquo casu posset. Quid, si innocens ex actis & probatis nocens apparet dignus morte? Non potest eum condemnare iudex, Princeps autem deberet ei carcerem aperire.

59. *De Homicidio Defensio quid? Aggressor potest ab aggresso occidi, ad se defendendum cum moderamine inculpatæ tutelæ; quoad locum habet etiam si aggressus daret operam rei illicitæ, etiam cum periculo innocentis; eiusque aggressoris mors expecti potest, ut medium suæ necessariæ defensionis. Præueniri ne aggressor potest aliquando? Potest, ut etiam insidiator. Tenetur ne aggressus cum dedecore fugere? Minimè. Potest ne præmittere defensionem? In aliquibus casibus potest, at ferè nunquam tenetur. Licet ne aggressorem occidere pro defensione rerum mearum? Licet, modo sint res necessariæ, vel grauis momenti. Licet ne pro defensione honoris verbis tantum impugnatu aggressorem occidere? Minimè; licet tamen si factis impugnetur. Fugit aggressor. Occidere non licebit. Pro defensione castitatis potest summa violatorem necare? Potest. Pro defensione proximi bonorum, & honoris? Idem affirmo. Num obligatio proximum defendendi cum meo probabili periculo? Non, si defendens priuata sis persona; at obligatus ex iustitia, teneris. Num iustè damnatum teneat pecunia redimere? Minimè teneris.*

60. *Homicidium voluntarij sui ipsius explicat obligationem. Homicidium proprium nunquam licet, nec sui occisionis iusta causa dari vnquam potest; nec etiam pro castitate seruanda. Mutilatio pariter sui ipsius prohibita est; ad vitandum peccatum ea licet. Potest ne quis permittere, imò instare amputari membrum ad seruandam vitam? Potest. Ad occisionem sui valet concurrere? Directè non licet; at permittere licet multis in casibus. Fas ne omittere aliquid, unde mors sequatur? Maximè, & etiam facere, unde mors indirecè securura sit, non autem si directè. Licet ne mibi ministratum haurire venenum? Non; aperire autem os, ut infundatur, licet. Quidnam potest quis gerere ad vitam seruandam? Iustè damnatus potest non fugere è carcere.*

Ad

Ad vitam seruandam peccare non licet. Nec tenetur perferre quoslibet cruciatus quilibet. Membrum abscindi potest, ad seruandam vitam. Etiam licitum, non comedere carnes ex constitutione Religionis, nisi esset extrema necessitas; tunc enim, si fame aliàs esset perendum, teneretur. Pestis tempore fugere potest, qui ex officio obligatus non est, vt Parochus, Magistratus.

*Iam Homicidij voluntarij aliorum percurrenda, materies; Homicidium ne respectu mandantis est voluntarium?* Maximè, at si ante executionem mandatum reuocauit, vel fiat contra mandati formam, non ei imputabitur. Porro ratum habens non efficit actum præteritum voluntarium. *Quid de consulente?* Voluntariè concurrat. *De adiuvante?* Etiam si intendit homicidium, dicitur ei voluntarium. *De non impediante?* Tunc dicitur voluntariè concurrere, cum haberet illius intentionem. *Mors obueniens alteri ex meo maleficio tribuitur ne mea voluntati?* Non, nisi ea intentione actum sit, vt ea obueniret: etiam si alioqui aduertatur secutura. Nec satis est damnum sola voluntate intendi; sed necesse etiam, vt hæc actio exterior soleat esse causa talis damni. *Mors secuta est ex tuo animanti: imputabitur tibi?* Si graui mea negligentia secuta est, mihi iure imputabitur: secus si non fuit in diligentia defectus; & quoties culpa abest, in conscientia minimè tenemur.

*Per Abortum Homicidium explana.* Porro Abortus homicidium est imperfectum; eiusque procuratio mortale peccatum semper est; si foetus autem animatus sit, excommunicatio, & irregularitas incurritur. *Num liceat aliquando abortum procurare?* Directè nunquam, siue animatus, siue inanimatus sit foetus; indirectè non animatus aliquando licet, scilicet ad vitam tuendam, non tamen ad vitandam infamiam, vel periculum vitæ ex criminis manifestatione.

*De Homicidio per ludum disquiramus: efficit ne ludus homicidium voluntarium?* Ludus, ex quo frequenter mors sequi solet voluntariè assumptus efficit etiã homicidium

61.

Abortus.

62.

Homicidium per ludum.

voluntarium sic prohibita alicubi agitatio taurorum, Qui probabiliter iudicat fore, vt superetur à fera non potest se tali periculo exponere, secus qui iam experimento didicit magna se peritiam pollere. Funambulorum exercitamenta ideo prohibita, nec iniqua sunt, quia licet artifices huiusmodi luditantes præcipitari assolent, sed magna dexteritate pollentes remotum maxime periculum instans aspiciunt.

63. *De casuali homicidio agendum: quidnam tale homicidium?*  
*Homicidium casuale.* Quod præter intentionem agentis accidit: duplex plane, unum omnimodo casuale in se ipso, & in sua causa: alterum in se ipso tantum, at in sua causa voluntarium aliquo modo est. Quod omnino casuale est, peccatum non est; quia nullo modo voluntarium; cum autem in sua causa voluntarium est, seu ob culpabilem negligentiam, seu quia in opere periculoso sufficiens cautio adhibita non fuit, tunc delinqui poterit gravius aut leuius iuxta voluntarij actus gravitatem. *Num ad restitutionem teneatur, qui casualis homicidij auctor est?* Minimè, quando omnino casuale est; secus si non sit casualis omnino; tenetur enim restituere iuxta culpæ proportionem, *Quonammodo dignoscemus culpæ gravitatem.* Regulas ad tam necessariam materiam exhibeo. Prima est, Dans operam rei licitæ, si mors præter intentionem sequatur, peccat magis, vel minus iuxta negligentiam maiorem, vel minorem, quam adhibuit, ne mors sequeretur. Secunda, Dans operam rei illicitæ, ex qua præter intentionem secutum est homicidium, plus, aut minus peccat, pro vt maior, aut minor fuit negligentia; vel maius, aut minus periculum occisionis in illo actu. Tertia, Qui omittit aliquid, ad quod ex iustitia tenebatur, si ex hac omissione sequatur mors alterius, peccat tantum promissio omissionis. Quarta, si omissio est rei, ad quam ex charitate obligatur, si ex hoc sequatur alterius mors, peccat iuxta omissionis qualitatem. *Quidnam in Confessione homicidij culpabilis explicandum?* Personæ equidem & ratione status Clericalis; & ratione carnalis coniunctionis;

*Examen VII. De Homicidio circa Mand. 99*

& ratione dignitatis Episcopi, aut Cardinalis, ob excommunicationem in Bulla Cænæ referuatam; & ratione protectionis particularis, venientium ad Curiam, ob eandem causam; & ratione damni secuti, vt ex occisione alieni serui. Porrò circumstantiæ exprimentæ tres, loci, sociorum, & temporis ob numerum.

*De Homicidio ex Duello quidnam?* Duellum quidem est bellum duorum, pugna scilicet duorum ex condicto.

*Quasnam sit ob causas?* Ob sex præcipuè. 1. Ad purgationem. 2. Ad ostentationem virium. 3. Ad terminationem litis. 4. Ad euitandam ignominiam. 5. Ad defensionem propriæ vitæ. 6. Ad maius malum euitandum. *Quandonam licitum duellum huiusmodi?* Ad debilitandum hostem: & ad terminandam litem solùm, cum alias per fraudem innocens opprimendus esset; & ad vitam defendendam in aggressione licet, non alia ratione. Profectò ad purgationem, & ostensionem virium, ad litis terminationem, ad honoris defensionem, & ad euitandum maius malum siue sit vindicatum, siue defensuum, illicitum omnino esse affirmo: fateor tamen licere, cum bellum in duellum resoluatur.

*Indica duelli pœnas?* Pro Clericis vltra excommunicationem, est etiam imposita suspensio: pro laicis, & omnibus excommunicatio, aliæque pœnæ temporales. Omne duellum ex condicto, subiectum est pœnis. Vi Tridentini haud est referuata excommunicatio, vi autem aliorum est. Prouocantes ad duellum, effectu non secuto, incidunt in excommunicationem, vt etiam acceptantes, spectantes. Spectatores casu non incurrunt, sed qui ex composito.

*De Bello denique, homicidii que in eo contingenti differendum est.* Num bellum est licitum? Sua natura licitum planè. *Quidnam ad eius iustitiam requiritur?* Indicendi auctoritas, iusta causa bellandi, & intentio recta. Iustum quidem est bellum si tale sit probabiliter; quia ex vtraque parte iustum ex se esse non potest; potest autem ex ignorantia. *Iusti gerens bellum potest ne accipere bona?*

100 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
Potest, etiam innocentium: & mobilia sunt occupan-  
tium, iure gentium. *Num homicidia licent?* Omnia qui-  
dem licent, quæ ad obtinendam iustam compensatio-  
nem necessaria sunt, vel ad vindicandam iustè iniuriam,  
vel ad pacem stabilendam. Stratagemata etiam licent  
in defensiuo. Si iustum sit, etiam obides occidi possunt,  
si fidem hostes fregerint. *Num liceat privatis militibus  
prædari, aut agros incendere, vel domos?* Minimè sine li-  
centia Ducis. *Licet ne in bello iniusto occidere?* Si aggre-  
ssivum sit, non licet; si defensivum licitum est. *Quid in  
dubio iustitia belli?* Militare non licet, si aggressivum sit;  
subditis tamen in dubio licet, si à suo Principe vocen-  
tur. Omnes militantes occidere possunt, civitas etiam  
tradi diripienda, si victoria aliter obtineri non potest.  
*At capti in bello serui fiunt?* Ita planè, modo Christiani  
inter Christianos exceptentur.

---

### C A P V T III.

#### *Praxis circa præfata ex Societatis IESV schola.*

66. *De Ho-*  
*micidio*  
*varij ca-*  
*sus.* **Q**uam modus inculpata tutelæ? Respondeo ex Fagun-  
dez non esse, si inuasus noluit fugere, cum possit:  
vel si maiore vi usus sit, quam ad defensionem require-  
retur; sed eas solas vires adhibere, quæ sufficiant ad de-  
fensionem.

*Prohibentur ne hoc Præcepto anteriores animi motus delibe-  
rati: v.g. mortem cupere vel sibi vel alteri?* Ita planè. Attamen  
cupere sibi aut alteri mortem, ne peccatis detur opera,  
bonum est: ne labore corpus aut animus disfrucietur,  
peccatum non est; vt mihi commoditas aliqua se-  
quatur, v.g. hereditatis, honoris, vel lucri, si directè non  
respicio damnum alterius, sed præcisè meam utilita-  
tem, venialis culpa erit ob inordinatum fortasse animi  
motum.

*Quidnam*

*Examen VII. De Homicidio circa Mand. IOI*

*Quidnam de homicidij aut grauis mali illati consortibus? Delinquunt planè qui iubent, qui consilium adhibent, qui factum ratificat, vel probat vt fiat, qui laudat vt excitet ad effectum, qui defendit, aut defensionem promittit, qui iuuat ad factum, qui non remouet occidendum, vel percutiendum, cum potest, & debet, quique veritatem innocentis cum etiam potest, & debet, non ostendit.*

*Num Episcopi qui etiam seculari Principatu fulgent, possint aliquem pena capitali quatenus sunt seculares, addicere? Non posse, (ait Fagundes) licet possit suis ministris præstandum committere; quia potestas secularis in Episcopo debet cedere spirituali. Potest quidem ex Pontificis dispensatione.*

*Suppono iudicem reum non posse à morte liberare, lesa parte minimè parcente: num possit, si pars lesa parcat? Respondeo ex eadem supremum iudicem posse; quia non solum est custos legum, sed etiam dispensator: inferiorem autem non posse. Adicio supremum posse etiam parte non parcente, rarissimè quidem, vt si reus persona valde Reipublicæ utilis existeret.*

*Prouocatus quis, & de conditio ad pugnam descendit: teneatur ne ad restitutionem damni ob vulnus aut mortem illatam? Cum Lesio respondeo non teneri; quia prouocans quantum in se erat, in id consensit.*

*Vulnerari opificem: ad quidnam teneor? Ad impensas in chirurgum faciendas; & ad æstimationem operarum, quibus caruit quandiu ex illo vulnere fuit inutilis ad opificium exercendum. Potest tamen æstimatio molestiæ quam in opificio habiturus erat, deduci. Sic Molina. Num pro vulneris, seu cicatricis deformitate, imo ipsius vite iactura vlla pecuniæ compensatio facienda? Valquez responder. Minimè ante iudicis sententiam.*

*An homicida teneatur ad damnum illatum ex morte occisi creatoribus? Negat Lessius. Imo asserit Molina maritum qui alterum in adulterio deprehensum occidit, non teneri in conscientia restituere damna ex morte*

102 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
occisi secuta, ante iudicis sententiam.

*Quis alteri homicidium persuasit iniustum, sed postea serio consilium reuocauit; postea tamen homicidium perpetratum est: num incurrat excommunicationem, irregularitatem, ac restituendi obligationem? Respondeo cum Laymano non incurrere; quia fecit, quod potuit, vt prius consilium euerteret, vnde executor non videtur tali impulsus fuisse consilio, sed propria malitia ad criminis perfectionem.*

*De Abortu periculum practicum faciamus. An liceat foeminae praegnantae etiam ante foetus animationem abortum procurare ad vitandum vitæ, aut grauis infamiae periculum? Sanchez negatiuè respondet. Quid si post foetus animationem mater periculosè egrotaret, nec ullum aliud esset remedium: posset ne ei dari remedium cum foetus discrimine? Posset quidem dari medicamentum, quod directè tenderet ad matris curationem, licet indirectè, & per accidens foetus mors sequeretur; quia mater ius habet ad tuendam vitam per huiusmodi medicamenta.*

*Circa duellum requiro, an qui moritur ex vulnere in duello iusto, sit Ecclesiastica sepultura priuandus? Si viuus discessit à loco conflictus, minimè; quia verba Tridentini cum sint legis poenalis, vltra rigorem literæ non sunt extendenda. Sanctius sic.*

*Quis, prouocato ad duellum aduersario, sese ad locum conditum praefixo tempore confert, ibique frustra expectato inimico, discedit: num incidit in excommunicationem Bullæ Gregorij XII I. Filliuzius asserit non incidere. Quod si offensus quis ab alio illum prouocet ad duellum, non tamen habeat animum pugnandi, & sciat certamen non securum eo quod sit ab amicis impediendum: sed hoc agat ad honorem lesum reparandum? Profecto ex eiusdem Filliuzij sententia etiam si vterque veniat ad designatum locum, gladios stringant, neuter excommunicationem incurreret.*

*Quis in duello lethaliter percussus cadit in terram, & signa contritionis edit, neque tamen confiteri potest, ob defectum Sacerdotis: priuandus ne Ecclesiastica Sepultura?*

*Exāmen VII. De Homicidio circa Mand. 103*  
*tura ? Priuandum affirmat Sanchez, ex decreto Tri-*  
*dentini.*

*Quinam præterea ab excommunicatione excusantur ? Qui*  
*alium prouocat ad pugnam nullo statuto tempore, aut*  
*loco. Qui ad locum duelli accedit inspiciendi causa,*  
*modo duellum secutum non sit. Qui spectat obiter, &*  
*in transitu, vel ex occulto. Qui aliquid narrat, quod*  
*videt esse posse causam duelli, nisi narret, vt ad duel-*  
*lum incitet. Qui legunt scriptum, quo se aliqui ad*  
*duellum prouocant. Qui ratam habet prouocationem,*  
*vel pugnam suo nomine factam. Qui orta repente ri-*  
*xa se prouocant ad pugnandum in aliquo loco, ad quem*  
*se statim conferunt, & ibi dimicant; quia non adest*  
*assignatio temporis. Cuncta hæc ex Sanchez, Comitolo,*  
*Fagundez, Saa, & aliis accipi.*

*Possunt ne famuli scribere epistolam ad duellum prouocan-*  
*tem, si alioquin illis mortis periculum immineret, aut alterius*  
*grauis incommodi ? Possunt. Et licet ne epistolam deferret*  
*Minimè, quia id malum intrinsecè. Scio Merollam ex-*  
*ternum haud improbabilem contrariam reputare sen-*  
*tentiam.*

*Quod attinet ad bellum : potest ne Rex bellum contra alium*  
*Regem qui est in possessione, instituire, quando sunt utrinque pro-*  
*babiles rationes ? Sanctius affirmat, cum Vasquez proba-*  
*bilius nego.*

*Dubitatur de iustitia belli : possunt ne milites bellare ? Pro-*  
*babile Salas affirmat, quia possunt pro Principe imperā-*  
*te præsumere. Ego autem sentio cum Sanchez & Mol-*  
*ina asserentibus id solis subditis Principis licere: sub qui-*  
*bus planè existimo comprehendendi non solum indigeas,*  
*sed omnes qui ante belli fuscitationem sub illo conti-*  
*nui militant stipendiis.*

*Princeps quis exteris omnibus negotiationem prohibet;*  
*peregrinationem, &c. per suum Regnum : num causa hæc belli*  
*inferendi iusta sit ? Sunt qui affi. ment iustam esse cau-*  
*sam : quia hæc iure gentium concessa videntur. Ego*  
*cum Molina id non auferim affirmare præcipuè si Prin-*





104 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
cipis obftaculum non tam ex prauitate procedat, quam  
ex lucro & commoditate propria.


*Milites bellum non quidem perfequuntur iure commiffum,*  
*fed committunt fanè in die fefto : etiam citra neceffitatem : num*  
*delinquant ? Audiatur Miffa , nullum erit peccatum. Ita*  
*Granados.*

*An repressalia fnt licita ? Sunt planè sex adhibitis con-*  
*ditionibus. 1. Vt non concedantur in Ecclefiasticas*  
*personas. 2. Vt manifèftè constet ciues alterius Rei-*  
*publicæ iniuriam feciffe. 3. Vt illorum superiores ro-*  
*gati iustitiam agere recufent. 4. Vt constet eos culpa-*  
*biliter id recufare. 5. Vt supremus Princeps Reipub-*  
*licæ lætæ caufa cognita concedat facultatem repressa-*  
*lia capiendi. 6. Vt non inferatur plus damni, quam ad*  
*iustam fatisfactionem fit neceffe.*

*Circa medicinam denique quaerim , an medicus tenea-*  
*tur applicare medicamentum certum fi habet , aut fi non ha-*  
*bet certum , faltem opinionem probabilem fequi poffit ? Te-*  
*netur ex falas fententia ad certum , fi habet , ex chari-*  
*tate , & iuftitia : fi non habet certum , potest opinionem*  
*probabilem fequi ; quia id applicat quod probabiliter*  
*æftimat profuturum : vnde mors fecuta minimè est ei*  
*imputanda*

*Æger in probabili mortis difcrimine verfatur , & moni-*  
*tus non curat confiteri , est ne tertia die propterea deferen-*  
*dus à medico ? Sentio cum Sanchez deferen- dum non*  
*efle : imo affirmarim medicum non teneri common-*  
*facere ægrotum obftinatum , quando certò credit mo-*  
*nitionem non profuturam ; nec propterea ægrotum*  
*deferendum ; quia hoc in eafu non obligat constitu-*  
*tio Pij V.*

EXAMEN



EXAMEN VIII.

De legibus in particulari circa Materiam sexti  
Mandati Decalogi de luxuria  
specialiter.

CAPVT PRIMVM.

De peccatis cordis, oris, auditus, visus & tactus  
contra sextum Præceptum.

**D**E sensuum delictis prius faciendum periculum: quoniam modo corde hoc sextum Præceptum: Non machaberis, frangitur? Aut desiderando rem illicitam; quod quidem desiderium ab obiecto speciem desumit, ut si cupis simplicem fornicationem, aut adulterium perpetrare. Delinquitur ulterius per morosam delectationem de re mala: si quidem sit de cogitatione tantum sine voluntatis consensu, peccatum non est; debet enim ad hoc, ut sit peccatum mortale esse perfecte voluntaria: ut autem veniale sit sufficit qualibet negligentia. Porro huiusmodi delectatio eiusdem est speciei cum opere presente cogitato; quidquid alij postea citandi senserint.

Quando nam ore graviter aut leuiter delinquimus? Locutio reru turpiu ex se res indifferens est: ob curiositatem tantum, vel leuitatem, sublato periculo, aut alio malo sine, veniale peccatum est; ob delectationem autem est peccatum quale res, de quibus est sermo: si res sint mortales, etiam locutio mortalis erit: si veniales, veniales. Ob delectationem vero ex narratione non excedit venialem culpam; cauenda tamen huiusmodi locutio propter periculum frequenter imminens.

Quidnam de auditu, aut visu Comædiarum? Repræsentantes comædias res turpes continentes, vel eo modo ut ad

67.

Cordis  
luxuries.

68.

Oris libi-  
do.

69.

Auditus  
& visus  
malitia.

venerem vt plurimum excitent, mortaliter peccant. Porro audientes ob scientiam, ob aliquem bonum finem, non peccant; ob curiositatem, aut leuitatem, venialiter delinquent; ob delectationem veneream ex ipsis consurgentem, vel cum probabili periculo illius, lethaliter excedunt. Id quod de scribentibus aut pingentibus res turpes, idem de legentibus turpes libros affirmo.

*Turpis aspectus malitiam distingue.* In aspectu equidem duplex delectatio, vna rei visæ ob qualitates naturales: & hæc si sit rerum turpium ob delectationem tantum naturalem, omni periculo sublato transeundi ad veneream delectationem, venialis culpa tantum est: partium tamen generationi deseruientium, practicè loquendo periculosus aspectus est sub mortali: quia nimia commotio spirituum: nisi leuissimus seu per transennam talis esset aspectus. Altera delectatio est rei visæ ob delectationem veneream, vel cum probabili periculo illius, & hæc est mortale peccatum. Aspectus ob curiositatem culpam venialem non excedit, modò periculum omne seclusum sit transeundi ad delectationem carnalem; enim vero si esset aspectus partium, quas pudor velat, vel ipsius concubitus speculatiuè quidem non damnam, practicè autem sub mortali damnandum existimò ob periculum faciliter transeundi ad illicita: consulatur cuiusvis complexio, & ætas.

*Quid de ornatu corporis aspiciendo à feminis, seu viris dato sentiendum?* Si fit animo, vt quis aut quæ carnaliter admetur, mortale crimen est: si alio bono fine vt maritus. v.g. aut vxor alliciatur: non est peccatum; si fiat non malo fine sed ob naturalem fastus inclinationem, veniale tantum erit, aut aliquando nullum.

*Munera ne reprobanda sub mortali?* Munerum missio ex prauo affectu mortale est; si affectus prauus mortaliter sit: si venialis tantum, solummodo veniale crimen erit.

70.  
Tactus  
turpium-  
do.

Venio ad tactum malitiam, quæ quidem impudicitia vocitatur.

vocatur. Distingue tactuum qualitatem. Triplices sunt Tactus. Primò, in signum amoris, & more patriæ. Secundò, causa delectationis concubitus. Tertio, causa delectationis ipsius tactus secundum se considerati, vt est delectabilis secundum qualitates naturales. Igitur oscula, amplexus & tactus quicumque ex se, & ex solo obiecto res quædam indifferens sunt. Si fiant primo modo causa amicitix, liciti sunt, & delectatio inde consequens etiam licita est. Si fiant secundo modo causa veneræ delectationis, mortalia peccata sunt inter solutos (seu non coniuges) siue exercentur tanquam dispositiones quædam ad concubitum; siue tanquam signa, quibus imaginationi repræsentetur idem concubitus, quasi ea ratione fruantur concubitus delectatione. Si autem tertio modo fiant ob solam delectationem sensibilem, non sunt lethalia peccata, sed venialia, nisi admisceatur delectatio venerea; practice tamen vitandi sunt sub mortali, ob periculum adducendi delectationem concubitus, vel veneræ. Et quidem antiqui Doctores tactus ob solam delectationem sensibilem non vocant libidinosos: hi enim sunt qui fiunt propter delectationem peccati mortalis in materia luxuriæ: vnde huiusmodi tactus potius delectabiles secundum sensum tactus, quàm libidinosos appellarim. Hinc colligo omnem tactum libidinosum inter solutos mortale peccatum esse. *Quid de tactibus in pudendis?* Ob solam delectationem sensibilem practice sunt mortalia, pro ratione periculi: speculatiuè in nostra sententia venialia sunt. *Possunt ne aliqui tactus à femina, seu viro permitti?* Cum quis aut quæ credit honesto amore alterum moueri, permitti possunt; in dubio autem attendendum cuius generis sint, an ex iis, qui palam fiunt, & pudici reputantur, an ex aliis qui tenebras quærunt, & impudici. *Quid de tactibus ob solam curiositatem?* Si sint in partibus honestis, venialem culpam non excedunt; in impudicis propriis, probabile, non esse mortalia; in alienis autem

aliqua abducitur cum violentia ad turpem actum cum ea exercendum. Num sponsæ de futuro raptus sit? Non est raptus si adducatur illa ad consummandum cum ea matrimonium, prius ratum: at si ad turpem tactum exercendum, raptus erit. Quotnam raptoris pœnæ? Duæ præcipuè. Vna, vt raptor alienæ sponsæ publica pœnitentia multetur: altera, vt sine spe coniugij maneat.

76.

*Sacrilegium.*

*Sacrilegium sexta species luxuriæ quidnam? Peccatum luxuriæ, quo persona Deo sacra, vel locus per actum venereum foedatur. Quot modis potest sacrilegium huiusmodi contingere? Quatuor. Primò, si persona sacra consentiat, vel delectetur deliberatè de actu venereo. Secundò, si persona non sacra in actum venereum cum persona sacra consentiat. Tertiò, si vtraque sacra sit. Quartò, si venereus actus fiat in loco sacro illicitè, vel licitè in coniugatis absque necessitate. Habens votum solenne, & simplex, satisfacit ne, si vnum in confessione exprimat? Ita planè, sicut & Religiosus in sacris; quia vnum specie sacrilegium committunt. Personæ sacre cum sacra quotuplex sacrilegium? Duplex planè. Committitur ne sacrilegium per desiderium libidinosum, vel turpem tactum in loco sacro? Minimè. Quidnam autem loci sacri nomine intelligitur? Locus quicumque publicus Episcopi auctoritate consecratus. Dormitoria non sunt sacer locus, nec sacristia, nisi celebretur in ea. Possunt ne cum sacrilegio alia luxuriæ species copulari? Ita planè, nempè Incestus, Stuprum, Adulterium, &c.*

77.

*Contra naturam.*

*Quidnam est peccatum contra naturam, quod speciei septimæ locum obtinet? Actus omnis, ex quo humana generatio sequi non potest; grauissimum quidem inter peccata luxuriæ delictum. Quotnam species huius criminis? Quatuor. Mollities, Innaturalis concumbendi modus, Sodomia Bestialitas. Scio probabile esse omnes esse vnius speciei, sed in has distingui probabilius assero. Quid est mollities? Qua quæritur voluntaria pollutio extra concubitum, causa venereæ delectationis. Ea quæ in somnis accidit,*

*Examen VIII. De Luxuria circa Mand. IIII*

*accidit, est ne peccatum? Secundum se minimè, ex causa antecedenti esse potest, si sit ex tali decubitu apposita ex intentione ad hunc finem, vel deliberatè quis in eam consentiat, de eaque delectetur, ob delectationem veneream inde securam. Quid de ea, quæ in vigilia contingit? Si ex causis naturalibus exoriat, ut complexione, visione, aut contactu necessario rerum venerarum, equitatione, & similibus, & sit præter intentionem nullum est peccatum, modò non sit probabile periculum deliberati consensus in illam; quare operam dare causæ, ex qua præuideatur securura pollutio, si quis possit, & teneatur eam auferre, peccatum erit: si habeat autem ius ad causam, ut ad hauriendum merum, &c. non tenetur auferre. Porro possunt cum Mollitiæ alia peccata interuenire cogitando in alias luxuriei species. Quidnam est innaturalis concumbendi modus? Per quem vir, seruatò sexu, & debito vase concubit cum fœmina modò indebito, ita ut impediri possit generatio per effusionem feminis extra vas. Multis modis id præstari potest, omnes tamen valent exerceri absque peccato mortali, si absit periculum impediendi generationem: imò à peccato veniali modus hic potest liberari, si propter ægritudinem, aut aliam rationem vir aliter non potest accedere. De Sodomia quid dicendum? Duplex est, quædam imperfectior qua seruatò debito sexu, non seruatò debitum vas; graue peccatum, sed ob quod pœnæ non incurruntur, Ciuili, vel Canonico iure constitutæ. Altera perfecta, qua ex affectu ad indebitum sexum vir decumbit cum viro; quare propriè Sodomia constituitur ex affectu ad personam indebiti sexus: ad incurrendas autem pœnas exigitur consummatio venerei actus in vase indebito. Hinc colligo coniunctionem fœminæ cum fœmina esse quidem Sodomiam perfectam ex affectu ad personam indebiti sexus; sed propter eam minimè pœnas incurrere debere; quia non adest, nec adesse potest cõsummatio venerei actus in indebito vase. Verum non vltra progredi huius affectus malitiam*

reor,

112 *Moral. Theologia Tract. I. Leges,*  
reor, ac si vir accederet ad puerum facie ad faciem tan-  
quam ad foeminam, &c. *Quid Bestialitas?* Qua cum re  
animata sentiente concumbitur non eiusdem speciei  
cum homine. *Quid de commixtione cum Dæmone?* Etiam  
est irreligiositas quædam & superstitio: & licet semper  
sit eiusdem speciei, ex affectu tamen ad virum, vel ad  
foeminam, in cuius forma Dæmon apparet, esse potest  
etiam fornicatio, vel Sodomia. *Ordinem horum delictorum*  
*grauitatis expende.* Minimè grauis est Mollities; tum in-  
naturalis concumbendi modus intra vas, ita vt genera-  
tio possit impediri; tertio concubitus cum foemina ex-  
tra debitum vas; quarto Sodomia, quinto Bestialitas.  
Nonum præceptum etiam expositum.

---

### CAPVT III.

*Praxis circa prædicta ex Societatis*  
*I E S V schola.*

78. *De cogi-  
tationi-  
bus im-  
pudicis.* **C**irca cogitationes requiro, num sit peccatum, si in cogitatio-  
nibus ueneris voluntas nec consentiat, nec dissentiat posi-  
titiuè, sed tantùm permissiuè se habeat, non impediendo, nec reprim-  
mendo motus luxuriei, quos possit reprimere ab his animum auo-  
cando? Probabiliter affirmat Sanchez peccatum mortale  
non esse. Periculosè planè huiusmodi cogitationibus  
laxabis habenas.

*Num in morosa delectatione opus sit fateri circumstantias?*  
Si illa delectatio consistat in simplici complacentia, sine  
ullo affectu ad opus externum: non est necessarium  
circumstantias exprimere; quia delectatio simplicis  
complacentiæ, quæ fertur v. g. in foeminam coniuga-  
tam non habet malitiam distinctam ab ea quæ fertur in  
solutam; neque enim expressè nec interpretatiuè in  
maritum iniuria approbatur. Id quod in delectatione,  
quæ fertur in personam affinem, aut religiosam ex  
sententia Vasquez affirmarim. Tamen excipe ab hæc  
doctrina

*Examen VIII. De Luxuria circa Mand. 113*  
doctrina coniugatos, qui contra castitatem, & fidem  
matrimonialem morosè delectantur, & votum absolu-  
tum castitatis habentes, qui contra Religionem pec-  
cant.

*Delectatur coniux de actu coniugij præterito, coniuge absente, vel de futuro etiam cum sensibili commotione: est ne peccatum mortale? Ex Vasquez negatiuè respondeo; quia delectatio illa per se tendit ad opus coniugale: est autem per se accidens, quod propter coniugis absentiam hic & nunc possit exerceri. Quid si copula coniugibus esset interdicta ob aliquam extrinsecam circumstantiam, quæ per se neutrum coniugem arcet ab usu matrimonij: v. g. si illicita est ob periculum abortus, vel si superueniat impotentia coeundi? Profectò ex eiusdem Sanctij doctrina existimo solù usum reddi hic illicitum, non autem delectationem; quia illa interdictio soli copulæ opponitur. Aliud resolverem cum Vasquez si coniux postea fecisset votum castitatis; quia per hoc prohibetur omnis delectatio venerea sensibilis, quod verum est, etsi illud emisisset sine alterius coniugis licentia, dum durat obligatio voti, quia licet possit tunc debitum reddere, non autem petere. Vidua vel sponsa de futuro de copula præterita, aut futura delectatur: num delinquant mortaliter? Maximè; quia sicut actus venereus utriusque est illicitus, ita delectatio circa illum actum. sic Vasquez.*

*Circa verba quæserim, an peccaret mortaliter qui feminam sollicitaret sine intentione executionis, ob solam ostentationem amoris, si sciat certò illam minimè ad assensum alliciendam? Peccat planè; quia ad scandalum illam adfert. Quid si tam effrenata libidinis sit qui sollicitat, tantæque iam insania circa libidinem laboret, ut nullatenus femina ad scandalum afferenda sit? Non delinquet mortaliter.*

*Circa opera denique requiro, quandònam femina vi compressa à viro non peccabit lethaliter? Si habeat firmam voluntatem non consentiendi, & impediatur, quantum in se est, ne sibi vis inferatur, clamore, & nifu corporis: alioquin censetur consentire. Ita Valentia. Quid si obruit non*

79.

De verbis  
turpibus.

80.

De operi-  
bus libi-  
dinosis.



114 *Moral. Theologia Tract. 1. Leges,*  
possit, nec clamare ad vitandam mortem, vel grane incommo-  
dum infamiae? Afferit Salas, posse pati externam corru-  
ptionem non consentiendo, sed merè passivè se habendo.  
Imò cum periculo consentiendi. Attamen quod ad  
ultimum id spectat mei Magistri doctissimi venia, ab  
eius opinione recedo; quod enim malum intrinsecè  
est, nullo est licitum prætèxtu.

*Scit mulier in choreis se ab aliquo tangi intentione prava, pec-  
cat ne huiusmodi tactus admittendo? Respondeo negatiuè  
cum Fillutio, modo tactus ex genere suo sit licitus, vt  
consertio manuum, vel oscula vrbauitatis.*

*Dixisti tactus impudicos in Ecclesia factos sine periculo pollu-  
tionis non habere ratione loci sacri specialem malitiam sacrilegij  
in confessione aperiendam; quia, vt Sanchez adnotat, Ecclesia  
tantum, aut emissione sanguinis, aut seminis violatur: rogo num  
pollutio, aut fornicatio occultè facta contineat specialem malitiam  
sacrilegij? Non continere probabilius Vasquez affirmat;  
ego cum Suario probabilius contrarium teneo, quia  
licet nullum sit scandalum, tamen loci sanctitas vio-  
latur.*

*Num oscula & tactus inter coniugatos sunt peccata mortalia  
extra copulam coniugalem; si fiant cum periculo pollutionis, aut  
cum pollutione? Non semper peccata mortalia sunt, sed  
solum quando pollutio ex intentione accidit, vel ex ea-  
dem sese periculo huiusmodi exponunt. Ita Sanchez.  
Quid si tactus fiant in partibus, quas pudor obvelauit, cum ipsa-  
rum commotione? Non erit mortale, si absit pollutionis  
periculum.*

*Quoniam modo oscula & tactus inter sponso de futuro cobo-  
nestantur? Respondeo ex Sanctio licitos esse, si tactus non  
sint impudici, & absit pollutionis periculum: aliter mi-  
nimè licere per se patet.*

*Coniugatus sui ipsius tactui operam impendit causa volupta-  
tis, extra coniugij actum: num peccat mortaliter? Etiam si pe-  
riculum pollutionis absit Vasquez afferit lethaliter de-  
linquere; quia non habet dominium sui corporis in or-  
dine ad venerem secum explendam, sed cum coniuge.*

*Scio*

*Examen VIII. De Luxuria circa Mand. 115*

Scio ex verbis amatoris secuturam pollutionem, vel ex curioso  
fœmine aspectu, vel ex nimia comestione, aut ebrietate: num sit  
peccatum mortale? Docet Vasquez non esse mortale etsi sit  
præiusta, nisi quando eius causa est mortalis in genere  
luxurie.

Potest ne Chirurgus curationis causa attere quodcumque  
ægotantis membrum etiam cum periculo pollutionis? Affirmat  
Lessius, si periculum consensus absit. Colligo Confessa-  
rium posse confessiones audire cum pollutionis peri-  
culo, modo consensus periculum absit, non aliter. Nec  
sequor Ferdinandum à Castro contrarium asserentem  
in eo, cui euenerit pollutio ex necessaria æquitate  
cum consensu; quia qui ex causa (ait) necessaria vel  
urgente se exponit periculo peccandi, non peccat, si de-  
terminatam habeat voluntatem non delinquendi; est  
enim tunc periculum illud inuoluntarium. Nec tamen  
non sequendo improbabilem tanti viri mei amantiissimi  
sententiam affirmo.

Accubans hoc, vel illo modo, & sentiens se ex tali situ in  
pollutionem cadere, tenetur ne aliter decumbere? Minimè ex  
sententia sanctij; si absit periculum consensus.

Licetum ne sumere medicinam effusionis seminis prouocati-  
uam? Ex Turriano respondeo licitum esse, si pollu-  
tio non intendatur, sed alius effectus utilis ægro-  
tanti.

Inchoatam ne in somno pollutionem tenetur quis euigilans re-  
primere? Minimè quia (vti ait Saa) cœpit inuoluntariè  
& sine peccato; continuatio verò illius est effectus na-  
turalis illius causæ inculpabilis. Quid si gaudeat de illa  
pollutione: vel optet euenire? Si gaudeat, vel optet non ob-  
delectationem, sed propter sanitatem, vel ad sedandas  
tentationes, nec peccatum quidem veniale est.

Datur ne in rebus venereis paruitas materiæ? Minimè; cum  
enim nulla sit tam exigua fornicatio, quin sit pecca-  
tum mortale, & delectatio sequatur naturam actus:  
omnis delectatio morosa in hac materia erit peccatum  
mortale.

*Alterius nomine scribit quis literas aut defert ad mulierem, quibus ad peccandum inuitatur: delinquit ne mortaliter? Non delinquere affirmat Saa. Cum Sanchez autem grauius peccare asseruerim; quia malum intrinsecè patratiōni delicti dare operam.*

*Licet ne ex iusta causa locare domum meretrici, vel alicui petenti ad fornicandum? Valentia docet licere; quia locare domum, est res per se indifferens, quæ ex sola praua abutentis intentione ad malum ordinatur. Tamen si expressè dari sibi domum amicus petierit, vt illicitis fruatur optatis, sub mortali negare teneris; quia res iam minimè indifferens.*

*Licet ne medico ad pollutionem ciendam medicamina ordinare? Minimè; (vti ait Toletus) quia sicut intrinsecè malum est ipsum ægrotum procurare, licet sit propterea ab ægritudine eruendus, ita nec medico operam dare licebit huiusmodi in ægrotante effectui.*

*Coniugatus de copula imaginaria cum aliena uxore delectatur, peccat quidem contra castitatem; rogo an etiam contra iustitiam delinquat? Affirmo etiam contra iustitiam delinquere; quia coniux per matrimonium non tantum corpus, sed etiam coniugi obligauit affectus. Ita Sanchez.*

*Licet ne Ecclesiasticis legibus uxorem in adulterio deprehensam occidere? Minimè ob periculum manifestum damnationis occisæ: accusanda potius, & iudicis sententia punienda.*


*Adulter suscepit prolem ex alterius uxore; quam uxor huiusmodi marito & alendam, & hereditate donandam cum legitimis filiis supponit: num ad resarciendum damnum teneatur? Minimè ex Henriquez, modò ipse non fuerit author talis suppositionis; quia huius damni sola adultera est causa; adulter autem solum tacendo permittit, vt supponatur. Tenetur tamen adulter restituere alimenta proli impensa à tertio ætatis anno, etiam si non fuerit suppositionis causa.*

*Tenetur ne uxor restituere pecuniam marito per adulterium partas*

*Examen IX. De Furto circa Mand. 117*

*partas? Minimè; quia damnum per adulterium illatum non est pecunia æstimabile. Tenetur ne alteri restituere? Nec alteri tenetur; quia leges adulterium prohibentes, non reddunt irritam illam pecuniarum acceptio-*

*nem.*  
*Num Bulla Pij V. contra Clericos Sodomitas obliget in foro conscientie? Henriquez sentit vsu non esse receptam probabiliter, nec in conscientia foro obligare. Quod si vsu recepta sit, Clericus foeminã in indebito subigens vasi, non committit propriè Sodomiam; quia licet non seruet debitum vas, seruat tamen sexum. Nec incurrit ex Suario pœnas Bullæ intra vas masculi semen non immittens; quia delictum non est consummatum. Nec ex eodem qui non nisi bis, aut ter in Sodomiam sunt lapsi; quia Pontifex has pœnas Clericis exercentibus Sodomiam infligit. Nec (adhuc ex Suario) ante sententiam iudicis declaratoriam pœnas Bullæ in foro conscientie incurrun; quia nulla lex pœnalis obligat homines, ad se prodendum. Colligo Clericum exercentem Sodomiam, si sit contritus, etiam retento beneficio, officio, & dignitate, omnino esse absolendum.*



*E X A M E N IX.*

*De legibus in particulari circa Materiam septimi Mandati Decalogi de Furto.*

*C A P V T P R I M V M.*

*De graui Furti materia.*



*Vid est Furtum? Occulta ablatio rei alienæ Domino rationabiliter inuito. Rapina quid? Est ablatio rei alienæ per violentiam.*

*81.*

*Materia Furti*

*Quodnam peccatum Furtum, aut Rapina? Mortale ex grauis.*

*H 3*

*genere*

genere suo; fieri tamen veniale possunt ex paruitate materiae, vel ratione indeliberationis, & quando Dominus quoad substantiam rei acceptae non est inuitus, sed solum quoad modum; v. g. quando pater ægrè fert rem, quæ auferitur à filio, non peti.

*Quenam quantitas est sufficiens materia ad peccatum mortale furti?* Variè respondent Doctores. Alij enim quatuor iuliorum vel regalium summam grauem esse respectu omnium asserunt: alij aureum quid esse notabile affirmant respectu diuitum, respectu mediocrium medium aureum, respectu autem pauperum duorum regalium, imò minorem quantitatem respectu alicuius particularis sufficere per accidens ad grauem materiam. Profectò missis his, aliisque assignatis vtrò quantitibus, non approbo determinatam huiusmodi assignationem; quia pro Regnorum varietate varia est nummorum æstimatio; vnde ex nummorum assignatione non potest generalis certa regula præscribi. Vnde opinor illam quantitatem esse sufficientem ad materiam grauem furti, quæ omnibus consideratis; infert Domino graue damnum, aut notabili priuat vtilitate: habita quidem ratione personarum, in ordine ad quas metienda est grauitas, aut leuitas furti iuxta Regnorum consuetudinem, ex qua crescit aut minuitur nummorum æstimatio. Addo illam quantitatem graue damnum inferre, aut notabili priuare vtilitate, quæ sufficit ad congruam sustentationem eius cui damnum infertur iuxta status sui qualitatem. v. g. Diues aureo indiget ad honestum victum? Aureus est respectu illius grauis materia. Eget mediocris medio aureo? Medius aureus est materia notabilis. Quod si duobus, vel tribus, vel quatuor, vel vno regali indigeret, hæc esset adæquata ad mortale materia. Si verò per accidens quis tam pauper dimidio regali solummodo ad congruum victum indigeat: hæc minima quantitas erit sufficiens materia ad grauitatem furti. Hinc colligo circa principes etiam seruandam proportionem non cōsiderato quantitatis excessu, sed

fed decentiæ mediocritate: sufficientibus quidem tribus aureis ad Principis mensam; quia folius regiæ perfonæ habenda ratio, non familiæ, cuius sustentationi copia ingens impenditur.

C A P V T II.

De Furtis minutis.

**M**inutis Furtis quis notabilem quantitatem furripuit: quonam se crimine illigauit? Si ex intentione procedendi furripuit, in statu mortali est: si ex occasione sine intentione alterius materiæ casualiter parua furta committit non peccat mortaliter, si per magna interualla id accidat, vnde non recordetur facillè furtorum prælapsorum. In praxi quidem securius, cum ad notabilem quantitatem peruenit, si aduertat ita rem se habere, peccare mortaliter. Quod si non aduertit quando modicæ quæque furripuit; solum venialiter deliquit licet ad magnam quantitatem furta minuta accrescerent: at ad huiusmodi quantitatem perueniens, tenetur aduertens totum restituere, aut illud sanè, quo ex quantitate illa excluso leuem relinquit quantitatem.

82:  
Minuta furta.

Furatur quis minimum animo furandi maius, sed non furatus est: deliquit lethaliter? Ita planè; quia eiusdem malitiæ est, velle furripere, quàm actu exequi.

Quid quando à pluribus aliquid aufero? Maior quantitas requiritur ad graue furtum, quàm cum ab eodem. Imo quando paulatim ab eodem subtrahitur, quàm cum simul; & quando tempore longo, quàm cum eodem, vel breui; quia minus quidem infert nocumentum sic auferens: cum ratio maioris aut minoris damni sit aspestanda, ad grauem, aut leuem iniuriam.

Multi simul furantur grauem quantitatem, at singuli modicum quid furripere: delinquent ne grauiter? Si communi consilio furati sunt, grauiter peccant; quia per modum

120 *Moral. Theologiae Tract. I. Leges,*  
vnius agressi sunt: at si quisque de aliis nelciat non  
peccant mortaliter, nec tenentur ad restitutionem sub  
mortali, sed sub veniali.

*Non quidem illi commissi consilio surripuere, sed tamen scit  
vnusquisque de aliis damnium inferentibus: delinquit ne gra-  
uiter modica surripiendo? Mortaliter peccant, & tenentur  
suam partem tantum restituere; quia non cooperati  
sunt illorum acceptioni. At qui fuerunt cooperati sur-  
ripientes communi consensu, in integrum debent resti-  
tuere, si alij non restituunt portionem suam.*

---

### C A P V T III.

*De Filio, de uxore, & alijs furantibus.*

83.  
Varij fis-  
vantes.

*S*urripere ne possim rem meam, quæ iniusto titulo apud alium  
est? Delinquis quidem si aliter recuperare possis;  
sed tamen ad restitutionem non teneris; quia tua est.

*Licet ne in graui necessitate aliquid surripere; Minimè; quia  
in huiusmodi necessitate res est aliena, cum sola extre-  
ma rem faciat communem.*

*Principis sum creditor, qui ab eo solutionem non possum ob-  
tinere: possum ne vectigalia in compensationem defraudare?  
Potes: valetque huiusmodi doctrina etiam in censibus,  
decimis, & alijs iuribus alteri elocatis.*

*Filius grauem summam accepit ex bonis, quorum pater ha-  
bet dominium, vel vsumfructum: deliquit ne grauiter? Maxi-  
mè, si pater non solum quoad modum, vt dixi, sed  
etiam quoad substantiam videtur inuitus. De restituo-  
ne alibi.*

*Quid si uxor grauem quantitatem accipiat ex bonis mariti,  
vel ex bonis quorum maritus habet administrationem, & vsum-  
fructum? Peccat mortaliter, cum onere restitutionis, si  
id præstet sine expresso, aut præsumpto mariti consen-  
su, aut conditione. Potest tamen inuito viro capere,  
aut donare, bona paraphernalia, illaque pro libito  
dispensare;*

dispendere; quia sunt illius propria quoad dominium. Potest etiam ludere, & pecuniam accipere ad ludum, dandumque pauperibus intra limitem, & decentiam status; neque peccat accipiendo aliquid, quod maritus rogatus facillè concederet. Potest item, etiam inuito viro, pro necessariis sibi, & familiae accipere, scilicet pro veste, cibo, medicamentis, & ut subueniat patri, matri, vel filiis ex priori matrimonio susceptis, si sint in egestate, & aliunde non habeat unde illis queat subuenire.

*Servus ne peccat mortaliter, quando in quantitate notabili à suo Domino auferit?* Peccat, nisi fortè Dominus sit irrationabiliter inuitus: v.g. si necessaria non suppeditet; tunc enim servus habet ius sibi succurrendi, ita iure naturæ dictante.

*Rem grauis quantitatis inueni: num possum licitè retinere?* Si post factam inquisitionem, verus Dominus non reperitur, licet perfectum esset pio operi consecrare, tamen potes tua fortuna frui, etiam si diuitiis affluas, nisi aliqua specialia prohibitione impeditus esses.

*Est ne peccatum concupiscere rem proximi?* Si concupiscis proximi diuitias, ut auferas, grauius, aut leuiter delinquis iuxta materiae quantitatem; at si solummodo desideras similes diuitias possidere ad bonum finem, nec leui delicto macularis. Decimum iam Mandatum aperui.

---

C A P V T I V .

*Praxis circa praefata ex Societatis  
IESV schola.*

**D**ixisti in graui necessitate non licere aliena occultè furari. Num probabilis contraria sententia? Ex doctrina Lessij probabilem existimo; quia sicut diues in graui necessitate teneatur dare, ita pauper potest accipere absque

84.

De Furto  
varij ca-  
sus.



iniuria: neque diues in hoc casu potest esse rationabiliter inuitus circa substantiam rei acceptæ: sed tantum potest ei modus displicere.

*Num furtum rei non sacre in loco sacro sit sacrilegium? Affirmo ex Fagundez non esse, nisi sit ibi deposita quasi sub iure & potestate Ecclesiæ; quia res illa non sacra est in Ecclesia quasi per accidens: ergo ipsi Ecclesiæ specialis non irrogatur iniuria.*


*Filius mercatoris, patris bona administrat, & potest à patre salarium exigere quantum alicui extraneo deberet: si illud non posset à patre petiit impetrare, potest ne clam accipere? Potest quidem ad iustam æstimationem laboris, & industriæ suæ, computatis tamen in dicta æstimatione expensis, quas pater in ipso effecit alendo. Laymanus ita.*

*Comedi apud furem bona fide cibos furtiuos: num deliqui? Minime; attamen Sanchez affirmat teneri te restituere Domino id, in quo factus es ditior. Ego autem tanti viri venia assero non teneri ad huiusmodi compensationem nisi quando mala fide comedisses. Imò si furti confors non fuisti, comedens ex furtiuis solum videris lædere furem, qui gratis dat tibi quod ipse surripiebat restituere tenetur: vnde probabile existimo non teneri te ad restitutionem licet mala fide comedisses.*

*Sartores magistri assolent vendere fragmenta, quæ supersunt ex vestibus: an liceat emere? Ex Sanchez affirmatiue respondendo, quando existimes illa ideo eos iuste retinere, quia alias non possunt plenam mercedem impetrare. A famulis autem sartorum emere non licet; quia respectu illorum haud potest huiusmodi coniectura fieri.*

*Quis decreuerat iniustum damnum alteri inferre: ego equidem meo hortatu eum confirmaui, sui que causa, ut citius, & expeditius damnum inferret. Furi item furandi gratia ascendenti scalam tenui, quam etsi non tenerem, tamen ille ascenderet. Latronem denique rem furtiuam asportantem adiui, quam tamen sine mea ope auferret: Rogo num in his casibus deliqui, tenear- que ad restitutionem? Respondeo ex Laymano te deliquisse quidem;*

*Examen X. De Fals. testim. circa Mand. 123*  
quidem, sed ad restitutionem non teneri; quia non es  
causa furti, sed tantum modi, aut circumstantiæ. *Quid si*  
*hortatu meo, aut securitate, aut auxilio maius damnum inferre-*  
*tur à fure?* De excessu tantum tenereris. Plura in mate-  
ria de Restitut. Sigillo 4.



## EXAMEN X.

De legibus in particulari, circa Materiam octavi  
Mandati Decalogi de falso testimonio  
non dicendo.

### CAPVT PRIMVM.

#### *De iudicio temerario.*

**C**ontra octauum Decalogi præceptum: Non falsum testi-  
monium dices, delinquitur aut iudicio, aut mendacio,  
aut contumelia, aut detractione, aut susurratione. *Quid*  
*igitur est iudicium temerarium?* Firmus assensus de aliqua  
re mala ex leuibus indicis. *Quodnam peccatum est?* Mor-  
tale ex suo genere, & contra iustitiam: at si internum  
tantum sit non obligat ad restitutionem; ex leuitate  
materiæ veniale est.

*Ut sit peccatum mortale, quanam in iudicio concurrere de-*  
*bent?* Tria equidem. Primò, debet formari sine indicis  
sufficientibus. Secundò, debet ex plena deliberatione  
efferi. Tertiò, certò, & sine vlla formidine. Quæ qui-  
dem omnia rarò concurrunt in temerè iudicantibus;  
plerunque enim iudicant cum formidine de opposito;  
nullum autem iudicium citra certitudinem est pecca-  
tum mortale.

*Quid igitur de suspitione temeraria dicendum?* Non est ex  
suo genere peccatum mortale, præsertim si contingat  
ex quodam intellectus errore: sicut neque opinio te-  
meraria.

*Quanam*

85.  
Iudicium  
temera-  
rium.

*Quenam res possunt fundamentum iudicandi exhibere?* Dubia de rebus æstimanda momentis suis: de personis interpretanda in meliorem partem. In dubio non teneris interpretari in meliorem partem positivè & speculativè, sed bene negativè & practicè. Ex charitate in dubio quisque iudicandus probus. Si ferendum iudicium sit, dubia in meliorem partem interpretanda. Ad cautelam, & ex suppositione dubia interpretari possunt in deteriore partem, & Superiores ob indicia dubia subditos obiurgare possunt. Multa iudicia possunt esse falsa, & non temeraria: v. g. si iuuenis lascivus cum fœminâ clam loquatur de re quidem indifferenti, qui videt illum sibi iam cognitum impudentem, non temerè de crimine iudicabit. Sicut aliqua iudicia assolent esse vera, sed tamen temeraria: v. g. si bonæ famæ vir cum fœmina bonæ etiam famæ de re turpi loquatur in publico; qui iudicaverit nequitiam; verè equidem, sed temerariè iudicium profert; quia nullum adest firmum fundamentum.

---

## CAPVT II.

### *De Mendacio, & secreti reuelatione.*

86.

*Mendacium.*

**Q***uidnam mendacium? Falsum verbum cum intentione fallendi.*

*Quotuplex mendacij diuisio? Duplex quidem. Prima, ratione vitij oppositi veritati, in iactantiam, & ironiam. Secunda, ratione culpæ grauioris, vel leuioris, in perniciosum, iocosum, & officiosum.*

*Num omne mendacium peccatum sit? Ita planè & ex suo genere malum; potest autem & venialis, & mortalis esse mendacij culpa iuxta eius grauitatem aut leuitatem.*

*Quodnam peccatum est in doctrina Christiana mentiri? Ex suo genere mortale: vt etiam mentiri in doctrinis naturali*

*Examen X. De Falso testim. circa Mand. 123*

naturalibus, si pertineant ad praxim virtutis, & vitij, quamuis omne scandalum excludatur, & contemptus.

*Num mortale sit crimen leuiter mentiri in iudicio, aut in Confessione?* Minimè, quia leuis iudicij iniuria, & leuis Confessionis irreuerentia est.

*Recepi centum ab alio, solui, sed probare non possum: num negare possum in iudicio non accepisse?* Potes quidem cum restrictione mentali, & que nunc debeas. Sicut petenti centum, cum tantum debeantur quinquaginta, respondere potes, non debere.

*Num veritatem aliquando celare licet?* licet equidem. Interrogatus testis, pro tempore potest uti æquiocatione, si reuera illo tempore reus factus non sit, quando non debet iuxta mentem iudicis respondere. Interrogatus an habeas pecuniam, si petatur cum iniuria, negare potes, aut si adsit rationabilis causa id faciendi. Perniciosum igitur mendacium graue aut leue est iuxta materiam, iocosum & officiosum veniale plerumque.

*Quid de secreti iniusta reuelatione?* Seruare alienum secretum, fidelitatis est: at seruare secretum, ad quod quis obligatur ex officio, est iustitiæ; secretum de propria re, charitatis est, & continentia.

*Quodnam peccatum est secreti reuelatio?* Prodere secretum parui momenti, veniale est, magni momenti, ut peccatum graue, quando infamandus patratore, graue crimen erit. Detegere vni graui viro graue secretum criminis. v.g. quando scio illum seruaturum, nec grauitur apud ipsum famam vulnerandam, graue peccatum non erit iuxta plures Doctores. Ego secretum graue reuelari posse vni concedo sine mortali, modo alterius peccatum non sit; nescio enim quonammodo possit crimen foedum alterius tam prudenti viro reuelari ita ut fama bona patratore delicti non vulneretur?

*Quid de secreto ad Rempublicam pertinente?* Si cedat in damnum Reipublicæ, manifestandum est: si autem reuelatio

87.

Secreti  
reuelatio.

126 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
reuelatio in eiusdem damnus cedat, celandum est,  
etiam si grauius tormenta, & mortem ipsam quis esset  
subiturus.

---

### C A P V T I I I.

*De Contumelia, Detractione, susurratione, &  
aliis peccatis oris.*

88. *Contumelia.* **Q**uid est *Contumelia*? Iniusta honoris ablatio facta in  
praesentia patientis illam. Consistit in verbis & factis; à conuicio, & improprio materialiter tantum differt. De ratione autem eius est, ut dicatur aliquid in detrimentum honoris alterius ea intentione, ut is id intelligat; quod fieri potest etiam in absentia eius, dicendo defectum aliis ea intentione, ut ad illum deferatur.

*Quodnam peccatum est contumelia?* Contumelia formalis ex suo genere mortale crimen est; non materialis; & quando fieret animo corripiendi tantum, nullum peccatum est; si fiat ioco, & ex animi leuitate quadam, veniale est: aliquando fateor esse mortale, ut cum honor notabiliter, me aduertente, aut dubitante, laederetur.

*Quid de libellos famosos conficientibus?* Mortaliter peccant, non sunt tamen iure communi excommunicati; sed excommunicandi, si sint Ecclesiastici. Qui eos repetiunt, ad rescindendum tenentur. Qui conficit, non tenetur se prodere, si sit occultus; in aliquo casu potest per accidens obligari.

*Num repelli potest contumelia?* In animi praeparatione contumelia ferenda patienter est: re autem ipsa non semper tenemur, sed in quibusdam casibus repelli potest.

89. *Detra-* **Q**uid est *Detractio* quidnam est? Alienae famae iniusta occulta  
*Etio.* violatio.

*Examen X. De Falso testimonio circa Mand. 127*  
violatio. Pluribus modis fieri potest tam directè, quàm indirectè.

*Quàm graue detractiois peccatum?* Ex suo genere formalis detractio mortale crimen est, materialis non semper est mortale peccatum, sed venialis aliquando. Qui refert audita potest aliquando formalis detractor esse, sæpè tamen non est, vt, v.g. cum probabiliter iudicat nullam inde infamiam orituram.

*An naturales defectus sint detractiois naturalis materia?* Regulariter non sunt, imo nec natalium, præcipuè cum in vulgi ore communiter versantur hi, illi autem non pertineant ad famam.

*Publicum crimen vno in loco in alio quis diffamat: num delinquit contra iustitiam?* Minimè, nec contra charitatem quidem, si fama faciliè eum in locum crimen huiusmodi perlatura erat. *Quid si crimen olim publicum hodie occultum sit?* Id diffamare contra charitatem est solum, nisi propterea diffamatus contemptui inibi haberetur; tunc enim etiam esset contra iustitiam.

*An sit mortale diffamatum iam de vno rursus de alio diffamare?* Si crimina sint similia, non est mortale, secus si dissimilia sint, vnde accrescat grauius infamia.

*Licetum ne hypocritas diffamare?* Si quærentes sibi fictis virtutibus famam nulli noceant, non licet; esset enim contra iustitiam. Profectò probabile esse fateor licitum esse diffamare eos, quando fama quæ sita sit ex intellectualibus virtutibus, vel naturalibus; non tamen moralibus.

*Num historici vt seriem historice veritatis attequant possunt crimina prodere?* Publica quidem possunt, & etiam secreta, si infamatoria non sint: si infamatoria & non omnino secreta etiam possunt: secus si omnino secreta; quia patratore criminis secreti ius habet ad famæ tuitionem.

*Licet ne mihi in aliquo casu me ipsum infamare.* Non est id ex genere suo mortale, quia ex circumstantiis licitum esse potest. Ad vitandam mortem potes te infamare; ad vitanda

128 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
vitanda autem leuia tormenta infamare te cum periculo mortis mortale peccatum est: Secus si grauius tormenta sint. Ad amicum eripiendum à morte potest se ipsum quis infamare, si iuridicè non procedatur, secus si iuridicè. Num qui vi tormentorum falsus est falsum crimen sese retrahere teneatur? Minimè, si denuo tormenta metuat.

*Audio mortalem detractionem: delinquo ne grauius? Moraliter delinquis contra iustitiam, si ita audias, vt inducas, vel animas detrahentem; si autem non impedis, cum commodè possis, nec tamen animas, aut inducas, peccas contra charitatem; si denique solum delectari detraCTORIS eloquentia, vel curiositate, aliena facta dignoscendi, non tamen optes, vt detrahat, venialiter tantum delinquis; quia nullo modo causa aut adiutor existis huiusmodi detractionis.*

*Detrahit subditus coram Prælato: num ille debeat impedire? Superior, scilicet Episcopus, Superiores regularium, Principes, &c. non impediunt subditum detrahentem peccant contra iustitiam; quia causa sunt illius, cum facile possint impedire.*

*Potest ne aliorum reuelare crimina ad tormenta vitanda? Falsò infamare alium non licet: verum crimen licet aperire si tantummodo infamiae incommodum impendeat, modò non sit sacramentaliter cognitum. Scio laudabile esse minimè reuelare, sed tamen non peccabit qui tormentorum vi actus reuelat.*

*Potest ne reuelari alterius occultum crimen ad impediendum proximi damnum? Potest, si damnum proximo impendeat; secus si non impendeat, vel nil iuuat ad damnum impediendum.*

*Licet ne infamare defunctum? Minimè, præcipuè cum quando eius cum fama etiam fama viuientium coniuncta esset.*

90.  
*Susurratio.*  
*Quid est susurratio? Occulta oblocutio contra proximum, qua dissolui possit amicitia, & discordia inter amicos exoriri. Porro formalis susurratio ex genere suo peccatum*

*Examen X. De Falso testim. circa Mand. 129*  
peccatum graue est; materialis minimè ex genere. Excludere aliquem ab amicitia Principis quodnam crimen? Si illicitis modis excludatur, mortale est; si tantùm naturales illius defectus, vel alij publici morales narrentur, etiam peccatum est, nisi ex illius exclusione aliquod magnum bonum sequeretur.

Quidnam est irrisio? Actio, qua proximus rubore confunditur, & bono serenitatis priuatur. Præciso contemptu, veniale ex genere suo peccatum est: ex circumstantia fieri mortale potest, & aliquando nullum. *Irrisio.*

---

## C A P V T I V.

### *Praxis circa præfata ex Societatis*

I E S V schola.

**D**ixisti suspensionem plerunque peccatum veniale esse: rogo **91.**  
num sine sufficienti causa suspicari de viro sanctissimo rem De Testi-  
grauissimam, v.g. heresim, aut adulterium mortale sit? Ita pla- monio  
nè; quia tantæ personæ in criminis tanti suspitione falso, iu-  
tanta irrogatur iniuria, quàm cuiilibet, de quo temerè dicio te-  
iudicatur. Ex Valentiaë doctrina. merario,

Iudico temerè de aliquo indeterminato: aut de aliquo deter- Detra-  
minato, quem non agnosco, nec agniturus sum: num lethaliter ctione,  
delinquam? Non; quia in hoc casu quasi nulli grauis ir- &c. Varij  
rogatur iniuria. Ex Fagundez. casus.

Quot sunt detractionis modi? Octo equidem, quatuor directi hoc carmine expressi:

*Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.*

Et quatuor indirecti, hoc versu exarati:

*Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remissè.*

Assero in tali Collegio, vel tali in loco multos improbos adesse; vel vnum in Canonicis talis Ecclesie simoniam aut adulterium commississe, persona quidem in particulari non manifestata: an deliquerim grauius? Minimè, cum nullus grauius lædatur: modò dictione tua talis loci nimium non minuas



*An poenitens peccato detractionis delinquat complice in confessione manifestando? Minimè quando aliter non potest peccati speciem explicare, nec commoditate adeundi alium confessorium fruitur. Ex Suario.*

*Falso affirmo adulterum scripsisse amatorias literas: aut hereticum Crucifixi imaginem vulnerasse: pecco ne grauiter contra iustitiam? Minimè; (vti ait Filliutius) quia iam infamatum in illo genere peccati diffamò vltèrius in re quæ habet cum illo connexionem.*

*Scis iam libelli famosi nomine intelligi signum, vel scripturam, quæ alicuius infamiam continet nondum antea publicam, vt publica fiat: rogo, num concurrentes ad huiusmodi libellos præbens auxilium, &c. grauitèr delinquat? Ita planè, & ad restitutionem quemadmodum confector tenetur vti Lessius asserit. Porro ille etiã habetur libelli auctor, eiusque pœnis subiacet, qui aliquod signum apponit, quod alium infamat: v.g. si quis cornu ad ianuam depingat, vel exponat ad iudicandum coniugis adulterium.*

*Licitum affirmasti aliquando ex rationabili causa, peccata manifestare propria, & famam prodigere: requiro, an possit quis similiter exponere crimina, ex quibus aliis redundet specialis infamia: v.g. se hereticum esse, aut crimen læsæ Maiestatis commisisse? Maiorem ex Doctoribus cunctis præcipuè Castro requiri causam assero; quia ista crimina in opprobrium posterorum redundant. Similiter existimo Religiosum delinquere contra iustitiam, se ipsum infamantè, quando illius dedecus in Religionem, vel Monasterium redundat; quia fama particularis totius Religionis est.*

*Reuelauit quis crimen alterius iniuste coram iis, quos sciebat, vel dubitabat aliis reuelaturos ad quidnam tenetur? Apud omnes famam restituere; quia sua detractione censetur apud omnes causa efficiens infamix; secus si reuelauit alicui, de cuius taciturnitate non dubitabat. Ex Lessio.*

*Narro amico meo iniuriam mihi ab alieno secreto illatam,  
non*

*Examen X. De Falso test. circa Mand. 131*

*non quidem animo detrahendi, sed doloris mei leuandi gratia: delinquone mortaliter? Minimè; nam (vti Lessius innuit) durum est acceptas iniurias silentio obruere.*

*Dixisti occultum crimen alienum sine graui causa vni, aut alteri viro prudenti manifestare, quem scis non euulgaturum, non peccare mortaliter: vogo, num ratio sit sufficiens vt non delinquatur; hanc non esse notabilem famæ læsionem? Scio id aliquos extra Societatem affirmare vt Caietanus, &c. Ast ego eam non existimo sufficientem causam cum Suario. Vnde affirmo peccatum graue huiusmodi delictum vni aut alteri manifestare, si fama sit apud illos lædenda; quia si iudicare temerè aliquem graue peccatum est, ob famæ deturpationem iudicati apud eum, qui iudicat, quare non erit graue peccatum aliquem apud duos viros infamare? Igitur non erit peccatum graue, eo quod non sit notabilis læsio famæ apud duos, sed quia prudentes cum sint non grauius apud illos delinquens deturpabitur: quod si lædenda sit grauius fama, nec apud vnum licebit alterius manifestare delictum.*

*Falsum dicendo alterum infamauit: teneor ne fatori falsitatem? Respondeo ex Tannero, si alio commodiori via fama restitui non possit, teneri te falsitatem fateri; ac si opus sit, iuramento tuam retractationem confirmare.*


*Verum dicendo alterius propalauit crimen: ad quidnam teneor? Teneris solummodo eum laudare, quem prius diffamaueras, nec ampliùs de illa re loqui cum illis, apud quos eum diffamaueras. Sic Lessius.*

*Si non possum famam restituere, teneor ne pecunia compensare? Affirmat Molina, ex cuius mente poterit infamatus sibi satisfacere ex debito pecuniario infamantis, si hic aut non possit, aut nolit aliter satisfacere. Ego equidem probabile reputo infamantem, qui aliter non possit, cum velit, non teneri pecunia compensare.*

*Detraxi verbis generalibus affirmans aliquem esse mendacem, grauius scio me deliquisse, si persona grauis erat, aut dignitate, aut ministerio num teneor famam restituere? Scio alios generatim excusare à restitutione omnem detractionem,*

132 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*  
quæ non est de peccatis mortalibus. Sed tamen ego as-  
fero teneri ad restitutionem, qui affirmavit grauem vi-  
rum esse mendacem; quia licet mentiri mortale non  
sit, deturpatur fama illius viri de quo id affirmas, ac si  
grauiter deliquisset: vnde teneris ad satisfactionem sub  
mortali.

*Dixisti non esse peccatum mortale in confessione reuelare cri-  
men proximi: v.g. complicitis, si non posset adiri alius confessa-  
rius, cui is esset ignotus: rogo num probabile sit etiam peccatum  
non esse, licet adiri facile possit alius confessarius? Probabile  
esse affirmant graues Doctores exteri; quia si licitum  
est illud dicere vni vel duobus extra confessionem, mul-  
to magis in confessione, cum absit diuulgationis peri-  
culum. Ex Suario.*



## EXAMEN XI.

De legibus in particulari circa primum Ecclesiæ  
Præceptum de Audiendo Sacro.

### CAPVT PRIMVM.

#### *De Missæ Sacrificio.*

92.  
*Missæ  
Sacrifi-  
cium.*

**Q**uid est sacrificium? Oblatio facta Deo per immu-  
tationem alicuius rei in signum legitimè insti-  
tutum diuinæ excellentiæ. Multiplex olim fuit:  
& si materiam spectes, in animalia, fructus terræ, & li-  
bamina (quæ liquores quidam erant) distinguebatur; si  
formam, seu actionem offerentis, in holocaustum, ho-  
stiam pro peccato, & pacificam partiebatur; si finem,  
offerebatur tum pro venerando Deo, eiusque excellen-  
tia protestanda, tum pro expiatione peccatorum, tum  
pro gratiarum actione, tum denique pro impetratione  
beneficij. Hinc Sacrificij Missæ perfectio dignoscitur,  
quod & holocausti rationem habet in diuinæ excel-  
lentiæ

*Examen XI. De Missæ circa Præc. I. Eccl. 133*

lentiæ recognitionem, & actionis gratiarum in recognitionem passionis Christi, & impetratorij, cum per illud Christus offeratur, cui nostra spes omnis debet inniti.

*A quonam Missæ Sacrificium institutum?* Si sermo sit de substantia, à Christo Domino fuit institutum, docente fide: si ratione cæremoniarum, & orationum, quæ adiunguntur, Ecclesiam habet institutricem.

*Quenam res Sacrificij huius?* Christus est, qui sub Sacramentalibus speciebus offertur.

*Quenam autem actio, in qua ratio Sacrificij ponitur?* Consecratio est ad sumptionem ordinata, sic enim cibus & refectio fidelium.

*Requiritur ne utriusque speciei consecratio?* Ita planè: sic enim mystica mactatio est expressè corporis à sanguine lèparationem repræsentans.

*Differt ne Missa ab incruento Sacrificio, quod Christus obtulit, & à Crucis cruento?* Profectò Missa Sacrificij illius oblatio est accidentaliter tantum differens ab incruento illo, quod in cœna Christus obtulit, & à cruento Crucis; quod in actione quidem sacrificandi distinctum, sed in re oblata conuenit.

*Quisnam offerens hoc Sacrificium?* Summus Sacerdos principaliter offerens Christus est, non tantùm remotè, ob institutionem, & virtutem in eius merito fundatam; sed etiam proximè, quia Sacerdos quilibet in persona Christi conficit, & cum omnibus actu concurrat repræsentando omnes & singulas oblationes Christi Deo in passionis suæ memoriam. Porrò Minister omnis Sacerdos est legitimè ordinatus: alij etiam fideles moraliter illi aliquo modo cooperantes, offerentes sunt medio Sacerdote: & suo etiam modo tota militans Ecclesia.

*Pro quibusnam hoc Sacrificium offertur?* Personæ, pro quibus offertur, multæ sunt. Primò ipsemet Sacerdos. Secundò alij fideles, qui offerunt. Tertio alij omnes, pro quibus vel Sacerdos ipse fructum satisfactionis, &

134 *Moral. Theologia Tract. I. Leges,*  
impetrationis offert, vel alij offerentes applicant, vel quod ad ipsos pertinet ex opere operantis. Quartò ipsa Ecclesia militans ex fidelibus constans, in qua infantes quidem peccatores, & cathecumeni fructus impetrationis capaces sunt, energumeni etiam fructus satisfactionis: excipe excommunicatos, pro quibus publicam personam agendo non licet offerre, sed tantum priuata oratione in *Memento*. Quintò etiam infideles, quibus tantum prodest Missa, vt est impetratoria. Sextò defuncti in Purgatorio existentes, quibus omnibus modis prodest. Septimò beati, pro quibus vt honorarium Sacrificium est, & impetratorium accidentalis, & extrinsecæ gloriæ, potest offerri. Nullo autem modo pro damnatis offerendum.

*Quosnam Missa parit effectus?* Primò gratiam primam, & remissionem mortalium non quidem ex opere operato, sed per modum impetrationis, & mediatè bonum motum in nobis excitando, per quem gratiam inueniamus in auxilio opportuno, non semper efficaciter, sed sufficienter ex parte sua, & infallibiliter, præsertim si pro se ipso quis offerat. Secundò eadem ratione eiusdem gratiæ præstat augmentum. Tertiò venialia peccata remittit etiam ex opere operato, mouendo Deum ad producendum remissionis effectum, vt probabiliter cum Filliutio adsero. Quartò pœnas peccatorum siue mortalium, siue venialium ex opere operato tollit, nec minus easdem per modum impetrationis remittit, cum spirituales vires impetret ad opera pœnitentiæ peragenda, quibus Deo satisfacimus. Quintò bona etiam temporalia per modum impetrationis confert.

*Quosnam autem personis hi effectus tribuantur?* Primò, ministris offerentibus. Secundò, aliis fidelibus cooperantibus ad Sacrificium. Tertiò, toti Ecclesiæ. Quartò, iis, pro quibus Sacrificium offertur. Porrò ipse Sacerdos duplicem fructum refert satisfactionis, qui ex opere operato confertur, alterum vt publicus minister est, alterum vt priuatus offerens, quem tamen nisi iustus sit, minime

*Examen XI. De Missa: circa Prac. I. Eccl. 13 §*  
minimè recipit. Is verò, pro quo offertur, vnum tantùm accipit satisfactionis, quam ipse Sacerdos vt publicus minister est, confert.

*Quid si nulli Sacrificij fructus applicetur, vel incapaci, vel non indigenti? in Ecclesiæ thesauro remanebit.*

*Priuari offerentes possunt ne offerre satisfactionum suarum partem? Non; quia personalis est. Attamen probabile arbitror cum Filiutio & aliis ex charitate posse, sicut alias proprias satisfactiones.*

*Quidnam requiritur, ad hos fructus percipiendos? Gratia habitualis, & viatoris status; qui tamen etiam existentibus in Purgatorio conuenit, quia quoad poenarum remissionem adhuc in via censentur.*

*Quantus Missæ valor? Profectò hic Missæ qualiscunque valor, qui ex opere operato confertur finitus est quoad intensionem, cum Ecclesia sæpius, pro eodem sacrificare consuescat. Eodémque pacto pro pluribus collatus minor erit in singulis, non tamen minuetur multitudine offerentium, cum quò plures offerentes sunt, eò etiam plures quodammodo oblationes sint, continentes singulæ suum fructum. Valor tandem Missæ, qui per impetrationem habetur, infinitus est, idèòque pro multis oblata non minus singulis prodest, quam si pro vno tantùm offerretur.*

---

## C A P V T II.

### *De Missa celebratione.*

**Q**uotiens tenetur Sacerdos in anno Missæ celebrationi operam dare? Probabile est, ter, vel quater in anno iatis futurum, si nullum inde scandalum, vel damnum ipsius spirituale sequatur. Porrò quotidiana celebratio in præcepto non est, sed in consilio; & aliquando nedum absque peccato, sed etiam cum merito potest intermitteri.

93.  
Celebratio  
Missæ.

*Num præceptum Ecclesiasticum, ut in aliquibus Ecclesiis quotidie celebretur? Est quidem in Ecclesiis Cathedralibus, Conuentualibus, & Collegiatis præceptum ut quotidie celebretur, dempta feria sexta Parasceues; feria autem quinta in Cœna Domini vna tantum Missa publicè à primario Sacerdote solet celebrari: priuatim autem etiam possunt aliæ dici, & publicè matutino tempore, vbi talis vigeret consuetudo: Sabbato verò sancto vna tantum publicè celebranda est: priuatim ab hora Paschalis officij etiam aliæ scandalo excluso.*

*Quotiens in die sacrificare licet? Semel ordinario iure, si diem Natalis Dominici excipias, vel si vnus idemque Sacerdos plures Parochias haberet, & coadiutorem commodè fortiri non possit.*

*Quodnam sacrificandi tempus? Ab aurora ad meridiem vsque moraliter accepta, & satis est si vel finis Missæ in auroram cadat, vel initium in meridiem.*

*Quinam ad Missam locus requiritur? Sacer esse debet, ut Ecclesia, vel oratorium benedictum. Quid si violaretur? Ante purificationem celebrandum non est. Hic profectò locus communis dicitur. Proprius est Altare, hoc est altaris mensa lapidea, & consecrata. Sine altari huiusmodi siue fixo, siue portatili non potest sine peccato celebrari.*

*Quenam in Altari ex Ecclesiastico præcepto esse debent? Quinque duplex mappa, vel vna plicata, corporale ab Episcopo consecratum, lumen ardens ex cera, Missale, & Crucis imago. Vasa autem ad id necessaria, Calix & patena ex auro, vel argento, vel stanno, & ab Episcopo consecrata.*

*An necessariò opus officium diuinum præcedere Missæ Sacrificium? Minimè; imò si aliqua de causa omitatur, etiam si mediocris sit, nullum peccatum est; si nulla adfit causa, veniale.*

*Quid de sacris vestibus? Vfus earum congruentissimus, & Ecclesiastico præcepto necessarius est. Benedictæ esse debent, & absque iis sacrificare non licet: si tamen absque*

*Examen XI. De Missa circa Præc. I. Eccl. 137*  
absque vna vel altera ex minoribus Sacrificium offerretur, secluso contemptu, aut scandalo, mortale non esset. *Potest ne nudis pedibus, aut cooperto capite sacrificari?* Nisi grauis infirmitas, aut Episcopo absente necessitas excusaret, non licet. Quod si ad id agendum diuturna necessitas adigat, Episcopi dispensatio requirenda.

*Quinam in verbis ritus seruandus?* Vt in Missali præscribitur. Vnius tamen diei Missa priuatim potest immutari præsertim ex causa cum altera alterius diei, nisi peculiaris obligatio adesset vel ex stipendio, vel institutione. Preces ex deuotione addendæ non sunt nec publicè, nec priuatim.

*Quidnam de actionibus?* Peccatum esset suo genere mortale, si vel nouus adderetur ritus, vel antiquus omitteretur, nisi materiæ leuitas, aut ignorantia excusaret.

*Quisnam modis ministri obligari possunt ad celebrandum?* Primò ratione beneficii, in quo eius institutio attendenda erit, & obseruanda, vt si capella aliqua sit: si verò curatum non est obligatio singulis diebus offerendi Missam pro suis ouibus: sed aliquoties, vt Dominicis diebus, nisi consuetudo, aut declaratio Episcopi aliter docuerit. Secundò ratione stipendij accepti, & ex contractu oritur sacrificandi obligatio: iustum autem esse censetur siue quod Capellæ eam ob causam relictum est, si ex eâ consurgat obligatio: siue quod à Superiore taxatum est, siue quod consuetudine introductum. Non est autem eius æqualitas, & iustitia mensuranda ex congrua sustentatione Sacerdotis pro iis diebus, quibus datur, cum aliæ supersunt actiones faciendæ, pro quibus etiam stipendium aliquod lucrari potest, & actio sacrificandi non exigat integrum diem. Pro vna Missa non potest exigi nisi vnum adæquatam stipendium, illudque ab omnibus sumi potest, siue pauperes sint, siue diuites, siue absque beneficio, siue cum illo, modò obligationibus ex eo nihil detrahatur. Neque Parochi à recipiendis huiusmodi stipendiis excluduntur, cum possint iis

I 5

diebus,



138 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges;*  
diebus, quibus pro suis ouibus sacrificare non tenentur, offerre sacrificia pro aliis. Num Sacerdos pauper duplicata stipendia ob paupertatem referre potest? Nisi esset extrema, aut singula stipendia iusta non essent, haud potest referre duplicata.

Num necessarius Minister adiutans in priuatis Missis? Ecclesiastico praecepto necessarius est, isque vir, foemina minimè, nisi fortè è remoto loco respondeat, vt monialis in choro. Porro in necessitate etiam sine ministro sacrificari potest.

---

### C A P V T III.

#### *De Missa audienda obligatione.*

94.  
*Obligatio  
audiendi  
Missam.*

**Q**uenam fidelibus Missae audiendae obligatio? Ecclesiastico praecepto festis diebus fideles omnes sacro audiendo tenentur. Quod quidem voluntariè absque legitima causa exeufante omittere etiam semel, mortale crimen est.

Num totum sacrum audiendum? Ita planè, & si notabilis pars non audiatur, v.g. maior parte quarta, videlicet ab introitu vsque ad Euangelium exclusiue, praecepto non satisfacis.

Quid sit notabilis pars omissa sit? Si iniuoluntariè omititur, suppleatur per aliam; si voluntariè animo non audiendi aliam, vltra mortalem culpam, manet obligatio praeceptum implendi; si nondum tempus sit elapsum. Impletur ne auditione partis alterius Missae? Ita planè, etsi confatius esset vnus integram audire.

Impletur ne praeceptum per quamcunque Missam? Ita planè etsi votiua esset, vel defunctorum, etiam si ritu Graeco, vel Syriaco celebretur.

Quenam praesentia aut attentio requiritur? Requiritur quidem corporalis praesentia moraliter sumpta, vt nimitum percipere possis, quid agatur: intentio item virtualis

*Examen XI. De Missa circa Prac. I. Eccl. 139*  
virtualis saltem audiendi: nec obest alia prava intentio, ut aspiciendi libidinosè fœminas priori coniuncta, dummodo requisita adsit attentio vel ad res sacras, vel ad ea, quæ dictis aut factis significantur, vel ad diuina. Si involuntariè aliquando distrabor? Remanet virtualis attentio cum qua assistere cœpisti.

Possunt ne in Missa Psalmi, vel aliæ preces, etiam ex obligatione recitari: & impleri pœnitentia in Confessione habita? Possunt; quia cuncta eidem fini adiiciuntur; modò debita sacris actionibus Missæ non desit attentio.

Quinam fideles ad Missam audiendam adstringuntur? Omnes adulti, etiam pueri impleto septennio.

Quisnam diebus hæc vrget obligatio? Qui sunt ex præcepto festi siue iure communi, siue consuetudine, siue municipali statuto.

Excusant ne aliqua causæ ab implendo præcepto? Plures causæ excusant, triplex præcipuè, impotentia, corporalis, spiritualis, & moralis, charitas, officium, & consuetudo rationabiliter introducta.

---

## C A P V T IV.

*Praxis circa prædicta ex Societatis*

*I E S V schola.*

**S**acerdos obligatus est, ad celebrandum in certo templo, oratorio, vel altari: peccat ne mortaliter alibi celebrando? Ex Fagundez respondeo affirmatiuè, nisi paruitas materiæ excuset, si, v. g. bis, ter ve in anno illo in altari non celebret; non autem tenetur ad restitutionem, nisi defunctos aliquo suffragio fraudauerit.

Peccat qui die Dominico, vel alio festo celebrat aliam Missam votiuam? Suarius affirmat non peccare mortaliter. Item ex doctrina Fagundez qui certis diebus debet dicere Missam, v. g. de B. Virgine, potest illis diebus dicere

95.  
De Missæ  
celebratione.

140 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*  
dicere aliam in Missali præscriptam, & si pro dicenda  
illa Missa stipendium accepisset.

*Peccat ne mortaliter Sacerdos, qui cum se sacris vestibus induit, orationes tunc dicendas omittit? Cum Laymano negatiuè respondeo, si contemptus absit; quia non est præceptum.*

*Sacerdos celebrans non obseruat vnã aut aliam missalis rubricam: peccat ne lethaliter? Non; quia non obligant sub mortali. Secus si nullam seruaret, aut in rebus substantialibus Sacrificij delinqueret. Sic Fagundex. Hinc colligo non peccare mortaliter qui aliis diebus Missam de B. Virginis Assumptione, Natiuitate, &c. dixerit.*

*Deliquit ne, qui in Canone vnũ aliquem Sanctorum omittit? Illiutius minimè peccare mortaliter sentit, addens nec grauius delinquere qui relinquit ea, quæ tempore Paschali interponuntur in Communicantes, aut in actione. Hanc igitur oblationem. Idè neque qui Gloria, aut Credo.*

*Est ne anxietas, aut curã exactissima necessaria circa infusionem aquæ in calicem? Minimè; quia ex doctrina Coninch & aliorum licet plures guttas infundat, aqua, quæ ante consecrationem non est in viam conuersa, immediatè in Christi sanguinem conuertitur in ipsa consecratione.*

*Potest ne Sacerdos in casu necessitatis cum stola, manipulo, aut cingulo non benedictis celebrare? Suarez posse sentit, imò etiam sine aliquo ex iis. Addo posse celebrare in Calice & patena nondum consecratis, & cum vestibus nondum benedictis, si alius Sacerdos bona fide cum ipsis antea celebravit; quia in prima celebratione iam fuerunt consecrata.*

*Dixisti Sacerdotem ob infirmam valetudinem non posse sine licentia Episcopi aperto capite celebrare: quid si saceret? Ex Henriq. sentio secluso scandalo, & contemptu mortaliter non peccare.*

*Quid si celebret sine Missali? Non peccat mortaliter, quando id non adest, modò confidat se integrè omnia recitaturum. Sic Laymanus.*

*Necessa*

*Examen XI. De Missa circa Præc. I. Eccl. 141*

*Necessarium ne lumen ex cera ? Non peccat , qui in necessitate cum vno lumine ex oleo aut adipe celebrat.*

*Azor sic.*

*Si extra Ecclesiam sine iusta causa celebrarem ? Mortaliter ex Filliutij sententia delinqueres.*

*Quid dicendum de antelucana aut pomeridiana Missæ celebratione ? Potest celebrari duabus horis ante Solis ortum , & Religiosi tribus horis , vti Suarius consequenter asserit. Verùm ex alio priuilegio possunt Religiosi hora secunda post mediam noctem. Ad dandam verò Communionem infirmo , licet etiam media nocte Sacrum facere ex Laymani assertione. Suarius sentit Sacerdotem Sacrum paulo post meridiem posse inchoare : Festo autem die ratione itineris impeditum posse vna hora post meridiem Missam incipere. Religiosi verò ex suis priuilegiis possunt celebrare vsque ad nonam inclusiue , id est , vsque ad duas vel tres horas post meridiem. Potest ex Suario & Vasquez Sacerdos in nocte Natiuitatis tres Missas ante auroram celebrare.*

*Peccat ne tripliciter Sacerdos celebrans indignè , scilicet consecrando , offerendo , & sumendo Christi corpus ? Minimè ( ait Henriquez ; ) quia tres isti actus sunt sibi inuicem subordinati. Imò cum Vasquez affirmo Sacerdotem excommunicatum non præmissa confessione celebrantem scientem planè se adstringi peccati , & censuræ vinculo , duplex peccatum non committere.*

*Sacerdos ante Missam confessus , si postea in Missa peccati aliquis mortalis omisi recordatur , tenetur ne tunc contritionis actum elicere ? Minimè , sed tantùm postea confiteri ; quia peccatum illud omissum fuit iam in confessione virtualiter remissum. Vasquez ita.*

*Potest quis vii stola pro cingulo , & manipulo pro stola ? Suarius responder affirmatiue . Imo ex Azorio ex duplicata stola vel casula possunt fieri duæ , & ex stola cingulum sine alia benedictione. Addit Suarius fracto cingulo , partem adhibendam si sufficit , non nectendam cum alia ; quia benedictionem amittit. Si verò antequam omnino*

142 *Moral. Theologia Tract. I. Leges,*  
omnino diuidatur, reficias, vel aliquo modo connectas,  
ad vsum sufficere.

*Potest ne quis ob vitandam mortem sine vestibus celebrare?*  
Saa affirmat; quia Ecclesia cum tanto periculo non  
obligat.

*Circa Corporatum ablutionem quid?* Lauant illa Diaconi,  
vel Subdiaconi, itemque Purificatoria: & prima ablutio  
mittitur in piscinam. Porrò semel ita lota possunt tra-  
di monialibus rursus lauanda, & reficienda. Saa ex  
Suario.

*Potest ne super mare aut fluium celebrari?* Ex Suario af-  
firmo celebrari non licere, si sanguinis profusio timeat-  
ur: secus si non timetur.

*Potest ne quis eodem die plures Missas dicere ob populi ne-  
cessitatem, & cum causa honesta postulat?* Potest. Videndus  
Suarius, & Azorius.

*Quonammodo variis casibus in Missa celebratione accidere  
soliis occurrendum?* Ex Suario, Azor, Toletò, Saa & aliis re-  
spondebo. Si aduertas hostiam consecratam esse corruptam?  
Aliam consecra, incipiendo à *Qui pridie*. vsque ad *Simili  
modo* exclusiue; deinde ad locum transeas quò perue-  
neras; tandemque illam hostiam corruptam post sum-  
ptum calicem fume, vel serua. Si sumpta hostia, aquam esse  
pro vino in calice positam deprehendam? Si in publico es  
loco, infunde vinum veluti ad ablutionem, & clam con-  
secra, & fume; quod si in priuato loco adsis, nouam  
hostiam etiam fume, & consecra incipiendo à *Qui pri-  
die*. Aquam vero mitte in piscinam, quæ solet esse pro-  
pè altare: *Quid si pergam in Missa, & ista ex ignorantia, aut  
perturbatione omittam?* Non delinquis mortaliter. *Cæpta  
Missarecordor, me non esse ieiunum, aut irregularem esse, aut  
in mortali peccato: quid tunc?* Si non esse ieiunum te re-  
cordaris, perge, si alioquin scandalum sequeretur: si  
aduertis te irregularem, aut excommunicatum, pergen-  
dum tibi, nec ideo irregularis fies; si in peccato graui  
te deprehendas, contere, nec Missam omitte, etiam si  
posses sine scandalo. *Venenum in vino consecrato adesse co-  
gnosca.*

*Examen XI. De Missa circa Prae. I. Eccl. 143*  
gnosco. Aliud consecra, & illud stupa collectum, & sic-  
catum comburatur, & cineres in piscinam immittantur,  
Hostia ab animante comeditur. Si potest extrahi, seruetur,  
donec corrumpatur, animal verò combustioni detur, &  
in piscinam mittantur cineres. Itidemque videtur fa-  
ciendum, si quis euomat Eucharistiam. Haeret hostia ca-  
lici, aut palato. Totiens adhibeatur ablutio, donec deglu-  
tiatur. Post ablutionem apparent reliquia, aut particulae conse-  
crate. Si non possunt facile asseruari, fumi possunt à  
Sacerdote, dum adhuc est in altari. Sanguis excidit. Si su-  
pram tabulam lambe, & rade: si super mappam, fuge, &  
laua: deinde rasuram, seu ablutionem in piscinam im-  
mitte. Venosum animalculum in sanguinem excidit. Si de-  
glutiri non possit sine periculo, aut horrore, extrahatur,  
& comburatur, cineresque dentur piscinae. Quid si aliqua  
euentu Missam absolueri non valeam? Si nondum consecra-  
sti, perfici potest per alium ieiunum Sacerdotem: si  
consecrasti, & nondum communicasti, potest, imo de-  
bet alius etiam non ieiunus, si ieiunus non adsit, non  
autem excommunicatus, aut suspensus, aut irregularis.  
Quod si desit, qui perficiat, sequenti die sumatur ab ipso  
in alia Missa Sacramentum.

Qui petit Missam, non dat stipendium iustum ab Episcopo vel  
consuetudine taxatum: potest ne Sacerdos à diuersis tot parua  
stipendia accipere, quæ iustæ elemosynæ æqualeant: & vnum  
tantum Missæ Sacrificium pro omnibus offerre? Posse Suarez  
affirmat; quia ipsi fit iniuria. Admonuerim tamen con-  
trarium nunc à Congregatione Cardinalium teste Bo-  
nacina doceri.

Potest ne Sacerdos, dum accepto stipendio pro altero celebrat,  
partem Sacrificij sibi conuenientem alteri applicare, & pro ea sti-  
pendium accipere? Posse sentit Filliutius, dum non tan-  
quam pro integro Sacrificio, sed pro parte, vt pro vna  
tertia accipiat.

Sacerdos pauper, qui hodie non accepit elemosynam pro  
Missâ celebranda, potest ne illam celebrare, & applicare primo  
occurrenti

96.  
De sti-  
pendio.

144 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
*occurrenti daturò stipendium? Affirmabant aliquando Hen-*  
*riquez, & alij: Sed iam affirmari non potest, cum dam-*  
*netur ex decreto Cardinalium mandato Clem. VIII.*  
*Quid quando ex alicuius Capellæ fundatione statæ Missæ sunt*  
*singulis hebdomadis celebrandæ? Potest Sacerdos antece-*  
*dente hebdomada illas celebrare; quia Sacrificium cer-*  
*tam sortitur applicationem. Ita Reginaldus.*

*Certam eleemosynam pro celebranda Missa accepi: possum ne*  
*alteri celebrandam committere, parte eleemosynæ mihi retenta?*  
Emanuel Saa respondet non posse; si accepisset, ut di-  
cendas Missas curaret per alios: at si accepisset certam  
summam pro Missis à se dicendis, posse alios pro mino-  
ri pretio conducere, qui adiuvent, & reliquum sibi re-  
tinere. Profectò post hæc Congregatio Sacra Cardina-  
lium id fieri posse prohibuit. Ego equidem existimo hoc  
decretum non extendi ad Capellas, quibus pingue sti-  
pendium est additum; neque enim tantùm datur pro  
Missis dicendis. *Quid si ab amico accepi pingue stipendium*  
*pro celebranda Missa? Si intuitu amicitia accepisse proba-*  
*biliter videaris, poteris! per alium Sacerdotem satis-*  
*facere, dato ei iusto stipendio: sin accepisti præ-*  
*cisè, & simpliciter pro Missa, nil tibi debes retine-*  
*re, nisi Sacerdos, cuius opera vsus es, sponte id con-*  
*donet.*

*Num necessarium sit tempore Sacrificij Missæ fieri applicatio-*  
*nem actualiter? Sufficit (teste Suario) si pridie Sacerdos ap-*  
*plicauerit, dummodo intentio non fuerit postea reuocata.*

*Applicat Regularis Sacerdos Missas contra Superioris inten-*  
*tionem: valet ne applicatio? Negauit Scotus, sed cum*  
*Henriquez assero peccare quidem contra votum, sed*  
*tamen valere applicationem.*

*Quis pluribus debet Missam non ex stipendio accepto, sed ex*  
*tiberali promissione: potest ne vnica pluribus satisfacere? Affirmat*  
*Hurtado; quia fructus ex opere operato, quem solum*  
*illis debet, æqualis obuenit singulis, ac si vni tantùm*  
*applicaretur.*

*Satisfa*

*Examen XI. De Missa circa Prac. I. Eccl. 145*

*Satisfacit ne præcepto, qui post Euangelium veniens, postea legit, aut audit à legente, quæ non audiuit? Aliquis ex externis asseruit. Id quod reprehendit Suarius. Practicè tamen tollari ait in alio sensu, scilicet si is, qui Euangelium omisit, audiat totam Missam reliquam vsque ad Euangelium Ioannis inclusiuè; quia post Missæ terminationem legitur illud Euangelium, & proprij omissi exauditur loco.*

*Quenam rationabilis causa, aut legitimum impedimentum Missam non audientem excusat? Ex Azorio & alijs, si herus impediatur, si foemina prodeundo est alicui obnoxia peccato, aut alicui occasio delinquendi. Item consuetudo puellarum que non solent egredi domo, custodia domus, aut gregis, ægroti instans ministerium, pudor ob vestem non decentem, & Ecclesiæ distantia respectu cuiusvis debilis.*

*Tempore interdicti habeo privilegium Sacrum audiendi: tenetur ne? Non teneris; ne privilegium grauare videatur potius, quàm leuare à præcepto. Suarius sic.*

*Transiens per locum, ubi Festum particulare celebratur, tenetur ne Sacrum audire? Minimè; secus est, si inde recedat, aut eo pcedat, vti Saa docet.*

*Sufficit ne in die Natiuitatis vnã Missam dicere, aut audire? Ita planè, ex Suario. Qui autem vnã solummodo Missam dicere decernit, eligat quam maluerit.*

*Tenetur quis ex voto aliam die Festo Missam audire: satisfacit ne, si duos Sacerdotes eodem tempore celebrantes audiat? Affirmat Suarius sufficere.*

*Potest ne audiri Missa publici concubinarij? Si non sit denunciatus excommunicatus posse Suarez asseruit.*

*Qui die Dominica, in quam Festum Sancti alicuius incidit, Missam non audit: debet ne illam circumstantiam in confessione aperire? Vasquez negatiuè respondet; quia hæc transgressio præcepti Ecclesiæ vnã tantùm habet malitiam.*

*Audit quis Sacrum animo non satisfaciendi præcepto: satisfacit ne? Ita planè ex Vasquez assertionione.*




*Habet quis priuilegium, ut in Oratorio domus sue possit Missam audire: tenetur ne illam ibi exaudire, quando est infirmus, vel alia de causa exire non potest? Ex Suario negatiuè respondeo, ut de priuilegio tempore interdicti asserui; ne scilicet ex priuilegio grauari ille videatur.*

*Tempore praesationis quis venit ad Sacrum audiendum, quod unice celebratur: tenetur ne illam singularis Missae illius partem audire? Sanchez, & Suarius teneri asserunt, quod illa praecipua sit sacri pars. Ego autem probabiliter assero non teneri; quia per illam partem Missae non potest implere praecipuum.*

*Incidente Festo Annuntiationis in Feriam sextam Parasceues, est ne obligatio sub mortali Missam audiendi? Ex Suario negatiuè respondeo; quia non est proprie Missa, cum non fiat noua hostiae consecratio.*

*Domus è regione fenestras, vel portae Ecclesiae Missam audio, vel video: satisfacio praecipito? Non; quia moraliter praesens non es. sic Filliutius.*

*Satisfacit ne praecipito, qui eodem tempore audit unam medietatem ab vno, & alteram ab alio? Ita planè ex Sanchez; quia Ecclesia praecipit, ut Missa audiatur, duae autem medietates unam Missam constituunt. Colligo posse te breuissimo temporis interstitio Missam audire, si quatuor v.g. altaribus variae Missae proportionata temporis anterioritate sic celebrentur, ut dum vna inchoatur, secunda ab Euangelio tunc in consecrationem procedat: tertia à consecratione in consumptionem; quarta denique à consumptione vsque ad terminum.*



E X A M E N XII.

De legibus in particulari circa præceptum  
secundum & tertium Ecclesiæ de  
annua Confessione, &  
Communione.

C A P V T P R I M V M.

*De Confessionis Præcepto.*

**Q**uotplex Confessionis Præceptum? Duplex, & diu-  
inum, & Ecclesiasticum. Confessionis enim præ-  
ceptum de iure diuino positum in noua lege à  
Christo latum est, cum eius necessitatem in sola Sacer-  
dotum absoluendi à peccatis potestate conclusit: ideò  
que nec in eo dispensare, neque illud abrogare potest  
Ecclesia. Posset tamen Confessionis præceptum ipsa  
proferre etiam si à Christo non fuisset impositum, à  
Christo tamen eius institutione supposita.

*Quinam ad præceptum diuinum Confessionis obligantur?* Fi-  
deles omnes adulti, qui recepto baptismo lethaliter de-  
liquerunt: infideles, & infantes, quique rationis capa-  
ces non sunt, minime.

*Quodnam obligationis tempus?* Vt minimum articulus  
mortis esset, si paulo antè non esset impletum. Scio  
probabiliter defendi obligare quarto vel quinto quo-  
que anno, nisi iam ab Ecclesia annua confessio esset im-  
perata. At probabilius cum Filliutio & aliis assero, nisi  
determinaret Ecclesia, ad solum mortis articulum eius  
obligationem pertinere. Per accidens autem tum Eu-  
charistiæ susceptio, tum indulgentiæ acquisitio, quæ  
confessionem exigeret, tum votum, grauisque tentatio,  
quæ alia ratione tolli non posset, obligationis induceret.

*Impletur ne præceptum hoc per Confessionem quocumque modo nullam? Minimè; at bene per validam, licet informem; quia hæc confessio est, illa nequaquam.*

*Quidnam de Ecclesiastico præcepto? Additum est quidem Ecclesiasticum præceptum obligans ad confessionem semel in anno, quo diuinum determinatum est ad certum tempus; vnde quatenus à diuino iure pender, abrogari non potest: vt verò ab Ecclesia, prorogari tempus, vel restringi posset, ita omnino etiam tolli iusta de causa, quæ tamen vix dari posset, remanente semper obligatione ex iure diuino.*

*Obligat ne in anni parte determinata? Vi sua non obligat, v.g. Paschate: consuetudine tamen, & ob commoditatem ratione Eucharistiæ eo tempore sumendæ inductum est, vt eo tempore fideles ferè omnes confiteantur. Porro annus computatur à Quadragesima in Quadragesimam, & annus Ecclesiasticus nominatur.*

*Eo tempore non impleui: absoluo ne obligatione? Probabile est expectare te posse vsque in alteram Quadragesimam sine nouo peccato: probabilius tamen, quod primo quoque tempore teneris. Num ita qui confessus quidem est, sed aliquod peccatum omisit, aut ex obliuione, aut alia rationabili de causa? Minimè; potest enim ad sequentem annum vsque differre. Quid si præuideatur fore, vt occasione illa omissa toto anno non possim confiteri? Debes eiusmodi tempus præuenire.*

*Quenam cause ab impleione præcepti excusant? Primò impotentia tum physica, quia confessoris copia non sit: tum moralis, quia sine graui nocumento famæ, vel alterius boni non possit: quæ cause etiam valent in excusando à præcepto diuino, modò damnationis morale periculum non adsit. Necessitas confitendi per interpretem excusat ab Ecclesiastico præcepto, & etiam à diuino, licet articulus mortis subesset; si tamen probabilem existimationem haberes te non esse contritum, vt eo medio iustificari posses, obligaberis. Quod multo magis de Confessione per Scripturam, quando aliter*  
quis

*Exam. XII. De Conf. & c. ad Præc. 2. & 3. 149*  
quis non posset, affirmo; teneretur enim saltem in articulo mortis ea ratione confiteri, cum præsertim manifestationis periculum, adhibita diligentia, cauere facile possit.

*Satisfacit ne præcepto Ecclesie informi confessione?* Ita equidem, uti proximè de præcepto diuino adfirmavi.

*Quinam obligantur?* Fideles omnes cum ad usum rationis peruenerint. Num Papa? Quo ad vim directiuam, maxime: ut autem iure diuino obligat, etiam Papam comprehendit & alios.

*Num ulla transgressoribus pœna?* Nulla posita, qua ipso facto incurritur, sed iubentur tantùm ab Ecclesia ingressu & ab Ecclesiastica sepultura repelli.

---

## C A P V T II.

### *De Præcepto Communionis.*

**Q**uo iure Eucharistia sumenda? Et diuino, & Ecclesiastico. Diuino quidem iure aliquoties in vita sumenda Eucharistia, in fine scilicet & exitu huius vitæ: in ingressu, quando iam rationis usus aduenit, circa duodecimum frequentius annum; in medio denique vitæ quarto videlicet, vel quinto anno, ut probabile affirmo. Profectò Ecclesiastica lege omnis fidelis perfectò rationis usu pollens tenetur semel in anno in Paschate communicare coarctato iam ad singularem quotannis Communjonem præcepto diuino.

*Quonam tempore instat præceptum?* In Paschate, nempe à Dominica in Palmis vsque ad Dominicam in Albis, alicubi planè ad proximam sequentem Dominicam productò tempore. Consuetudo attendenda.

*In hoc tempore quis omitat quacumque de causa: numquid rimum ad Eucharistie sumptionem obligatur?* Probabile est vsque ad proximum Pascha liberum remanere.

99.

Præceptum  
Communionis.

*si indignè communicem? Imples tamen per votariam susceptionem præceptum, id quod immediatè imperat Ecclesia.*

## CAPVT III.

*Praxis circa præfata ex Societatis  
IESV schola.*

100.  
De Con-  
fessione  
annua.

**T**enetur ne quis ob periculum obliuiscendi, multa peccata mortalia, iure diuino ante annum confiteri? Henriquez respondet negatiuè; quia illud accidentale.

Intra annum Confessionem feci, nec vltius peccatum graue commisi: teneor rursus in Paschate communicaturus confiteri? Minimè; quia præceptum impleuisti, nec teneris præmissa proximè confessione Eucharistiam suscipere, cum reus mortalis criminis non es, nisi ex reuerentia.

Non confessus proximo elapso anno, confessus sum initio sequentis: postea aliquod peccatum mortale commisi: rogo num teneor etiã illo anno rursus confiteri? ex doctrina Hurtado cenfeo non teneri, si quando initio sequentis anni confessus, peccatum mortale illo sequenti anno commissum addidisti.

Si mortaliter toto anno non deliqui, teneor præcepto confessionis subiacere? Minimè; confessio enim in lethalis criminis medicinam fuit instituta.

Habet quis in Paschate peccata mortalia, que ex iusta causa confessario aperire non debet: tenetur ne sola venialia confiteri? Cum Suarius non teneri affirmo; quia nulla lex obligat fideles ad peccatorum venialium confessionem.

Quam certum est per confessionem inuvalidam ex culpa poenitentis præceptum annuæ confessionis impleri: atque ad eod pœnam excommunicationis à constitutionibus Episcopalibus impostam transgredientibus hoc præceptum, vitari? Fagundez aliique probabiliter affirmant, contrarium tamen vti probabilius Suarius defendit. Quod si hæreadum Fagundez sententiæ

*Exam. XII. De Conf. &c. ad Prac. 2. & 3. 151*  
sententiæ rationem exhibeo, quia Ecclesia solum exter-  
num confessionis actum potest præcipere, de occulto  
autem defectu non iudicat.

*Potest ne differri confessio ultra tempus præcepti? Ex sen-  
tentia confessoris, aut ex iusta aliqua causa posse saa  
existimat.*

*Quonam tempore ætatis quis obligatur oræcepto Communionis? Affirmat aptè Suavius prius esse capaces Sacramenti  
pœnitentiæ, quam Eucharistiæ; nam minor rationis  
vſus, & discretio requiritur ad confitendum, quam ad  
communicandum. Tamen est qui contendat vtrumque  
præceptum eodem tempore obligare, licet ob commu-  
nionem in Paschate omissam ante annum decimum  
quartum censuris pueri non illigentur. Ego equidem  
cum pluribus ex Societate nostra affero perfectiorem  
vſum rationis requiri ad Communionem, nec posse sta-  
tui certam ætatem, cum quæsdam pueris vſus rationis  
antelucanus adsit, quæsdam legnior procedat; ple-  
rumque ab anno undecimo ad decimum quartum sese  
rationis vſus manifestat.*

*Possunt ne Laici qui Regularibus seruiunt propria in Ecclesia  
Regularium communicare? Propria in Parochia, in Pascha-  
te communicare debent. Saa ita ex Cardinalium Con-  
gregatione.*

*Quonam circa hoc Mendicantes privilegio gaudent? Pos-  
sunt quibusvis dare Communionem vno excepto Re-  
surrectionis die. Possunt & illo eum licentia Parochi,  
aut si communicaturus alio die Parochiæ satisfaciat.  
Valentiam lege.*

*Prævideo me in Paschate à Sacra Communionem impeditum  
iri, teneor ne tempus præscriptum præuenire sicut in Confessione?  
Non, (ait Laymanus) dummodo intra annum semel com-  
municauerit. Ego existimo, licet non communicauerit,  
quia tempus præscribitur ab Ecclesia Communioni,  
quo elapso, cessat vsque ad Proximum Pascha obli-  
gatio.*


*Dixisti, quod qui elapso anno non confessus est, quam primum*

101.  
De annua  
Communi-  
one.

101.  
101.  
101.

152 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*  
teneri ad Confessionem : num idem de non communicante affir-  
mandum non sit ? Quia Communionis præceptum semel  
tantum obligat, scilicet in Paschate : Confessione autem  
non præfixum anni speciale tempus, unde nunquam  
non obligat, donec impleatur. Ex *Toledo*.

*Possunt ne Regulares in die Paschatis ad implendum præcep-  
tum annuæ Communionis, peregrinis, & aduenis Eucharistiam  
ministrare ?* Ita planè : quia nulla Parochis fit iniuria.  
Sic *Sanchez*, Imo & quilibet alij seculares quoad sub-  
stantiam communicando apud Regulares satisfaciunt  
Ecclesiæ præcepto.



### EXAMEN XIII.

De legibus in particulari, circa præceptum  
quartum Ecclesiæ de Ieiunio.

#### CAPVT PRIMVM.

*Quid Ieiunium Ecclesiasticum ?*

102.  
Ieiunium  
Ecclesia-  
sticum.



*Vid Ieiunium ?* Abstinencia quædam voluntaria à  
cibo iuxta præscriptum Ecclesiæ, vel receptam  
consuetudinem. Id equidem maiorem (authore  
*Filiiuntio*) quandam victus abstinentiam significat, quàm  
communis temperantiæ regula postulat.

*Quotuplex Ieiunium ?* Triplex, naturale, morale, & Ec-  
clesiasticum. Primo à quolibet comestibili & potabili  
perfectè abstinemus, quod ieiunium ad Communio-  
nem requiritur ; Secundo à vitiis, tertium est fidelibus  
ab Ecclesia indictum, actus quidem Temperantiæ, &  
Obedientiæ : Religionis autem, Charitatis, & Iustitiæ  
non nisi imperatus. Eius commoda plura.

*Quenam ad ieiunium Ecclesiasticum requisita ?* Tria,  
vnica comestio, à certo ciborum genere absti-  
nencia, & hora certa refectio. Ex his tribus mo-  
rale

rale quiddam ieiunium est multis ex partibus integratum.

*Quid de unica comestione?* De essentia quidem ieiunij est. In secunda tantum peccatur mortiferè; quia ea tantum ad carnis mortificationem pertinet, in aliis probabilè est venialiter peccari. Vespertina refectiuncula ex consuetudine licita est, etiam si ad somnum necessaria non sit, nec exigua; excusat enim consuetudo. *Licet ne sumere refectiunculam mane, aut meridie, dilata in vesperum comestione?* Meridie licet, mane minimè: at si adsit causa etiam mane licebit. Sine causa venialis culpa est: dispensatione etiam aliqui gaudent; quod si causa certa sit, non est dispensatio necessaria. *De refectiuncula qualitate, & quantitate quid sentis?* Absumi possunt arborum fructus, herbarum, leuiore cibis, panis, parum biscocti, non autem cibi, qui inter fercula adnumerantur ordinati ad sustentandam naturam quales essent pisces. Scio equidem Azorium & alios pisciculos permittere, quod non improbarim si pauci sint, & ex qualitatibus, ut quo ad substantiam sustentationis inter fructus arborum adnumerari videantur, quales sunt qui apud nostros vocitantur *Bermejuelas, & Camarones*. De iusculis autem ex leguminibus & amygdalato non consentiunt Doctores. Permitto, si quantitas permissam frugum quantitatem non exæquet. Porro refectiuncula ex frugibus, pane & herbis sex aut ad summum octo uncias non debet excedere. In Natiuitatis Vigilia maiorem ex assignata ciborum qualitate quantitatem dedit consuetudo. *Quenam ciborum absorptio ieiunium non frangit?* Prægustatio ciborum, sumptio alicuius per modum medicinæ, aut ad debilitatem arcendam, ministrorum in mensa gustatio. Potus denique minimè ieiunium violat quicumque ille sit, si potus essentiam non excedat, & quod sumitur, ne noceat.

*Quid autem de ciborum qualitate seruanda in ieiunio?* A carnibus necessariò abstinendum, ab ouis etiam & lacticiis in Quadragesima, & ab iis quæ loci consue-



154 *Moral. Theologia Tract. I. Leges,*  
tudo non permittit. Scio alicubi consuetudinem indu-  
xisse lactinia, alibi etiam extra Quadragesimam ab-  
stinentiam ab ouis. *Dispensatus ne ad carnes, est simul ad la-*  
*cticinia?* Ita planè: imò & ad duas comestiones; quia  
essentialis ieiunij conditio abstinentia à carnibus est,  
quidquid *Filiarius* de dispensatione respectiua affirmet.  
*Potest ne dispensatus ad carnes, etiam pisces comedere?* Potest,  
& in eadem mensa, modò non fiat immoderatè. *Quid*  
*de pueris?* Ante septennium comedere carnes possunt,  
post illud uti Quadragesimæ cibis tenentur. *Oua obsunt*  
*ieiunio?* Non, vnde dispensatus ad ova, non hoc ipso à  
ieiunio liberatur; quia ova licet carnis substantiam  
imitantur, caro tamen non sunt. In Iubileo cum ouis  
ieiunans indulgentiam lucratur, & dispensatus ad ova,  
etiam est ad lactinia, non ad sagimen ex lardo, cuius  
vsum scio alicubi paupertatem, aut ciborum penuriam  
induxisse. *Excusatus à ieiunio tantum potest ne carnes, aut ova*  
*comedere, vel lactinia?* Minimè.

*Quid denique circa horam comestionis?* Seruanda ho-  
ra iuxta consuetudinem loci. Ea quidem de essen-  
tia ieiunij non est, sed requisita ad perfectum; &  
integrum ieiunium. Meridies est competens hora,  
qui moraliter computandus iuxta vtitata horolo-  
gia: quod si horologium non sit, sufficit tempus  
ex consuetudine designatum. *An mortale sit, horam*  
*notabiliter præuenire?* Non, etsi cauenda sub venia-  
li huiusmodi præuentio: dimidia hora non vide-  
tur esse notabilis. *Quenam cause in præueniendo ex-*  
*cusant?* Tres equidem, consuetudo, dispensatio, &  
iusta causa. *Propagatio cibi ad vesperam licita ne?* Imo  
commendabilior, ob maiorem corporis mortifi-  
cationem.

## CAPVT II.

## De Ieiunij obligatione.

**O**bligat ne Ieiunium in re diuino an humano? Humano, 103.  
ad mortale quidem, nisi paruitas materiae venialem  
reddat transgressionem. Obligatio  
ieiunij.

*Delinquitur ne toties mortaliter, quotiens in die comeditur?*  
Minimè, nam in secunda comestione tantùm lethaliter  
delinquitur. At comedens carnes pluries, toties peccat,  
quoties eas in graui quantitate absumit; quia hoc præ-  
ceptum negatiuum, illud positiuum.

*Si duplex titulus obligat ad ieiunium inducit ne duplex pec-  
catum? Si eiusdem rationis sit, non: si autem diuersæ rati-  
onis, inducit, vt si ex obedientia & Religione quis  
obligetur.*

*Frangens vna die, tenetur altera ieiunare? Non, nisi ex  
voto vel pœnitentia obligatio infurgeret, in aliis ieiunij  
onibus onus diei reputatur.*

*Quotiens peccat, qui apud se statuit per totam Quadragesi-  
mam non ieiunare, aut in ea carnibus vesci? Vnicum pecca-  
tum committit, sed grauius admodum, in executione  
autem toties delinquit, quoties diem ieiunij violat, aut  
quoties in die carne vescitur.*

*Peccat ne qui causa est, vt alius non ieiunet? Quis dubitet?  
Vnde cibi ministrandi non sunt ieiunium fracturo, nec  
quibus familia tua ieiunium soluat; Caupo veri-  
tos cibos apponere non debet: nec qui ieiunium  
non seruat inuitare ieiunantem, nisi vrbauitatis gratia  
fieret.*

*Quinam ad ieiunium obligantur? Omnes Christiani, qui  
sanæ mentis sint. Peregrini tenentur ad ieiunia loci, in  
quo habitant, etiam in quo versantur per aliquot dies.  
Absens non tenetur ad ieiunia suæ ciuitatis. Disce-  
dens à loco in quo non ieiunatur, potest etiam carnes  
come*

156 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*  
comedere, scandalo excluso. Minores viginti & uno an-  
no completo excusantur, nisi aut voto, aut regula quis  
obligetur: maiores etiam sexaginta tribus, imo & sexa-  
ginta, in dubio de laesione.

*Quinam præterea à ieiunio excusantur?* Infirmi, prægnan-  
tes, nutriendes. Paupertas excusat, nec enim tenetur  
quis solo pane vescens ieiunare. Labor corporeus ad  
vitandum damnum, vel notabile lucrum. Præcedens  
vel futurus labor, v.g. agricolarum, qui die ieiunij à la-  
bore vacant. Pedites iter agentes: non sic equites in  
itinere breui, secus si longo, & de viribus dubitetur, aut  
si temporis ac itineris incommoda peditis laborem  
communem adæquent. *Quid de laborante ad malum finem  
libidinis. v. g.* Non potest ieiunium soluere ut vires col-  
ligat, ad crimen patrandum: sed post commissum, po-  
test ad vires recuperandas lassitudini ieiunio soluto oc-  
currere. Præterea opera misericordie excusant, redditio  
debiti, peregrinatio ex magna deuotione assumpta, exer-  
citiu concionandi quotidie, aut docendi.

*Quisnam in ieiunio dispensare potest?* Papa dispensare po-  
test per totam vitam, Episcopus tantum cum suis subdi-  
tis ad tempus. Iusta causa si euidens sit, dispensatione  
non indiget. *Quid in dubio?* Superior dispense. Porro bo-  
na fide credens habere se iustam causam, non peccat:  
dubitans autem experiri tenetur: neque enim quis ex  
difficultate aut repugnantia à ieiunio excusatur.

---

### CAPVT III.

*Praxis circa præfata ex Societatis*

*IESV schola.*

104. **D**ixisti Sexagenarios à ieiunio excusari: quid si robusti, &  
De ieiunio *De vegeti?* Nihilominus ex Sanchez excusantur; quia  
nio varij fanitas senum fallax, & incerta, ideoque frequentioris  
casus. cibi

cibi eget adminiculo. Quid autem si uouerunt certis diebus anni toto uite tempore ieiunare? Cum cessat obligatio ieiunij cessat obligatio voti; quia uita sens ad ieiunij laborem quasi sexagesimo anno terminatur. Ita Sanchez.

Licet ne carnes pueris, Paganis, & amentibus ministrare? Respondet cum Sanchez licere; quia nullis Ecclesie ij legibus obstringuntur.

Dixisti absentem ad ieiunia sui oppidi non obligari; potest ne quis aliò se conferre, ut ieiunium uitet? Fagundez posse respondet.

Mane discessurus sum ex loco domicilij ubi est ieiunium, peruenturus uespere ad locum ubi ieiunium non est: possum ne sumere ieiunium in loco domicilij? Potes; quia peruenturus es ad locum, ubi licebit cœnare. Sic Lessius. Vesci ne carnibus licebit? Minimè, licet uespere absumendæ aliò in loco sint; quia obligatio abstinenti à carnibus toto die durat: ac ieiunij secunda futura comestione proculdubio soluitur obligatio.

Indicitur ab Episcopo speciale ieiunium: num Regulares obligat? Minimè; ieiunia tamen generalia consuetudine recepta obligare Suarius affirmat.

Laborem dixisti à ieiunio excusare: de quibusnam id artibus affirmandum est? Artes, quæ non sunt admodum laboriosæ ut sartorum, tonforum, non uidentur excusare: secus ex quæ laboriosæ admodum sunt, ut futorum, fabricum ferri, &c. Sic Lessius & pene omnes. Imò Fagundez existimat Eugenum I V. omnes artifices indiscriminatum excusare. Illud certò affirmarim ex Azorio & aliis fossores, ferrarios, & simili labore vexatos etiam illis diebus quibus non laborant, etiam si festiui non sint, sed uoluntariè à labore abstineant, etiam si duo aut tres dies adnumerentur, non teneri ieiunare, tum quia à labore præcedenti debilitati sunt, tum quia indigent uiribus ad sequentem.

Robustæ ne femine prægnantes aut lactantes excusantur? Lessius excusari asserit. Non autem possunt ouis aut carne uesci.

Dormire

*Dormire quis nequit nisi sumpta vesperti cæna: tenetur ne ieiunare? Minimè. Si sufficit mane collatiunculam sumere, & vesperti cænare: tenetur ad id? Non tenetur; quia nemo tenetur pervertere ordinem refectioinum. Ita Filliutius.*

*Concionatur quis ex mercede tota Quadragesima, vel assiduam confessionibus audiendis dat operam: excusantur à ieiunio? Ita planè, si commodè ieiunare non potest. Imo qui tribus aut duobus solùm diebus in hebdomada concionatur, si nimium molestum ministerium, potest non ieiunare. Fagundez sic.*

*Defessus quis ex ludo pile, vel aliarecreatione nimia molestia ex ieiunio afficitur: an ieiunare teneatur? Non; tenetur tamen si prævideat, aut ex experientia edoctus, à ludo abstinere, si simul nequit ieiunare.*

*Tenetur ne quis seruatorum aut operariorum labores imminuere, ut possint ieiunare? Ex Fernandez & Fagundez negatiuè respondeo. Itaque non tenetur quis eos solos operarios vocare, qui cum moderato labore ieiunare possunt. Nec peccat si seruis onus imponat cum ieiunio incompatible. Imo potest operarios conducere cum pacto, ut non ieiuent, ne alias minus laborent.*

*Seruitores & lectores ad mensam aliquid ante sumunt sine necessitate s. Soluunt ne ieiunium? Non, uti Sanchez asserit; quia totum reputatur vnica comestio, quæ tunc inchoata paulò post perficitur.*

*Dubito, num expleuerim annum vigesimum primum. Non teneris ieiunare. Ita Suarius. Quid si dies perficiens annum vigesimum primum hora prima diei, scilicet post duodecimam noctis diei inchoatiuam, ieiunium incidat? teneor ne illo die ieiunare? Non; quia vna hora, prima scilicet illius diei licitè comedere potuisti, vnde vnica comestione præmissa, & altera futura de ieiunij licentia, soluitur essentia ieiunij.*

*Cænans quis die Iouis dubitat an sit audita hora noctis duodecima: potest ne comedere carnes? Potest, secus si die Sabbati cænaret. Ratio est, quia in priori est libertas edendi, nisi sit duodecima: in posteriori*

*Exam. XIII. De Ieiunio ad Præc. 4. Eccl. 159*  
riori est obligatio non edendi nisi duodecima sit. Ita  
*Sanchez,*

*Anticipatur sine causa hora comedendi die ieiunij: Soluitur  
ne? Minimè; quia determinatio horæ non est de essen-  
tia ieiunij: at delinquetur venialiter nisi sit exigua anti-  
cipatio, vt dimidiæ horæ. Sic Filliutius. Colligo Religio-  
sos habentes priuilegium anticipandi prandium per  
horam, posse sine vlla culpa per horam & dimidiam an-  
te meridiem prandere.*

*Ieiunans, à mensa exurgo propter aliquod occurrens nego-  
tium: possum mensam repetere ad continuandam refectionem?  
Potes, si breue sit interiectum spatium. Sic Azor. Non  
approbo Sanctij sententiam asserentis id esse licitum  
etiam si spatium duarum horarum intercefferit, dum-  
modo surrexerit à mensa animo reuertendi; id enim à  
secunda comestione non libero, nisi ita parum absum-  
pserit prius, vt non possit comestio illa omnino suble-  
uare naturam.*

*Prohibentur ne lacticia & oua de iure communi extra  
Quadragesimam? Minimè, ne ex consuetudine quidè sal-  
tem obligante sub mortali. Vnde absumi possunt in iei-  
uniis per annum, imo in diebus non Quadragesimali-  
bus sine Bulla, aut licentia. Sanchez sic.*

*Dispensatus in esu carniū, censetur ne dispensatus ad non iei-  
unandum? Ita planè, (vti affirmat Toletus) quia abstinen-  
tia à carnibus est de essentia ieiunij.*

*Teneor ne ieiunare dispensatus ad carnes comedendas eo die,  
quo à carnibus abstinere volo? Si facultatem habes carnes  
edendi tantum vt ab infirmitate præserueris, quo die  
non comedis carnes, teneris ieiunare: siu autem eam  
facultatem habes ratione infirmitatis præsentis, etsi illas  
aliquo die non comedas, non ideo ieiunare teneris. Ex  
Sanchez doctrina*

*Dixisti paruitatem materiæ à mortali excusare: assigna ma-  
teriæ paruitatem. Duarum vnciarum assignationem ni-  
mium laxam iudico. Putarim paruitatem materiæ esse  
quidquid vnam vnciam non excedit. Num huiusmodi  
paruitas*

160 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
*paruitas materię in esu carniũ excusat à lethali crimine? Af-*  
*sero cum Tannero non excusare, quatenus aduersari pro-*  
*fessione fidei existimaretur, qui eo cibo vteretur die iei-*  
*nijs, aut prohibitionis.*

*Dixisti potum non violare ieiunium: an vinum assumi potest*  
*quoties quis voluerit licet in magna quantitate? Potest; im-*  
*moderatio autem potest temperantiam violare, sed non*  
*ieiunium. Itaque quidquid potus est, ieiunium non sol-*  
*uit. Vnde potus ex vino, qui vocatur apud nostrates*  
*Clarea, seu Hipocras licet sit Indicis speciebus conditum,*  
*potus est; similiter mulsum, quod aqua melle, & spe-*  
*ciebus Indicis præparatur, vulgo Aloxa. Lac autem licet*  
*alicubi pro potu absumitur ex vini aquæque defectu,*  
*potus verè non est, vnde ieiunium proculdubio soluit,*  
*non autem accidentaliter violaret, vbi pro potu neces-*  
*sario adiicitur. Quid de potione in Hispania, aut Occidentali*  
*India dicta vulgo Chocolate? Aliquando dixi pro potu ha-*  
*beri, sed parum meriti ieiunio relinquere ob vires, quas*  
*ieiunanti adiicit omnino inedia sublata, aut impedita:*  
*nec absolutè cuperem vsum huiusce potionis vti mor-*  
*tificationis ieiunij ab Ecclesia intentæ apprimè aduer-*  
*santem: at magis authoritati hærens, quam rationi, po-*  
*tum esse assero, sed non vti condit abusus, sed quemad-*  
*modum potio ab Indis ad Hispaniam peruenit. Vnde*  
*Chocolate ouis aut lacte conditum potus non est, sed*  
*cibus substantialissimus. Item huiusmodi potio ad mo-*  
*dum crassa in notabili quantitate ieiunium violat.*  
*Verum Chocolate liquidum adeò, vt vnica potio-*  
*ni vncia vna adhibeatur sacaro necessario potus est,*  
*& absque scrupulo absumi potest. Vnicam potio-*  
*nem appello quod capit commune vas, quod *Iicara**  
*vulgo asolet appellari. Quod si assignata proportione*  
*ea potionis quantitas conditur, licet vas non semel*  
*euacuetur ieiunium non soluitur, temperantia fortasse*  
*violata; quia potus est, quemadmodum de vino asse-*  
*ruimus.*

*Die ieiunij ab amico rogatus sumo modicum cibi vrbauitatis*  
*gratia:*

*Exam. XII. De Ieiunio circa Præc. 4. Eccl. 16.*  
gratia : num venialiter delinquo ? Negatiuè cum *Fagundes*  
respondeo.

*Violat quis duo ieiunia in eundem diem incidentia : duplex  
ne peccatum committit ? Ex Suario & Vasquez respondeo*  
non peccare dupliciter ; quia peccata non multiplican-  
tur ex diuersitate præceptorum pertinentium ad ean-  
dem virtutem. *Quid si Religiosus violaret ieiunium vigiliæ in-  
cidentis in feriam sextam, in qua ex vi regula teneretur ieiunare ?*  
Respondet *Fagundes* duplici se illigare peccato ; quia  
peccaret & contra temperantiam, & contra Religio-  
nem, propter votum Obedientiæ de seruanda regula.

*Vouit ieiunium in pane & aqua, sed sæpius vinum contra vo-  
tum haust : num sæpius delinquo ? Semel peccasti.* At si vo-  
uisses nihil te manducaturum aut bibiturum nisi pa-  
nem & aquam, peccares mortaliter, quoties vinum  
biberes ; quia toties frangeres votum negatiuum. Ita  
*Sanehez*.

*Vouit omnes ferias sextas ieiunare ; die Natalis Domini in  
sextam feriam incidente, teneor ne ieiunare ?* Sentio cum *Molina*  
non teneri, nisi expresse in tuo voto diem Christi nata-  
lem incluseris.


*Tenetur ne pater familias filios aut seruos ad ieiunandum co-  
gere ? Hortari vt seruent tenetur quidem, sed cogere mi-  
nimè, vt docet Toletus.*

*Num professi ad Religionis ieiunia ante annum vigesimum-  
primum teneantur ? Cum Azorio & Saa existimo non  
teneri.*

*Licet ne die Dominica ex deuotione ieiunare ?* *Bellarminus*  
licere ait : Scandalum tamen cauendum.

*An licet dare cibum ei, quem scis debere ieiunare ?* *Saa* re-  
spondet licere parato non ieiunare, & alibi reperturo  
cœnam dare vrbانيتatis causa, aut hospitalitatis. Adii-  
cio id non licere Superiori, hoc est, Domino, aut Patri fami-  
lias, si suauiter possit ad ieiunium allicere ; sed, vt dixi,  
seruum, aut filium minimè cogere tenetur.





## EXAMEN XIV.

De legibus in particulari circa Materiam de  
Decimis ad Præceptum quintum  
Ecclesiæ.

## CAPVT PRIMVM.

*De oblatione, Primitiis, Decimis.*

105. *Oblatio.* **Q**uid est oblatio? Exterior actio, per quam ex bonis sensibilibus aliquid Deo offerimus in recognitionem dominij eius, & seruitutis nostræ ad ipsum, vel in quemcunque cultum religiosum Dei. Variis titulis deberi possunt oblationes, easque offerre non potest nisi baptizatus. Deo sunt, & hominibus Ecclesiasticis, & fieri aliquando possunt ex debito, & voto.
106. *Primitia.* *De Primitiis quidnam?* Primitiæ ex primis terræ fructibus frugum oblationes sunt. Eas offerre Deo de iure naturæ est. Olim erant in præcepto, & nunc etiam in lege gratiæ præcipiuntur.
107. *Decime.* *Decime quid?* Decimæ ex Ecclesiæ præcepto sunt, & ratione congruæ sustentationis ministris debitæ de iure naturali, in lege gratiæ confirmata.

## CAPVT II.

*De personis, à quibus danda Decima, de quibus rebus soluenda sunt & queisnam personis.*

108. *Solvens Decimas.* **Q**uam persone ad decimas soluendas obligantur? Omnes fideles. Vnde gentiles non comprehenduntur, neque Iudæi, siue de prædialibus, siue de personalibus sermo

fermo sit. Sacerdotes non soluunt. Pauperes soluunt modo in extrema necessitate non sint. Ministri Sacramentorum non tenentur ad decimas, at clerici ea recipientes tenentur, & quidem ex prædiis seculari titulo possessis, non ex lucris spirituali titulo acquisitis. *Tenetur ne Papa, aut Episcopus?* Papa sui ratione non tenetur, at ratione prædij, in quo tale sit onus, obligatur. Episcopus personali debito non tenetur, sed reali bene teneri potest. *Quid de Parochis, Clericis, ac seruientibus Ecclesiis?* Parochi ad prædiales tenentur, non ad personales. Clerici non ministrantes ad omnes. Seruientes Ecclesiis ex Ecclesiasticis bonis non tenentur, nec ex acquisitis titulo spirituali. *Tenetur ne Religiosi?* Iure communi tenentur, aliqui sunt privilegio exempti, & à personalibus etiam ex proprio labore, iure communi immunes sunt. Privilegiati etiam à debito reali eximuntur; eorumque privilegium ad noualia, & ad prædia in futurum acquirenda extenditur.

*Ex quibus rebus soluendæ sunt Decimæ?* Ex omnibus lucris iuste acquisitis. Nec debentur ex donationibus. Ex propriis actionibus lucra comparata debentur ex militia, & præda. Ex acquisitis contra iustitiam non debentur, ex iuste verò acquisitis per turpem actionem debentur. Ex decimis personalibus deducendæ primum expensæ sunt. Prædiales ex omnium rerum fructibus soluendæ. *Quid si colonus mediarius. sit?* Mediæ soluantur ab ipso, & mediæ à Domino. *Si mercenarius?* A Domino totæ.

*Quæsnam personis Decimæ soluendæ?* Personales decimæ debentur Parochiæ, eique Ecclesiæ soluendæ sunt, in cuius Parochia sita sunt prædia. Mixtæ debentur illi Ecclesiæ in qua animalia habitant, nisi consuetudo induxerit, ut soluantur in alia. Non extenditur ad noualia ante possessa; & privilegio solui possunt extra Parochiam. Noualia autem tunc comprehenduntur, quando verba talia sunt, ut absque propria interpretatione restringi non possint. Soluendæ decimæ sunt Parochiali,

109.

Decimarum materia.

110.

Quibus soluendæ Decimæ.

etiam si baptismalis non sit. Prædiales solvuntur Parochiali, in cuius territorio prædia sunt. Num ius percipiendi decimas laicis conveniat? Minime; at tanquam temporales quidam fructus solvi illis possunt. Tribus autem modis eas possunt percipere, locatione, stipendio, donatione. Concedi item laicis ad vitam possunt, in feudum, & transferri ad successores. Consuetudine eas præscribere non possunt, etsi vim habere potest consuetudo probandi privilegium. Porro Decimæ institutæ fuere in Cleri sustentationem & post diuisionem Dicesesum in Parochias, distributæ per Parochos fuere. Primò debentur Episcopis, æquè primò etiam Clero Parochiarum. Deinde Parochis, tum capitulis præbendatis. Simpliciter clerici non habent ius ad illas proprium, nec Religiosi ex vi status. Consuetudine præscribere quidem possunt immunitatem à soluendis decimis, non autem ius eas recipiendi, nisi sint ministri Sacramentorum, & titulum aliquem Parochialem habeant.

---

C A P V T III.

*Quomodo, & quando, soluenda sint Decimæ.*

**III.** *Quomodo soluenda Decimæ.* **Q**uoniam modo debeantur, & reddendæ sint Decimæ? Debetur ex Iustitia, & Religione, non tanquam alienæ res, sed tanquam res propriæ, (vt probabilius assero) cum obligatione reddendi. Vnde dici potest Ecclesiam quodammodo habere usum fructum in prædiis, pro parte decimarum. Eas petere potest Ecclesia à quocunque, apud quem sint non decimati fructus. Si culpa Parochiani amittantur fructus? Contra ipsum ius habet Ecclesia. Culpa autem triplex esse potest, commissio, omissio, & mora: commissio debet, qui potuit impedire damnum & non fecit: omissio, qui potuit seminare, vel vineam colere: mora autem tum in colligendis opportuno

*Examen XIV. De Decimis ad Præc. 5. Eccl. 169*  
opportuno tempore fructibus, tum in non soluendis  
postquam ij collecti sunt.

*Quando soluenda?* Sine mora, & non peritæ. Et quidem personales in fine anni soluuntur. Computandæ autem decimæ ex negotiationibus per singulos annos. Prædiales soluendæ statim collectis fructibus: animalium proportionato tempore. Parochi suis sumptibus curare debent, ut in domum deferantur. *Ius ne habet Ecclesia decimas exigendi?* Ita planè, per vim tamen accipi non possunt à Parochis, sed recurrere possunt ad Ecclesiasticos iudices, qui cogere valebunt. Prælati quidem tenentur cogere debitores, interdum tamen ad tollenda, seu vitanda scandala poterunt connuere.

112.

*Quando soluenda Decimæ.*

#### CAPVT IV.

*Praxis circa præfata ex Societatis*

I E S V schola.

**D**ecimarum obsecro obligationem pressius expende. Triplex Decima, personalis, prædialis, & mixta. Personalis est decima pars fructuum prouentium ex industria, & opera personæ. Prædialis, seu realis est quora fructuum, qui ex prædiis percipiuntur. Mixta quæ partim ex hominis industria, partim ex prædiis prouenit, ut sunt animalium foetus. Profectò decimæ personales soluendæ sunt post lucrum acquisitum, ab iis qui Sacramenta suscipiunt illi Ecclesiæ, in qua Sacramenta suscipiuntur, nisi aliter sit consuetudine receptum. Prædiales statim ac fructus collecti sunt, soluendæ ab illis omnibus, qui prædia titulo non spirituali possident, illi Ecclesiæ, cui subiecta sunt prædia, nisi sit consuetudine introductum, ut alteri soluantur. Mixta quando foetus peruenit ad statum vitabilem. soluendæ iuxta locorum consuetudinem.

113.

*De Decimis varij casus.*

*Possunt ne Sacramenta non solventibus decimas denegari?*

*gari ? Ita planè, dum nullam habent excusationis causam.*

*Soluendæ ne Clericis diuitibus, aut improbis ? Quis dubitet ? Non enim debentur decimæ Clericis ob eorum inopiam, aut probitatem ; sed ob laborem, quem in populi vtilitatem impendunt.*

*In soluendis decimis realibus seu prædialibus sunt ne detrahendæ expensæ, v.g. culturæ agri ? Minimè ; secus in personalibus.*

*Qui decimis soluendis deteriores, & non vt par est, mediocrem saltem partem bona fide assignat, peccat ne contra iustitiam ? Peccat, & consequenter ad restitutionem tenetur. Imo peccato sese sacrilegij foedare aliqui affirmant, quos minimè probandos affirmarim ; nec satis ad sacrilegium non soluere, aut malè impendere rem sacro cultui dedicatam. Azorius ita.*


*Obligatio soluendi decimas potest ne validè privilegio Papæ condonari ? Potest, quatenus decimæ dicunt quotam fructuum, seu determinatam partem. Imo sine causâ condonari valet à Pontifice, sed tum illicitè concederetur. Item obligatio soluendi decimas in futurum auferri posse videtur per compositionem, interueniente Summi Pontificis autoritate. Imò etiam Prælati Ecclesiæ, aut Beneficiarius potest iusta de causâ absque assensu Apostolico compositionem, vel remissionem facere de præteritis decimis, cum iuri suo cedere possit, & nulla Simonix labes, aut prohibitio interueniat. Ex Azorio.*

*Potest ne contra decimas consuetudo ? obligatio soluendi decimas, quatenus decimæ dicunt certam partem fructuum potest per consuetudinem communitatis quadraginta annorum spatium auferri : possunt quoque particulares personæ liberari, & immunes fieri per legitimam præscriptionem, ab obligatione decimarum ; vt quando, v.g. quis confuevit non soluere decimas per tempus immemorabile, nullo interueniente titulo : aut quando confuevit nō soluere spatium quadraginta annorum,*

*Examen XV. De Priuilegiis in comm.* 167  
sum, interueniente titulo saltem rationabiliter præsumpto.

*Est ne probabile decimas non deberi personales, id est, ex lucro industriæ? Nullibi ferè esse in vsu ab Emanuele Saa affirmatur. Qui quidem addit decimas non deberi à Clerico ex fructibus Ecclesiæ, nec ex patrimonio, si Ecclesiæ seruat, cui decimæ debentur. Standum planè in iis & similibus præscriptæ consuetudini, quæ quidem efficit miram hac in re varietatem.*

*Sunt ne speciales pœnæ non soluentibus decimas assignatæ? Tridentinum præcipit subtrahentes decimas, aut earum solutionem impediens non solum excommunicandos esse, verùm non esse absoluedos, nisi facta plena restitutione: Intellige, modo non adsit impotentia restituendi. Extant etiam peculiare pœnæ in Clem. I. de Decim. contra Religiosos, qui iniquè vsurpant decimas ad se non pertinentes, vel alios ab iis soluendis retrahunt, vel pœnitentibus conscientiaæ scrupulum circa decimarum solutionem ingerere negligunt. Argurium lege.*



## EXAMEN XV.

De legibus circa Materiam de Priuilegiis in communi.

### CAPVT PRIMVM:

*De Priuilegiorum varietate:*

**Q**uidnam est Priuilegium? Specialis gratia alicui concessa: seu lex, qua alicui aliquid speciale conceditur.

*Quotuplex illud? Multiplex planè. Aliud dicitur Scriptum; aliud Non scriptum, siue à Superiore concedatur, siue acquiratur consuetudine. Aliud est Reale, quod*

114.  
*Varietas  
Priuilegiorum.*

168 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
 directè conceditur alicui rei, vt loco, dignitati, prædio,  
 mercibus. Aliud *Personale*, quod conceditur immediatè  
 personæ. Quando res, cui concessum est priuilegium  
 transit ad alium Dominum, ad eundem etiam priuile-  
 gium transit: priuilegium verò personale cum persona  
 extinguitur. Aliud est *Gratiosum*, quod gratis conceditur.  
 Aliud *Remuneratorium*, quod meritorum ratione præsta-  
 tur. Aliud est *Conuentionale*, quod conceditur ex pacto.  
 Aliud *Purum*, quod absolutè conceditur. Aliud est *Priva-  
 tum*, concessum in personæ priuatæ fauorem. Aliud  
*Commune*, quod bonum communitatis immediatè respi-  
 cit. Aliud est *Fauorabile*, quod priuilegiato confert fauo-  
 rem, & commodum, nulli autem incommodum. Aliud  
*Odiosum*, quod in fauorem vnius, & in præiudicium ce-  
 dit alterius. Aliud est *Perpetuum*, Aliud *Temporale*, seu ad  
 tempus. Aliud *in foro conscientie*, quod in externo foro  
 non valet. Aliud *in foro externo*, quod etiam valet in con-  
 scientiæ foro.

---

## CAPVT II.

### *De accipiente à Superiori Priuilegium.*

**II5.** *Accipiens Priuilegium.* **A** *Quanam Priuilegium conceditur?* Ab eo, qui ferendæ  
 legem habet potestatem; quia Priuilegium est  
 quædam lex.

*Cuinam est concedendum?* Solis subditis; quia per priui-  
 legium homo à lege eximitur, non autem eximitur à le-  
 ge, nisi qui aliquo modo legi subiiciebatur. Ergo *Religiosi*  
*& Clerici, qui subditi non sunt, priuilegia à Principe seculari*  
*consequi non possunt, neque illis frui.* Nego sequelam; quia  
 licet non sint directè subditi Principibus secularibus,  
 nihilominus si Princeps concedat legem ciuilem purè  
 fauorabilem, possunt illius beneficio frui; sunt enim ali-  
 quo modo subditi, quatenus Principem agnoscunt in  
 iis, quæ Ecclesiasticæ non officunt immunitati.

*Concedi*

*Concedi ne potest Priuilegium ignorantibus? Valide conceditur; quia sufficit voluntas concedentis. v. g. valida est dispensatio, voti castitatis, quam pro sponsa inscia dispensationis, sponsus obtinuit: modo tamen ab ipsa acceptetur; alioquin non posset ea licite uti dispensatione.*

*Priuilegium ne potest valide obtineri pro iniurto? Potest, & Superior potest cum subdito renitente in lege dispensare. Imo dari potest casus, quo Superior valeat subditum ad utendum dispensatione cogere; v. g. ad non ieiunandum in Quadragesima ob aliam utilitatem.*

*Ut Priuilegium vim habeat debet ne acceptari? Porro acceptari debet vel ab eo, cui conceditur: vel ab eo, qui vices gerit illius; quia Priuilegij concessio est velut quædam donatio facta in priuilegiati fauorem: donatio autem non valet antequam acceptetur. Hoc tamen intelligendum planè de priuilegiis gratiosè concessis; nam quæ in remunerationem conceduntur, & non ex mera liberalitate, valent, quamuis expressè non acceptentur; quia priuilegiatus scit se remuneratione dignum, ac proinde non omnino priuilegium ignorat.*

---

### C A P V T III.

#### *De Priuilegij vsu.*

**P**otest ne uti priuilegiatus indulto concessio, quolibet in loco 116.  
*intra concedentis ditionem? Potest, si absolute, & absque loci determinatione concessum est; quia priuilegium huiusmodi iuxta facultatem concedentis generale censetur. Priuilegium autem, quod restringitur ad aliquem locum, extra illum non valet. v. g. qui à Sede Apostolica priuilegium obtinuit duo beneficia in vna Ecclesia retinendi, non potest in alia eodem uti priuilegio.*

*Priuilegiatus autem potest ne ubique etiam extra territorium*



170 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
concedentis uti dispensatione aut privilegio personati sibi absque  
determinatione loci concessio? Maxime, modo in alieno terri-  
torio aliqua specialis prohibitio non extet; quia priui-  
legium personale sequitur personam, quocumque pro-  
ficiscatur. Fateor per accidens ratione scandali, vel alte-  
rius circumstantiæ fieri posse, ut utendum non sit perso-  
nali huiusmodi privilegio.

#### CAPVT IV.

##### *De Privilegij ambiguitate, & explicatione.*

117: *Explicatio Priuilegij.* **Q**uid præstandum, quando Privilegij verba ambiguitatem continent, & de mente concedentis dubitatur? Recurrendum planè ad coniecturas, aut Princeps adeundus, nisi in mora periculum adfit.

Quoniam modo autem explicanda privilegia, cum opus est interpretatione? Privilegium purè fauorabile latè explicandum est, quantum verborum proprietate, patietur, cum nullum præiudicium vlli inde pariatur. Privilegium verò odiosum regulariter loquendo, strictè exponendum est, seruata similiter verborum proprietate; odia enim sunt restringenda, fauores ampliandi.

Quænam Privilegia sunt strictè explicanda? Non quidem ea, quæ continentur in iure communi, nec quæ in corpore iuris continentur, nec quæ versantur circa materiam iuris; habent enim vim legis: sed quæ non continentur in iure; quia censentur ius quoddam priuatum contra ius commune. Dispensationes autem, quæ derogant iuri communi, explicandæ strictè. Item priuilegium, quod liberiùs delinquendi exhibet occasionem, strictè exponendum.

Facultas absoluendi à reſeruatſ Confessario concessa, & facultas Iubilei sunt ne strictius explicandæ, an laxius? Laxius quidem; quia fauorabiles sunt, modò in damnum tertij non vergant, nec ad ea, quæ sunt Pontifici Summo specia

specialiter referuata, extendantur, vti est dispensatio in Matrimonio rato, in voto castitatis, aut Religionis; quia in generali concessione haud continentur ea, quæ Superior non esset concessurus, si specialiter rogaretur.

Potest ne vxor aliqua ratione gaudere priuilegio nobilitatis, quod vir eius obtinuit? Et filius potest frui priuilegio nobilitatis patri concesso? Potest, iure ita disponentes; priuilegium enim non solum censetur concessum iis personis, & rebus, quæ in illo exprimentur: sed & iis, quæ in eo comprehenduntur propter vocis significationem, aut actionis connexionem, aut dispositionem iuris.

Potest ne extendi Priuilegium ad alios casus, vel personas ob rationis similitudinem? Minimè; quia indultum concedens non videtur velle ad alios extendi, nisi in eo specialiter significatiua voce comprehendantur. Alioquin priuilegia vni Religioni concessa ad aliam arctiorem, vel æqualem transirent ob similitudinis, aut rationis paritatem. Colligo hinc in Priuilegiorum materia à pari, vel à maiori ad minus non esse arguendum, nisi minus in maiori includatur. v.g. concedens vescendi carnibus facultatem etiam facultatem vescendi ouis & lacticiiniis concedere censetur.

---

C A P V T V.

Quonam modo Priuilegium amittatur?

**A**mittit ne Priuilegium vim suam obente eo, cui fuerat concessum? Amittit prorsus, si priuilegium erat personale; tale enim personæ affigitur. Reale autem successiuè ad illos, qui rem ipsam acquirunt, transmittitur. Quando nam priuilegium personale esse censetur, vti dignoscere possimus vtrum expiret, nec ne? Priuilegium personale censetur, quando alicui conceditur expresso solum nomine illius, nisi aliter ex circumstantiis appareat. Quando verò exprimitur solummodo nomen dignitatis, priuilegium reale

118.

*Amisio  
Priuile-  
gij.*

172 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
reale censetur, nisi aliud ex circumstantiis colligatur.  
*Quid si simul nomen personæ, & dignitatis exponatur? Tunc*  
priuilegium personale censetur; quia nomen dignita-  
tis per nomen personæ tanquam genus per speciem  
contrahitur.

*Priuilegium vitæ concessum cessat ne morte concedentis? Non*  
cessat, modo concessum simpliciter fuerit sine vlla con-  
ditione, seu particula restringente vsque ad obitum  
concedentis.

*Priuilegium nondum erat obtentum, sed obtinendum: expirat*  
*ne morte concedentis? Expirat. v.g. si Pontifex postquam fa-*  
cultatem commisit Antonio, vt beneficium conferat  
Petro, ante collationem è vita excedat, illa facultas in-  
fatuetur; quia beneficium nondum erat obtentum.

*Quid de Priuilegio simpliciter, & indeterminatè concessio: &*  
*de illo, cui tempus præfigitur? Concessum indeterminatè*  
perpetuum est: terminatè autem datum, lapsu tempo-  
ris præscripti, aut cessatione conditionis, amittitur.  
*Quid si ad beneplacitum concedentis datum sit? Expirat planè*  
*morte concedentis.*

*Amittitur ne Priuilegium tota ipsius causa cessante? Amit-*  
titur, modò non sit executioni mandatum: quia non  
est credibile Principem conseruare velle priuilegium  
causa cessante, quod quidem iniquè videretur indul-  
tum.

*De Priuilegio gratuito, & oneroso quid sentiendum? Gra-*  
tuitum quo quidem alicui subdito facultas datur fa-  
ciendi contra, vel potiùs præter ius, potest ex causa ius-  
ta à concedente reuocari, vel à Superiori, vel à succes-  
sore concedentis. Quod autem datur per contractum  
onerofum, vel in remunerationem, vel præuia pecu-  
nia, per se loquendo non potest reuocari; quia pacta  
seruanda.

*Quonam modo Priuilegium reuocatur? Vel expressè ver-*  
bis sufficienter reuocationem in specie indicantibus,  
seu in genere: vel tacitè, si concedens, v.g. aliquem ge-  
rat actum, qui non possit absque priuilegij derogatione  
subsistere;

sublittere; vt si Princeps iubeat tributum exigi ab eo, quem exemerat.

*Adsumt quaedam Priuilegia in corpore iuris inserta, quaedam verò minimè: rogo num fiat reuocabilia?* Priuilegium insertum per posterius priuilegium abrogatur; quia non præsumitur ignorari. Priuilegium non insertum nec reuocatur per legem subsequenterem, nec per particulare mandatum; seu rescriptum Principis, nec per subsequens priuilegium præcedenti repugnans, nisi ipsius mentio fiat; quia priuilegium huiusmodi est ius quoddam priuatum, quod Princeps ignorare præsumitur, nisi ipse faciat mentionem.

*Quidnam requiritur, vt reuocatio Priuilegij facta per legem suum effectum sortiatur?* Publicatio reuocationis; quæ ante publicationem non obligat lex. Facta autem publicatione, priuilegium manet reuocatum, ita vt acta non valeant, etiam si ignoranter, & absque culpa fiant. Excipe tamen actus publicos cum errore communi, & titulo colorato effectos. Priuilegium verò priuatum vim suam retinet, donec reuocatio ad notitiam illius, cui concessum fuerat, perueniat; vt enim concessio priuilegij, priusquam ei, cui concessum fuit, innotescat, non operatur; sic illius reuocatio suum non sortitur effectum, donec ab eo, cui fuerat concessum cognoscatur, v.g. confessarius, cui fuerat facultas concessa absoluendi à reseruatibus post facultatem priuatim ipso inscio reuocatum, validè absoluit.

*Amititur ne Priuilegium per voluntariam renunciationem?* Ita quidem, modo à concedente acceptetur, aliàs priuilegium adhuc viget, & potest priuilegiatus illo vti, mutata voluntate; quia priuilegium vim habet à voluntate concedentis. Loquor de priuilegio, quod tractum habet successiuum, & consistit in potentia faciendi, vel omittendi aliquid in futurum; nam priuilegium momentaneum, quod operatur statim ac concessum est, vt est dispensatio in impedimento Matrimonij, non potest renunciari. v. g. qui dispensationem in impedimento  
constan

174 *Moral. Theologiae Tract. I. Leges,*  
consanguinitatis obtinuit, non potest per renunciatio-  
nem inhabilis fieri ad contrahendum; non enim potest  
sefe inhabilem efficere, postquam semel est habilis per  
dispensationem effectus.

*Quid de Privilegio alios grauante, seu non grauante affirma-  
tino?* Privilegium affirmatiuum, quo facultas concedi-  
tur aliquid in aliorum grauamen faciendi, per non  
vsum amittitur; quatenus qui grauantur, per tempus  
legitimum, à tali onere præscribunt exemptionem. Pri-  
uilegium verò, quod neminem grauat, regulariter lo-  
quendo non amittitur per non vsum, etiam si longissi-  
mum tempus intercedat: modò fuerit absque tempo-  
ris limitatione concessum, exceptis casibus in iure ex-  
pressis.

*Amittitur ne Privilegium per vsum materialiter & forma-  
liter contrarium?* Amittitur; quia privilegiatus præsumi-  
tur privilegio renunciare, si aliquem actum contrarium  
efficiat tanquam ex obligatione, seu animo sese obliga-  
tioni subiiciendi, v. g. qui privilegium habet non soluendi  
tributum, si tributum soluat tanquam ex obligatione,  
privilegium per vsum contrarium amittit.

*Quandonam potero Privilegio meo renunciare?* Quando il-  
lud præcipuè in bonum, seu commodum priuatum cedit;  
quia nullus cogitur inuitus beneficium acceptare.  
Sin privilegium concessum sit boni communis intuitu,  
non possum priuatus illi renunciare, etiam si in meum  
commodum redundet. v. g. nullus Clericus potest pri-  
uilegio Canonis, aut fori Clericis indulto renunciare.  
Idem proportione affirmo, quando privilegium in  
favorem plurium concessum est, ita vt commodum  
vnus ab aliorum comodo seiungi non possit.

*Privilegium concessum communitati quandonam amitti vide-  
bitur?* Nō quidem amittitur per vnum actum aut plures,  
si fiant à personis priuatis, absque autoritate & cōsensu  
communitatis: secus si à tota communitate fiant, seu de  
totius communitatis autoritate, & consensu; quia tunc  
communitas videtur suo iuri cedere.

*Amittitur*

*Amititur ne Priuilegium per abusum? Ipso facto non amititur, regulariter loquendo; quia nullus tenetur à se priuilegium ante sententiam saltem declaratoriam criminis abdicare: nisi in iure verba inducentia ipso facto priuationem ob abusum, vel delictum habeantur. v.g. Clericus Sodomitico vitio lapsus, excidit ipso facto à priuilegio Clericali.*

*Priuilegium præcisè ob aliquam actionem exercendam concessum, cessat ne, tali actione cessante? Cessat; quia cessante causa, cessat effectus. v.g. Beneficiarius, qui priuilegium obtinuit percipiendi fructus beneficij pro eo tempore quo abest studiorum causa: quandiu studiis non vacat, fructus percipere non potest.*

---

C A P V T VI.

*Praxis circa prædicta ex Societatis*

*I E S V schola.*

**P***riuilegium concessum non subdito est ne reuocabile? Negatiuè affirmo cum Suario. Talia sunt, quæ à secularibus Principibus conceduntur Ecclesiasticis.*

*Priuilegia, quæ non vni personæ, sed toti communitati, v.g. Clericorum, aut Regularium conceduntur, habent ne latam interpretationem? Affirmo cum Laymano, quia legibus communibus æquantur.*

*Quid si priuilegium huiusmodi sit contra ius commune? Amplam adhuc interpretationem habet, si motu proprio à Principe concessum sit; quia proprium Principis beneficium est ex certa scientia datum. Laymanus ita.*

*Si autem Principis Priuilegium in alterius præiudicium tendat, vel scandali exhibeat occasionem? Strictè (cum eodem Laymano loquor) interpretandum; quia eatenus odiosum est.*

*In dubio num Priuilegium aliquod sit reale, an personale, quid præstandum? Si est omnino fauorabile, quia nec iuri communi,*

I 19.

*De Priuilegiis v. r. casus.*

communi, nec particulari alicuius contrarium est, censendum reale, & extendendum; sin contra, censendum personale, & restringendum. Sentio cum *Suario*.

*Possunt ne exempti, non obstante exemptionis priuilegio, cum Prælati sui consensu subiicere se Ordinario, dispensationem ab eo petendo in votis, iuramentis, & censuris?* Possunt; quia priuilegium priuilegiato onerosum esse non debet *Layman* ita.

*Potest ne Priuilegium ante acceptationem reuocari?* Cum eodem Doctore posse existimo, si ex mera liberalitate emanauit: secus si ex debito officio conferentis.

*Mibi Priuilegium concessum est libros prohibitos legendi: uti ne eo possum extra Diæcesim, aut Prouinciam conferentis?* Potes; quia est datum personæ. Sic *Laymanus*.

*Quonam modo stilus Principum concedentium Priuilegia intelligendus est?* Respondeo ex *Laymano*. Si Princeps priuilegium dedit sub hac verborum forma: *Dum voluero: Quoad beneplacitum meum*, eo mortuo, expirat; non item si dixerit. *Donec reuocauero, Dum aliud decreuero*: neque si dicat, *Quandiu Sedi placuerit*; quia potestas Sedis transfit ad successorem.


*Potest ne Capitulum iuri, ac priuilegio renunciare?* Non potest, si Ecclesiæ utile ac honorificum sit. Etsi Capitulum contra priuilegium faceret, vnus solus se opponere posset. Imo si omnes contra facerent, Superior, videlicet Episcopus deberet impedire, quatenus in damnum cedit Ecclesiæ. Ex eodem Doctore accipi.

*Amittuntur ne Priuilegia per merum non usum?* Priuilegia, quæ aliis onerosa sunt, amittuntur per non usum spatio decennij inter præsentis: viginti verò annis inter absentes; si tamen vtendi occasio sit. v.g. si habeas priuilegium decimas exigendi, aut monasteria exempta visitandi, & longo tempore non vtaris. Priuilegia verò affirmatiua per merum non usum amittuntur, si vtendi non adsit occasio. v.g. si quis habeat sanguinis iurisdictionem, & diuturno tempore nullum ceperit delinquentem. Adhuc ex *Laymano*.

*Examen XVI. De Dispensatione legum. 177*

*Literæ ne fidei publicæ, siue saluus conductus expirat morte concedentis ? Ex Saa respondeo non expirare.*

*Facit Papa gratiam, committendo Episcopo examen: interea moritur Papa: expirat ne priuilegium ? Idem Saa negatiuè respondet. Adicit gratiam præcedentem sequenti excommunicatione non auferri: præteritam autem ex falsa causa nullam esse; concesso item aliquo priuilegio intelligenda etiam concessa omnia, sine quibus non potest illud commodè fieri: præterea nomine marium foeminas etiam comprehendî; Papam denique non præsumi concedere exorbitantia, nec velle derogare iuri, aut præiudicare alicui, nisi exprimat.*




*EXAMEN XVI.*

*De legibus circa Materiam de Dispensatione particulari, scilicet Priuilegio.*

*CAPVT PRIMVM.*

*Quisnam possit Dispensare ?*

 *Vid significat hoc nomen Dispensatio ? Actum iurisdictionis, quo quis à legis obligatione eximitur; aut quo legis obligatio suspenditur.*

**120.**

*Quis dispenset.*

*Quisnam in lege dispensat ? Superior legitimus, seu Legislator, vel Superior ipse, vel successor, vel æqualis in iurisdictione, cuius quidem internus consensus requiritur ad dispensationis valorem. Hic potest cum suis subditis dispensare, illòsque à legis obligatione eximere, respectu aliorum adhuc obligatione perseverante. Idem potest quilibet conditor in sua lege, & Summus Pontifex in legibus ab Apostolis tanquam Episcopis latis.*

*Num possit Legislator secum suis in legibus dispensare ? Potest, quamuis actû, quo quis secum sua in lege dispensat,*

**M**

*propriè*



178 *Moralis Theologie Tract. I. Leges,*  
proprie & strictè dispensationem non appella-  
rim.

*Inferior ne potest in Superioris lege dispensare?* Minimè,  
quoties Superior sibi dispensationem reservauit, aut in-  
feriori prohibuit dispensandi facultatem. Imo nec po-  
test toties quoties non ademit expressè Superior ei fa-  
cultatem dispensandi; quia quando urgente necessitate  
potest Papam certiore per literas facere; vel inopia  
partium, quibuscum dispensandum est debet suis red-  
ditibus occurrere, ipsè dispensare non potest.

## CAPVT II.

### *De Dispensationis validitate, & nullitate.*

**121.** *Validitas, & Nullitas Dispensationis.* **N**um Dispensatio concessa sine iusta causa à Legislatore, vel ab habente ab ipso facultatem, valida sit? Valida quidem, sed non licita. Vnde peccat Superior si dispenset sine causa: imò si dispenset ex causa, quam dubitat esse sufficientem. At ille, quocum dispensatum est, potest uti dispensatione, licet dubitetur, an Superior iustam dispensandi causam habuerit; quia in dubiis Principis est standum iudicio.

*Dispensatio in lege Superioris concessa ab inferiore sine iusta causa, illicita quidem est: quaeserim, num sit valida?* Minimè, vnde is, quocum inferior dispensauit in lege Superioris absque iusta causa non potest uti dispensatione. A fortiori dispensatio concessa à Papa sine iusta causa in iis, quæ sunt de iure diuino, & naturali, inualida est, & dispensans, grauiter delinquit. Inducens item ad dispensandum sine causa, vel falsa allegata, peccat eodem pacto, quo dispensator.

*Necessum ne, ut Superior dispensaturus iudicialiter cognoscat, iustam ad dispensandum causam adesse?* Minimè, imò dispensatio tacitè concessa sine causæ cognitione, valida est.

*Quenam ad dispensandum iustæ & sufficientes causæ assignantur? Hæc. Vtilitas, aut necessitas communis, vel priuata: Pietas, alii que occurrentes casus, qui sufficientes, & legitimi arbitrio prudentis viri visi fuerint, pro qualitate loci, temporis & personæ.*

*An Princeps possit in lege dispensare, imposita multa pecuniaria fabricæ Ecclesiæ, vel piis operibus ex præcepto tradenda? Minimè nisi sit supremus Antistes; quia in Tridentino sess. 25. cap. 18. Dispensatio gratis fieri præcipitur.*

*Aliquid habens connexionem cum materia dispensationis tacetur, vel falsò narratur, quo cognito Superior non dispensaret: rogo, num sit valida dispensatio? Inualida est: Secus si tacetur tantùm res, vel circumstantia impertinens ad causam. Vnde valida est v.g. dispensatio voti obtenta ab eo, qui se virum doctum, & studiosum finxit; nam huiusmodi fictio nihil refert ad dispensationis causam. Similiter valida est dispensatio obtenta tacito nomine personæ, quam si dispensans cognouisset, propter odium, non dispensasset. Valida item est, quando in personæ nomine erratur; quia accidentalia hæc.*

*Est ne valida dispensatio, quotiens impedimentum certum narratur sub dubio: vel quotiens narratur vna tantùm causa, & ea sit falsa? Minimè.*

*Surreptio tacendo verum, vel exprimendo falsum, assolet in toto rescripto, vel in parte contingere: quomodo insatuat dispensationem? Si contingat in toto omninò vitiat. Si in vna tantùm resccripti parte vitiat, & irritum reddit rescriptum, quoad eam partem, in qua est surreptio; non verò quoad reliquas. Quid si non possit separari pars, in qua contingit surreptio? Totum rescriptum irritum est. Valet autem rescriptum quò ad partem, in qua non contingit surreptio, etiam surreptione in ea parte à ciuili scienter commissa, inscio eo, in cuius fauorem rescriptum obtinetur. Vnde obtinens dispensationem de duobus votis in eodem rescripto, potest vti dispensatione, quò ad votum in quo surreptio non contingit. Item qui in petendo rescripto ad beneficium siue curatum siue*

180 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
simplex bona fide tacuit legitimam ad curatum aetatem,  
potest virtute illius rescripti beneficium simplex obti-  
nere, si aetatem legitimam ad beneficium simplex ha-  
beat. Porro vitium subreptionis, & inualiditatis sap-  
pletur per clausulam, *Motu proprio*, positam in rescripto,  
quando priuilegium motu proprio conceditur sine vlla  
præuia informatione, sed ex mera concedentis liberali-  
tate. Hoc quidem clausula, *Motu proprio*, in rescriptis po-  
sita operatur, quod priuilegium censeatur magis volun-  
tarium, & nunquam in eum, cui conceditur, retor-  
queatur.

*Mentum incutio ad dispensationem obtinendam: rogo, num sit  
valida?* Ita planè Non ita si extorta fuisset per dolum, &  
mendacia, si dolum & mendacia circa causam, finalem  
seu motiuam dispensationis versentur; id est, quando  
dispensans non concessisset dispensationem, vel eius  
partem, si dolum cognouisset.

*Valida ne dispensatio ab aliquo obtenta non exprimendo se  
alias eam petisse, sed non obtinuisse?* Valida est, v.g. dispen-  
satio obtenta ab Episcopo successore ab anteriori dene-  
gata valida est, quamuis circumstantia denegationis ta-  
ceatur. Imo validam puto dispensationem ab inferiori  
habente tamen potestatem dispensandi, obtentam,  
quamuis non exprimatur eam prius fuisse à Superiori  
denegatam.

*De vna & eadem re duplex dispensatio petitur, & prima fuit  
limitata: rogo, an in secunda, quæ magis ampla petitur, facienda  
sit mentio prioris limitate?* Ita planè, alioquin secunda vi-  
detur inualida, nisi secunda ex noua sufficienti causa  
petatur, aut nisi prima concessa fuerit cum limitatione,  
quæ iuxta stylum apponi solet.

*Qui ob scrupulum vel dubium circa primam dispensationem  
obinet secundam, validè ne obtinet, non facta mentione prioris?*  
Ita quidem. Vnde qui obtinuit v.g. dispensationem ve-  
scendi carnibus in vna Quadragesima, si in alia similem  
dispensationem quærat, non tenetur prioris mentionem  
facere.

*Quid*

*Examen XVI. De Dispensatione legis. 181*

*Quid si amplio rem dispensationem expeterem? Deberes prioris memoriam facere. v.g. qui obtinuisti exemptionem à soluenda parte decimarum, debes prioris mentionem facere, si amplio rem desideras.*

*Habet quis plura impedimenta, seu vincula; num validè obtineat dispensationem unius, aliis non explicatis? Affirmatiuè respondeo, ut patet à simili de obstricto pluribus excommunicationibus, qui potest ab vna absolui, alia non ablata. Excipe Matrimonij impedimenta.*

*Redditur ne inualida dispensatio tacita qualitate, quam iura specialiter exprimi voluit; si ea qualitate expressa adhuc Superior dispensationem concessisset? Ita quidem. Vnde inualida est dispensatio obtenta (v.g.) non expresso gradu affinitatis, vel consanguinitatis, vel publicæ honestatis, aut non facta expressione diuersorum titulorum, ratione quorum duo sunt affines.*

*Committens cum consanguinea incestum, potest ne vti dispensatione, si antequam dispensatio obtineatur, iterum cum eadem peccet? Potest.*

*Est ne valida dispensatio obtenta non expressa linea in consanguinitate, affinitate, & publica honestate? Inualida est. Porro in cognatione spiritali exprimentum est, an sit filiatio, vel spiritalis compaternitas. Imo explicandum, impedimentum publicæ honestatis esse in primo gradu, & ex matrimonio rato consurgere, si de hoc dispensatio queratur.*

*Est ne valida, quando circa speciem impedimenti erratur, aut quando obtinetur ad contrahendum cum affine vel consanguineo, tacito incestu iam commisso, & completo? Est inualida. Profectò si incestus sit occultus, non est necessario facienda ipsius expressio in dispensatione à Papa pro foro externo obrinenda.*

*Est ne explicanda copula incestuosa spe facilius obtinendi dispensationem commissa? Ita planè, quamuis alter tantùm eorum talem animum habuerit.*

*Valet ne in foro externo dispensatio concessa, si copula non intercessit, ea oculata interueniente? & an contrahentes à iudice*

182 *Moral. Theologia Tract. I. Leges,*  
*de hac interrogati, respondere teneantur? Respondeo contra-*  
*hentes interrogatos de copula licet occulta teneri iudi-*  
*ci interroganti manifestare.*

*Est ne dispensatio valida, quando error viciniore in gradu*  
*committitur? Minimè: v.g. si dicatur esse in quarto, cum*  
*fit in tertio. Porrò si duo non æqualiter distent à stipite,*  
*necessariò non est facienda mentio gradus propinquo-*  
*ris stipitis, modò tamen alter contrahentium non distet*  
*vno tantum gradu à stipite. Ordinarius quidem non*  
*expresso propinquiori gradu non debet in foro externo*  
*dispensationem admittere donec literæ declaratoriæ*  
*afferantur.*

*Requiro, quid seruandum, dum aliqua dispensatio, de Ponti-*  
*ficus mandato expenditur? Requiritur, vt qui rescriptum*  
*Apostolicum debet expedire, ad confessiones sit ab Or-*  
*dinario approbatus: vt sit Doctoratus laurea insigni-*  
*tus: Vt habeat iustam causam dispensandi: Vt rei veri-*  
*tatem, nisi notoria sit, vel aliunde constet, ab ipso poeni-*  
*tente diligenter inquireat: Vt Confessarius, cui rescri-*  
*ptum Apostolicum exhibetur, ad dispensandum. v.g. in*  
*Matrimonio, non dispenset, nisi impedimentum sit oc-*  
*cultum id est, nisi ignoretur à maiori vicinæ parte, vel*  
*parochiæ, vel oppidi, vel Collegij, vel Monasterij: Vt*  
*præcedat confessio dispensationem; quotiens hoc à re-*  
*scripto iubetur: Vt denique confessarius talia pia*  
*opera imponat, qualia prudenter imponenda iudicauerit.*  
*v.g. in dispensationibus ad contrahendum matrimo-*  
*nium obtentis ratione delicti, imponenda est corporalis*  
*poenitentia, aut menstrua confessio, quæ quidem fieri*  
*poterit quacunque Mensis die. Confessarius autem, cui*  
*datur facultas dispensandi circa matrimonium, curare*  
*debet antè dispensationis executionem, vt coniuges se-*  
*parentur, si id sine scandalo præstari possit. Deinde vt*  
*ipsi coniuges certiores sint de consensu nullitate. Et li-*  
*teras dilacerare debet quotiens in priuilegio præscribitur*  
*literas dilacerari: & pro dispensatione nihil omni-*  
*no exigere.*

CAP. III.

CAPVT III.

De Dispensationis vi amissa, & de ipsius  
expensis.

Quævisnam modis vim suam amittit Dispensatio? Aut cessa-  
tione causa, aut morte concedentis; nondum effe-  
ctu adimpleto, renunciatione, reuocatione modò non  
fit Dispensatio absolute sine limitatione concessa. Dici-  
tur, *cessatione causa*; quia cessante causa finali, seu moti-  
ua dispensationis, post obtentam ipsam, & nondum  
executioni mandatam, probabile est, etiam ipsam dis-  
pensationem cessare. Delegatusque ad dispensandum,  
non potest validè dispensare, si post indultum sibi con-  
cessum cessauit causa iusta dispensandi. Hinc colligo  
obtinentem dispensationem comedendi carnes tempore  
ieiunij ob infirmitatem, ea cessante teneri à carnibus  
abstinere. Item obtinentem dispensationem in aliqua  
lege humana, vel diuina, peccare tali vtendo dispen-  
tatione, postquam transacta est dispensationis causa.  
*Quid si dubitetur, num causa dispensationis cessauerit?* Præ-  
sumitur non cessasse, & consequenter valida est di-  
spensatio.

*Num dispensatio executioni mandata cessat causa cessante,  
aut potest reuocari?* Minimè. v.g. si iusta de causa concessa  
sit dispensatio ad contrahendum matrimonium & vi  
talis dispensationis sit matrimonium contractum, non  
cessat dispensatio, licèt contracto iam matrimonio ces-  
set causa dispensationis.

*Quidnam efficit dispensationis renunciatio?* Efficit planè,  
vt dispensatio, quæ nondum executioni mandata fuerat,  
vim suam amittat, si renunciatio acceptetur à dispen-  
sante. v.g. Antonius obtinuit dispensationem ducendi  
in matrimonium consanguineam, sed ante contractum  
matrimonium cedit dispensationi, dispensatio cessat, si

184 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
cessio, seu renunciatio dispensationis à dispensante ac-  
ceptetur. Hinc patet, dispensatum posse dispensationi  
renunciare antequam sortiatur effectum. Et qui propo-  
suit non vti dispensatione, aut illi renunciare potest ea  
vti, vel renunciationem reuocare, si eam Superior non-  
dum acceptauit.

123. *Quid de expensis dispensationis?* Dispensatio impetran-  
*Expense* da illius expensis, qui onus illius impetrandæ suis sum-  
*Dispensa-* ptibus in se suscipit. Quando tamen præcessit consen-  
*tionis.* sus tacitus vel expressus impetrandæ dispensationis, &  
alter onus illius impetrandæ suis sumptibus liberaliter  
in se non suscipit, dispensatio communibus expensis  
impetranda est. Et qui obtenta de communi consensu  
dispensatione, iniuste renuit matrimonium contrahere,  
tenetur ad integras dispensationis expensas; qui verò  
iuste renuit absque alterius culpa, tenetur solum ad  
partem expensarum; quod si renuat ob alterius cul-  
pam; videlicet ob iniustam, & iniuriosam alterius  
actionem, ad nullas tenetur expensas: Sed alter, qui  
causam resiliendi dedit, ad integras tenetur. Vnde le-  
quitur, eum, qui resilit à promissione matrimonij ob  
superuenientem in altero contrahente notabilem de-  
formitatem, non teneri integras dispensationis expensas  
soluere, sed tantummodo partem. Vir item qui forni-  
catus est ante promissionem matrimonij, non tenetur ad  
integras expensas, si sponsa, obtenta dispensatione, no-  
lit cum eo contrahere, cognita illius fornicatione; quia  
fornicatio sponsi antecedens promissionem matrimo-  
nij non est sponsæ iniuriosa. Ille denique, cuius culpa  
post matrimonij promissionem contrahitur impedi-  
mentum dirimens, tenetur, si possit, propriis expensis  
dispensationem obtinere, vt sponsalia perficiantur.

C A P V T IV.

Praxis circa præfata ex Societatis

IESV schola.

**D**icitur, num res dispensatione indigeat: quid tunc? Potest Episcopus declarare non egere, vel ad cautelam dispensare ex Azorij doctrina.

124.

De Dispensatione

Cum subest causa dispensandi, debet ne Prælati dispensare? Saa affirmat Prælatum peccare, si potens non dispensat, quando oportet.

ne varij casus.

Sufficit ne ad dispensandum putare Superiorem causam rationabilem esse: an necessum est constare de cause iustificatione? Sufficit putari causam rationabilem esse, vti Saa asserit ex Syluest.

Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 5. præcipit non valere dispensationem Papæ usque ad notitiam Ordinarij: de quam dispensatione intelligendum? De data in foro exteriori, vti cum eodem Saa sentiendum puto.

Extendenda ne potestas dispensandi? Ita planè, quia favorabilis. Vnde extenditur ad causam, in qua eadem ratio, aut maior est. Itaque qui potest in affinitate, poterit in publica honestate, si fortè cum data est facultas errore putabatur esse affinitatis impedimentum, cum esset publicæ honestatis. Non autem ideo absolute qui potest in maius, potest in minus, nisi in casu, vt dictum est, ex præsumpta concedentis voluntate; quod præsumi potest, cum rationabile est. Qui autem potest legitimare natum ex adulterio, potest etiam si sit semel ex incestu natus; in materia enim favorabili veniunt mista sub simplici. Ex eodem Saa.

Dat Prælati licentiam ad id quod non potest sine dispensatione fieri: censetur ne dispensare? Affirmat Saa; quia qui facit scienter id vbi est opus dispensatione, si potest, manifestè censetur dispensare.

In quæisnam potest Episcopus dispensare? In iis, in quibus

M 5

homines





186 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
homines sæpè indigent dispensatione, vt ieiunius, festis;  
& eiusmodi à iure, seu lege Papæ prohibitis: item cum  
materia leuis reputatur.

*In dispensationibus assolet hæc particula, Fortè, apponi:  
quamnam vim præ se fert? Ex stilo Curia perinde est, ac si  
affirmaretur.*

*Quonam modo intelligi debet dispensatio illegitima? Profe-  
ctò si est ad Ordines, non intelligitur de sacris. Si est ad  
beneficium, non intelligitur de Curato. Et si ad Cura-  
tum, non ideo ad dignitatem. Quod si est ad benefi-  
cium prius dispensatus, & postea petit dispensationem  
super pluralitate, debet dicere se illegitimum. Saa  
author.*

*Potest ne Episcopus inconsulto Papa dispensare cum paupe-  
ribus, qui non possunt suis sumptibus Pontificem adire? Po-  
test; quia non tenetur Episcopus (vti Salas asserit) in  
impetrandis huiusmodi dispensationibus suos redditus  
consumere.*

*Dubitat Prælatus, num causa dispensationis sit iusta: potest ne  
dispensare? Affirmo cum Sanchez posse; quia in dubio in  
benigniore partem inclinandum.*

*Peccat ne Superior mortaliter dispensans sine iusta causa in  
lege propria, vel inferioris? Tannerus, & Laymanus sentiunt  
solummodo venialiter peccare, si non adsit scanda-  
lum, & alterius graue incommodum non sequatur.*

*Quidnam dicendum de huiusmodi dispensationem sine iusta  
causa petente? Asserit Suarius tantum venialiter delinque-  
re, in vfu autem dispensationis nullo modo peccare;  
quia est valida.*

*Prælatus inferior bona fide dispensauit, putans causam esse iu-  
stam, quam non fuisse sufficientem postea constat: valida ne di-  
spensatio? Validam omnino Sanchez affirmat. Adiicit, si  
Prælatus inferior dispenset in lege Superioris non præ-  
cognita causa, quæ reuera est sufficiens, & legitima, va-  
lere dispensationem in foro conscientia, donec reuoce-  
tur: vtemque huiusmodi dispensatione, nec veniali-  
ter quidem peccare.*

*Quis*

Quis voluntariè occidit Sacerdotem, & in petenda dispensatione ab irregularitate, solum dicit se hominem occidisse: est ne valida dispensatio? Validam esse cum Sanchez assero.

Est ne subreptitia dispensatio, quando tacetur aliquid, quod secundum Curia stylum est necessariò declarandum? Sanchez sentit subrepticiam esse, Granadus autem contrarium edocet. Adhæserim Sanctio.

Duobus quis impedimentis illigatur: petit solui ab vno, altero non manifestato: est ne valida dispensatio? Probabile existimat Henriquez, Dispensationem validam esse, nec iuste damnari posse qui petit dispensationem super vno impedimento matrimonij, tacito altero postea dispensando. Afferuerim tamen hanc opinionem contra praxim Romanæ Curia esse, ex quo eius probabilitas infirmatur.

Est ne subreptitia dispensatio inter consanguineos, si non fiat mentio de copula habita? Non, quia copula illa expressa non solum non retardaret, sed faciliorem redderet dispensationem. Quod verum est, etiam si in rescripto dicatur ( si copula non fuerit, ) dummodo ea copula non probetur in foro exteriori; quia illa clausula intelligenda est iuxta naturam illius dispensationis. Sed tamen Sanchez asserit iam à contraria sententia minimè recedendum propter stylum Curia.

Obtinuit quis dispensationem ad contrahendum cum consanguinea, sed ea minimè est usus: petens postea aliam dispensationem cum altera consanguinea tenetur ne in secunda dispensatione mentionem facere prioris? Non tenetur auctore Sanchez. Neque inde sequitur duas esse simul validas dispensationes; quia per impetrationem posterioris impetrens priori renunciat.

Erratur nomen personæ petentis dispensationem, aut Diocesis, v. g. posito, Petrus Diocesis Valisolethane, cum sit, Antonius Diocesis Burgensis: est ne valida dispensatio? Salas validam esse asseruit; quia substantia manet immutata.

Data est dispensatio à Confessario habente potestatem sola mente,

*mente, sine vllis verbis: fuit ne valida? Sentio cum Turriano validam fuisse, cum putauit tam ipse, quam poenitens, non esse necessarium verbis expressis fieri.*

*Dubitatur, an causa in dispensatione tacita; vel falso expressa sit finalis, ita ut sine illa non concederetur dispensatio: an verò tantum sit impulsua: praesumendum ne pro finali, an pro impulsua causa? Affero cum Sanchez pro impulsua, & non pro finali praesumendum; quia in fauorem actus iudicandum, ne pereat.*

*Dispensatio ex literis poenitentiae debet ne fieri in Confessione Sacramentali? Debet, ut patet ex clausula nunc addi solita: audita Confessione, non aliter, neque alio modo. Ita Filliutius. Num valeret, quamuis confessio esset inualida? Suarius affirmat, modò id non oriretur ex defectu integritatis circa rem, de qua petitur dispensatio. Colligo Confessarium huiusmodi debere esse ab Ordinario approbatum saltem respectu petentis dispensationem; alias enim non potest eius confessionem audire.*

*In dispensationibus, ponitur in rescripto unica tantum causa falsa quidem: num rescriptum vitiat? Sanchez vitiare iudicat, si illa causa censeatur finalis, & non motiua tantum.*

*Quid si plures cause proponantur, quarum neutra per se censeatur sufficiens ut potè quia ex neutra seorsum assolet concedi dispensatio? Si aliqua illarum falsa est, corrumpere dispensationem Suarius affirmat. Porrò si aliqua illarum ex stylo & consuetudine Curiae sit sufficiens atque vera, etiam si altera quae additur sit falsa, valet dispensatio eodem Authore.*



EXAMEN XVII.

De legibus circa Materiam de Priuilegio  
Bullæ Cruciatæ.

CAPVT PRIMVM.

*De iis, quibus frui datur Bulla priuilegio.*

**C** *U*t hæc Bulla Cruciatæ appellatur? Quia indulta in ea concessa iis assimilantur, quæ concessa sunt in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Christianis militibus, qui suscepto Crucis signo ad recuperandam sanctam terram Christianique nominis, hostes comminuendos proficiscebantur.

125.  
Fruentes  
Bulla.

*Quænam Cruciatæ priuilegia specialiter conceduntur? Hispaniarum Regnis: iis tamen fruuntur non solum incolæ, sed etiam exteri, qui tempore concessionis in Hispaniis negotiandi causa, aut aliquid aliud gerendi versantur: etiam si postea ipsi quouis gentium proficiscebantur. Prohibet tamen Bullæ textus iis esum carniæ, & lacticiniorum extra Hispaniam.*

*Lucrantur ne indulta Bullæ Religiosi ab Ordinarij potestate exempti? Lucrantur, imò possunt absque suorum Præfulum licentia opera iniuncta facere, quæ absque suæ obseruantia detrimento exequi valent, vt ieiunare, preces fundere, &c.*

*Frui ne potest Papa huiusmodi à se concessis indultis? Potest; quia ipse est caput Ecclesiæ, & ideo membrum principale illius fruatur totius corporis commodo.*

*Prælati Regulares tenentur ne non impedire, vt subditi Bullam accipiant? Sub mortali tenentur. Possunt tamen licentiam suam quoad talem, vel talem vsum iuxta constitutionum præscripta aut Religionis priuilegia limitare.*

Bulla

*Bulla quam mercirix de turpi questu sumit, valida ne? Ita planè; quia licèt turpiter sese gerat peccando, non tamen turpiter pretium peccati acquirit.*

*Quid si ex furto sumatur Bulla? Non valet; quia hanc eleemolynam vult Pontifex ex bonis propriis erogari.*

*Qui scit parentem, vel amicum solere quotannis Bullam pro se accipere, potest ne eius frui privilegiis, antequam certior fiat de Bulla suo nomine accepta? Potest; nec opus ad eum remitti Bullam, vti eius fruatur indultis.*

*Quandiu Bulla durat? A publicatione in publicationem. Quid si post tempus anni elapsum, aliamque publicationem emissam, duobus aut tribus diebus velim Bullæ prelapsæ virtute frui? Non repugnarim; parum etiam pro nihilo putatur.*

## C A P V T II.

### *De Privilegio audiendi Sacrum tempore interdicti, & sepeliendi.*

126. **V**irtute Bullæ possum interdicti tempore Sacrum exaudire: *Privilegium audiendi Sacrum.* rogo, num diebus festis teneat hoc privilegio vti? Existimabam aliquando teneri ac si interdictum non adesset, quia cum possum debeo. At crescente Doctorum suffragio iam affirmo minimè teneri; quia non esset privilegium, sed onus, si ex ipso indulto aliqua exurgeret grauatio.

*Privilegium de interdicto extenditur ne ad cessationem à Divinis? Minimè; est enim grauissimum Ecclesiæ flagellum, quod expressandum fuisset; vt posset extendi.*

127. *Privilegium sepulturæ.* Potest qui Bullam accipit, sepultura Ecclesiastica cum moderata pompa beneficio frui: quidnam per moderatam exequiarum pompam intelligendum? Dimidietatem solemnitatis solitæ exposuerim, iuxta personarum qualitatem, & statum. Num circa omnia? Circa omnia quidem, videlicet circa

*Exam. XVII. De Privilegio Bullæ Cruc. 191*  
circa pulsanda cymbala, officium canendum; reliquum  
verò relinquitur Ordinarij arbitrio, si adfuerit. Ita in  
Bullis Pij IV. datis anno 1563, declaratur. Porro circa  
comitatum ciujum nil limitandum cenfeo; nec enim  
facile aut sanguinis, aut amicitijæ poterit quis affectum  
prohibere.

C A P V T III.

*De edendi carnes, ac lacticiniorum vsus  
privilegio.*

**B**ulle virtute possum carnibus vesci de medici vtriusque con-  
silio: si id eodem Quadragesimæ tempore ius commune con-  
cedit, quodnam hoc Cruciatæ indultum? Rodericus indeci-  
sam reliquit quæstionem asserens alibi nil nouæ facul-  
tatis ibi concedi, sed tantum ius commune explicari.  
Nil prorsus dat Cruciatæ. Ego autem cum sanctio assero  
virtute Bullæ concedi facultatem edendi carnes ex  
vtriusque medici licentia non solum quando est causa  
manifesta, quod sine Bulla, imò sine licentia effici po-  
test: nec solum quando est dubia, ad quod licentia illa  
requiritur medici vtriusque, vel saltem corporalis: sed  
etiam quando solum est sufficiens ad petendum di-  
spensationem, non tamen ad edendas carnes sine  
illa.

Mittitur Iubileum præscribens ut lucraturus Indulgentias  
tres dies ieiunet: possunt ne ex privilegio Bullæ hæc ieiunia cum  
lacticiniorum esu impleri? Possunt; quia Iubilæum haud  
strictius ieiunium requirit, quam est Quadragesimale,  
quod cum esu lacticiniorum impletur.

Dispensatus ad esum carniū virtute Bullæ potest ne si-  
mul pisces edere? Potest, uti in materia de ieiunio asserui.

Bulla à lacticiniorum privilegio excipit Regulares omnes, &  
Clericos seculares Presbyteros: num hi Dominicis Quadragesi-  
mæ

128.  
Privile-  
gium eden-  
di carnes.

129.  
Privile-  
gium v-  
tendi la-  
cticiniis.

192 *Moral. Theologia Tract. I. Leges,*  
*me possunt lactitiniis uti?* Ita planè; quia secundum ius commune dies Dominici Quadragesimæ non appellantur Quadragesimales. Addiderim consequenter non egere huiusmodi Sacerdotes, & Regulares Bullæ priuilegio, sicut non egent seculares ipsi, vt lactitiniis vtantur diebus Quatuor temporum, & Vigiliarum, qui quidem dies ieiunij Quadragesimales non sunt.

*Num Nouitij Religionum Bullam habentes possint lactitiniis uti?* Possunt vti seculares; quia Nouitij quoad Religionis onera Religiosi non censentur, sed quoad priuilegia.

---

#### C A P V T I V.

*De Indulgentiarum lucretione, operibusque per Bullam iniunctis, ad eas consequendum.*

130. **L** Egisti apud Bullam Indulgentiarum catalogum; suspensionem item aliarum Indulgentiarum, aliorumve priuilegiorum per Bullam factam durante illius tempore erga eos, qui illam non habent, vidisti: quænam precor Indulgentiæ, quænamve priuilegia per Bullam suspenduntur; ita vt ij qui Bullam non habent minimè fruantur? Non omnes Indulgentiæ, nec priuilegia omnia, sed ex solæ Indulgentiæ, & ea priuilegia sola, quæ per hanc Bullam conceduntur. v.g. similes Indulgentiæ plenariæ: Similia priuilegia sepeliendi Ecclesiastica sepulturâ interdicti tempore & alia huiusmodi suspenduntur: vt soli ij qui Bullam habent eis perfruantur. Nam clausulæ reuocatoriæ generales solùm comprehendunt priuilegia contraria concessionis consecutioni, non verò alia, quæ impedimento tali concessioni non sunt. Et ideo siue similes Indulgentiæ concedantur personis, siue domibus sacris, similia priuilegia suspenduntur per hanc Bullam, præter eas, quæ Superiores Religionum mendicantium

dicantium concedere possunt suis Religiosis tantummodo ex vi suorum priuilegiorum; namque habent simul cum secularibus communia, id est, quibus tam ipsi quàm seculares frui possunt, etiam suspenduntur quoad Regulares.

*Suspenditur ne per Cruciatam gratia, quæ alicui Altari solet adesse animam à Purgatorio liberandi Missæ Sacrificio? Existimo proculdubio suspendi.*

*Dicendum ne idem de priuilegiis in iure communi concessis? Minimè; est enim ad suspendenda, vel reuocanda ea, quæ in iure communi continentur, necessum, vt fiat expressa mentio; id quod etiam de consuetudinibus vsu approbatis affirmo. v. g. possunt Ordinibus minoribus initiati interdicti tēpore Sacrum audire, & Diuinis Officiis adesse de iure communi: etiam sine Cruciatâ poterunt. Item Religionum Superiores ex iure communi habent potestatem literas fraternitatis conferendi, quibus fratres facti per eas frui possunt piis Religiosorum operibus: possunt easdem tempore Bullæ Cruciatæ dare cum effectu participationis.*

*Tempore Cruciatæ durante, Bulla Cænæ expenditur reuocans, & derogans omni priuilegio: derogatur ne priuilegio Cruciatæ absolutionem à casibus in Bulla Cænæ expressis obtinendi? Minimè, ne Pontifex sibi contrarius esse videatur. Nec denique Cruciatæ vis per anni Centesimi Iubileum suspenditur, vt latè probat Henriquez.*

*Per Bullam ad lucracionem Indulgentiarum ieiunium indicitur eisdem diebus, quibus vel ex præcepto Ecclesiastico, vel ex voto teneor ieiunare: rogo, num satisfaciam virique obligationi? satisfacis; quia opus præcipitur à Bulla, vt satisfactorium est; opus verò ad quod teneor ex præcepto, aut voto, adhuc factum ex præcepto, vel voto est satisfactorium.*

*Potest ne ieiunium in aliud opus pium commutari? Potest, & quidem à solo confessario electo, vel Parocho. Ita Bulla expressus contextus.*

*Quanam causa sufficiens ad huiusmodi commutationem?*



194 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
Ea, & sola, quæ hominem talem à non ieiunando ex  
præcepto excusaret,

*Præscribit Bulla, vel Iubileum, ut tribus hebdomadæ diebus, feria scilicet quarta, sexta, & Sabbato ieiunetur, oratio fiat, & eleemosyna: satis ne, si hæc quibusvis hebdomadæ diebus fiant? Satis planè. Ita à Gregorio XIII. Societatis nostræ Patribus declaratum.*

*Quantitatem eleemosynæ assignatam pro Bullæ susceptione vides: qui bis in anno eleemosynam huiusmodi elargitus fuerit, lucrabitur ne bis indulgentias, & fruetur indultis? Maximè; vti ex verbis Bullæ plunibz manifestè constat,*

*Concedit Pontifex, ut qui iuuerit quacumque eleemosyna aliquod pium opus, consequatur tot, vel tot indulgentias: satis ne diuini reuertium in arculam immittere? Communiter affirmant Doctores tantum quemque indulgentiarum lucrari, quantum in æqua Dei æstimatione eleemosynæ valent, cū hominis arbitratui à Pontifice relinquatur. Id quod abnego in Cruciatâ tenere. In ea etenim certa eleemosynæ quantitas præscribitur. Vnde priuilegiis, ac indulgentiis Bullæ æqualiter fruetur, qui assignatam eleemosynam erogauerit. Quod si de alia eleemosyna alij pio operi conferenda sermo sit, tantum proculdubio quis indulgentiarum lucrabitur quantum eleemosynæ valere in Dei conspectu reperiantur.*

*Visitatio denique Ecclesiarum ad indulgentias Cruciatæ consequendas indicitur: quid precor, Ecclesiæ nomine intelligendum est? Quoduis Sacellum Ordinarij erectum auctoritate, Num satis, quinque eiusdem Ecclesiæ altaria visitare? Satis; quia Bulla disiunctiuè loquitur. Itaque Ecclesiæ visitentur, aut quinque eiusdem Ecclesiæ altaria. Quid si vnicum adsit altare? Probabiliter sufficiens, si vnicum quinquies visitandum adorariis.*

*Assignatur ab Episcopo ad Iubileum certa Ecclesia visitanda: possunt ne Clerici aut Religiosi illius Ecclesiæ ibidem indulgentias lucrari? Possunt.*

*Præ multitudine populi Ecclesiam ingredi non valeo: sufficit ne è foris mente & reuerentia Ecclesiam salutare, &*  
*altaria*

altaria inuisere? Sufficit.

Possum ne ad lucrandas indulgentias, ex vno loco quinque altaria, vel vnum si quinque non adsint, visitare? Si quinque sint altaria, sufficit, si ex eodem loco visitentur. Si vnum solummodo, quinquies visitandum. Attamen probabile existimo non esse opus loco dimoueri, sed eodem loco fixum posse illud quinquies visitare, dummodo, qualibet visitatione finita, saltem corpus & caput inclinetur, in distinctæ visitationis signum.

Possum ne sæpius quinque altarium Indulgentiæ eodem die obtineri? Probabile admodum iudico, & quotidie eas lucrari, & toties quoties eadem die, & operi incumbo.

Quanam sunt intentione Ecclesiæ, seu altaria quinque visitanda? Pro lucranda Indulgentia. Hoc autem non tollit, quin minus principaliter ad eam Ecclesiam seu altaria pro alio etiam negotio gerendo, cuius gratia easdem necessariò adirem.

Ad lucrandas Bullæ Indulgentias, requiritur ne, vt Confessarius eas concedat? Ad Indulgentias visitationis Ecclesiæ minimè; ad Indulgentiam plenariam semel in vita, & in mortis articulo rursus consequendam, Confessarij opus requiritur. Debet ille vt forma à Commissario exposita; qua si non vsus fuerit, verè adhuc impertit Indulgentias. Satis dicere: *Concedo tibi omnes gratias, quas concedere possum virtute huius Bullæ*; Quando autem concedenda est pro mortis articulo Indulgentia, salubre consilium, non nisi quando pœnitens delinquere mortaliter nequeat, iuxta morale iudicium; illam concedere; vt absque Purgatorij pœna valeat in cœlum auolare.

Confiteor crimina, vt Indulgentias Bullæ adipiscar; Confessarius me ex malitia non absoluit, lucror ne Indulgentias? Lucraris iuxta perspicuam Bullæ clausulam.

## CAPVT V.

*De eligendo Confessario.*

131. *Priuilegium eligendi Confessarium.* **D***at copiam Bulla idoneum eligendi Confessarium, & approbatum: rogo quoniam talis censendus, ut priuilegio Bullæ eligi possit? Qui vel Parochiale habet beneficium, Curam scilicet animarum: vel qui ab ipso Episcopo fuit idoneus iudicatus. Non loquor de cura animarum, quæ Prælati Religionum commissa est. Quare affirmo hos minimè à secularibus licet domesticis posse eligi in Confessarios absque Ordinarij approbatione. Nec approbati censentur qui publicum gradum Theologicæ vel Canonicæ scientiæ susceperunt, Doctores scilicet, & Licentiati.*

*Repulsam quis idoneus malitia Episcopi passus est: poterit ne in Confessarium eligi? Cum Suario respondeo negatiuè: quia Concilium hanc conditionalem apponit: Nisi sit approbatus, non possit. Et quisnam alias non proclamaret, sibi iniuste negatam approbationem. Vnde non approbo Nauarrum de Regularibus Mendicantibus contrarium iuxta priuilegia Constitutionum suarum affirmantem.*

*Confessarius ne Vallsoletanus approbatus ab Ordinario illius Diœcesis potest virtute Cruciatæ eligi à Burgenfis Metropolis pœnitente? Congregatio Cardinalium resp. 1159. affirmatiuè respondet. Imo circa Regulares eligentes virtute Iubilei confessarium idem declarauit, ut sit approbatus à suomet Episcopo.*

*Quid si Confessarius secularis approbatus in vna Diœcesi, pergat in aliam? Potest ibi eligi virtute Bullæ; quia Congregatio Cardinalium solam Episcopi Confessarij approbationem requirit.*

*Affirmandum ne idem de Regularibus semel ab Ordinario approbatus? Regularis approbatus in vna Diœcesi, haud censetur in omnibus approbatus, ut inibi absque noua Ordinarij*

Ordinarij approbatione audiat confessiones sine aliquo electus priuilegio. At virtute Cruciatæ eligi in Confessarium potest in Diœcesi, in qua vt hospes versatur; quia declaratio Cardinalium solam requirit Ordinarij Confessoris approbationem. Ordinarius verò Regularium quoad hunc effectum est ille, cuius Episcopatus sunt incolæ, licet alibi versentur vt hospites. Quod si mutet domicilium, egere noua approbatione aliqui affirmant. Sed non improbabiliter alij idoneum, & eligibilem fatentur eum, qui semel fuit approbatus, vt etiam mutato domicilio absque Cruciatæ virtute confessiones exaudiat.

*Approbatus sum, vt confessiones oppidi vnius audiam, non aliorum: obstat ne limitatio hæc approbationis, quominus non valeam à quouis totius Diœcesis eligi? Non obstat; quia huiusmodi minister est approbatus, quod solùm Bulla requirit.*

*Num Regulares possint sine licentia Prælatorum, virtute Bullæ eligere Confessarium? Ad peccata mortalia non reseruata possunt. Scio ex vi Decreti Clementis VIII. posse eligi in Confessarium eum, qui ex approbatis, & deputatis à Superiore esset ad Regularium illorum confessiones audiendas. Sed quia Decretum Clementis VIII. innouatum est à Sanctiss. D.N. Urbano VI I I, anno 1630. Iunij 19. Saltem dum viuit Urbanus contrarium non est probabile, nec in praxi tutum. Vnde iuxta idem illud decretum non poterunt Regulares per Bullam Cruciatæ de reseruatis etiam à Confessario domus absolui, vel ab aliis à Superiore designatis, nisi expressè ei copiam ad reseruata crimina largiatur. Porro id priuilegium concessum est Religionum Mendicantium Superioribus nec per Bullam Cruciatam reuocatum. Circa Moniales extat Congregationis Cardinalium declaratio. Addiderim tamen, si alicuius Religionis Prælati nunquam huiusmodi reuocatoria priuilegia suis in Capitulis generalibus, aut Prouincialibus promulgarint (non habentem vim lege reuocatoria Priuilegiorum ante sufficientem*

198 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
promulgationem) & scientes Religiosos virtute Cru-  
ciatæ absolui solitos, tacent, & ideo videntur consen-  
tire, probabile esse quoad praxim Religiosos. Moniales-  
que posse Bullæ priuilegio confessorium ad reseruata  
eligere. Vnde eum, qui bona fide iuxta prædictam sup-  
positionem priuilegio Bullæ vsus esset, non cogere  
confessiones iterare: Secus eos, qui promulgata à Su-  
perioribus reuocatione, minimèque assentientibus, imo  
repugnantibus, punientibus, adhuc frenetici passione,  
somnia priuilegio Bullæ vti tentassent. Benè meus  
doctissimus Magister Petrus Hurtado de Mendoza hanc  
animi ad crimina proni opinionem esse dicebat qui ad  
delinquendi facilitatem captandam rationes non ratio-  
nes quotidie excogitat.

*Quid de Nouitiis? Possunt ne virtute Bullæ Confessorium  
eligere ad absolutionem casus suo Prelato reseruati? Possunt,  
& iuris communis vi idem valent; quia solùm ad ho-  
nores, ad onera minimè, Religiosi censentur.*

*Requiruntur, vt virtute Bullæ possit eligi Confessorius, non so-  
lùm qui approbatus sit, sed qui insuper sit idoneus: rogo, quid-  
nam est idoneum eligi Confessorium? A Pio IV. idoneus cen-  
setur, Non suspensus, non irregularis, non excommu-  
nicatus, non interdictus, nec alio modo à suo impeditus  
Superiore. Attamen affirmo virtute Bullæ posse à te  
in Confessorium Parochum propriam, etiam si excom-  
municatus sit, eligi; quia parochianus petis, quod tuum,  
à Parocho quidem propriæ malitiæ reo. Quod si non  
sit Parochus, licet sponte sua quibuscunq; audiendis  
exponatur, eligendus non est, nisi magna necessitate co-  
gente.*

*Quoties ex vi Bullæ potest penitens ab electo Confes-  
sario absolui? De grauioribus delictis, & censuris in  
Bulla specialiter expressis semel in vita & semel in mor-  
te; de aliis toties potest absolui, quoties Confessurus  
accedat.*

*Quodnam Bullæ vi priuilegium in mortis articulo concedi-  
tur, Confessorium eligendi, si tunc nullum est reseruatum cri-  
men?*

men, quod vel simplex Sacerdos non valeat absoluerè? Etiam in articulo mortis, absolutè loquendo, seruandus est ordo dignitatis, dum necessitas ad aliud non cogit. Et ideo præsentè eo, qui possit absoluerè à reseruatis, non potest absoluerè, qui tali caret potestate. Ex priuilegio autem Bullæ potest quilibet Confessarius approbatus à pœnitente electus etiam qui iuxta ius commune debebat, absoluerè.

Quinam est mortis articulus intelligendus? Aliud est, me auctore, periculum mortis, aliud articulus. Periculum est euentus, in quo iustè timeri potest mortem euenturam, v.g. periculosa nauigatio, prælium committendum. Articulus autem mortis est euentus, in quo quis iam naturaliter desperata salute est ad moriendum proximus, v.g. qui maligna febre teneretur, aut lethali sauciaretur vulnere. Ex vi Bullæ tantùm potest in articulo mortis seu vero, seu præsumpto, absolutio conferri. Attamen quia confessioni gerendæ non est nouissima anxietas accommodata, minimè expectandum ad omnimodam salutis corporeæ desperationem, sed sufficit reputari probabile ægritudinem esse lethalem. Nec aliter mentem Pontificis reor interpretandam, qui pater ægroti salutis animi debet accuratè consulere, Confessione scilicet minimè ad illud prolata diferimen, quando non facilè debet eum pondere exeritur.

Constituitur quis in articulo mortis præsumpto: potest ne Confessarius Indulgentiam sub conditione impertiri; si verè diem tuum obieris, alioquin ad mortis instans tibi à Deo hæc Indulgentia reseruatur? Potest, imò ita fieri iubet Cruciatæ Commissarius.

## CAPVT VI.

*De Peccatis, aliisque, à quibus absolueri potest  
Confessarius per Cruciatam  
electus.*

132.  
Peccato-  
rum ab-  
solutio ex  
Bullâ.

**A** *Quisnam peccatis Confessarius Bullæ virtute electus potest absolueri? A quocumque peccatis, & censuris: censuræ autem quatuor adnumerantur, Excommunicatio, suspensio, irregularitas, interdictum.*

*Quidnam obseruandum circa absolutionem ab excommunicatione? Non tenet absolutio nisi fiat satisfactione partis præmissa. Fit autem si vel rei debitæ (si res ipsa non potest) reddituræ qualitas, vel pignora exhibeantur, vel saltem iuret pœnitens se satisfacturum, cum primùm potuerit. Profectò vnica absolutio ligatum pluribus excommunicationis vinculis expedire potest similibus verbis: Absolutus te ab omnibus, quibus detineris, excommunicationibus. Id quod necessariò præstandum intra ipsam pœnitentiæ Sacramentum, vti legenti Bullam patebit. Vnde non est exterioribus ceremoniis impertienda huiusmodi fori conscientiæ absolutio: nec ad forum exterius valere potest. Potest ne Confessarius virtute Bullæ electus absolueri ligatum nominatim excommunicatione ab homine, quoad conscientiæ forum? Minimè, nec per aliquod aliud priuilegium, nisi prius parti læsæ satisfaciatur. Pars læsa longè abest, iudex qui te excommunicauit nominatim, vult confessione præmissa te Indulgentias Bullæ lucrari, deponis apud fideiussorem fidelem rem debitam: poteris ne à peccatis, excommunicationeque absolui? Potero; quia ea censenda iusta partis voluntas, quantum in se est præstante debitore. Imo si centum deberem aureos, impotens soluere, ab excommunicatione possem liberari faciens quod in me est. Quid si postmodum potens effectus nolles parti læsæ satisfacere?*

satisfacere ? In eadem ne reincideres excommunicationem ? Minimè , non enim est Confessario potestas ad reincidentiam , cum taliter absoluerè circa excommunicandum sit iurisdictionis actus.

*Circa absolutionem à suspensione requiro , num malitiosè ordinatus Presbyter sciens se esse minore vigesimo quinto anno inchoato , virtute Cruciatæ in foro interiori possit absolvi ?* Potest ; quia huiusmodi censura fuit culpabiliter contracta ; de censuris autem culpabiliter contractis valet Bullæ virtute Confessarius electus absoluerè . *Potest ne absolutus illico celebrare ?* Si peruenit iam ad ætatem legitimam potest : si non peruenit , non potest ; manetque , si celebret , irregularis ; quia electus Confessarius potest privilegio Bullæ tollere suspensionem , non tamen in legitima ætate dispensare .

*Circa absolutionem ab irregularitate inquiram , quanam irregularitas appellanda censura ?* Ea sola , quæ oritur ex delicto , & ab ea sola potest Confessarius virtute Bullæ electus absoluerè . Excipe irregularitatem , quæ ab homicidio voluntario siue iusto , siue iniusto exoritur , à qua Bullæ virtute , licet ex delicto exoriat , nullus potest absolvi .

*Circa interdictum queram , quidnam privilegij Pontifex illa concedat in clausula ?* Ut Confessor electus possit virtute Bullæ interdictum nominatim ab homine ( quem non poterat absoluerè nisi iudex qui illum interdixerat , vel alius iudex illo Superior in eiusdem fori iurisdictione ) ab interdicti censura absoluerè , satisfacta prius parte læsa . Potest præterea absoluerè à quouis alio interdicto posito à iure , quouis modo Sedi Apostolicæ reservato . Vnde poenitens possit & Sacramenta suscipere , & Ecclesiasticæ sepulturæ mandari .

*Quidnam de absolutione à cessatione à Divinis dicendum ?* Non dat ad hoc Bulla potestatem ; quia cessatio à divinis censura non est .

*Potest ne virtute Bullæ Cruciatæ dari ab excommunicationibus in Bulla Cœnæ expressis absolutio ?* Potest .



*Denique circa Ecclesiasticâ sepulturam interdictis concessam repente mortis virtute Bullæ Cruciatæ, rogo, queisnam interdictis hæc facultas concedatur? Iis profecto, qui in articulo mortis signa contritionis exhibuere, & minimè erant excommunicati.*

*Prohibet Bulla excommunicatos mortuos repente, aut sine confessione propter defectum Confessarij cum solis signis contritionis sepulturæ Ecclesiasticæ tradi: quonam modo huiusmodi prohibitio intelligenda? Non debent humati sacro in loco, nisi prius ab excommunicatione absoluantur. Quoniam secundum ius commune excommunicatus mortuus cum signis contritionis sine absolutione ab excommunicatione, potest ab ea post mortem absolui ab eo, qui habet iurisdictionem. Post absolutionem autem cadaver donandum Ecclesiæ sepulturæ exhumatum è loco profano; seu à loco sacro, si inibi iacet, non extrahendum. Satisque tunc virgis terram (corpus minimè) cedere.*

---

## CAPVT VII.

### *De votorum commutatione.*

**133.** *Q*uoniam vota possunt virtute Bullæ commutari? Omnia præter tria, Castitatis scilicet, Religionis, & Transmarina. Possunt ne commutari vota Romam, aut Compostellam peregrinandi gratia petendi: quæ Papæ assolent reservari? Bullam. Possunt; quia vbi Textus non excipit, nec debemus excipere.

*Quodnam votum Castitatis non valet Confessarius commutare? Castitatis perpetuæ, & absolutæ. Nam si quis vouit castitatem ad tempus, vel circa vnâ rem veneream, & non alia ad eandem materiam pertinentia. v.g. circa tactus impudicos, seu pollutionem, &c. Non censetur absolute castitatem vouisse; vnde tale votum potest virtute Bullæ commutari; quia non est Papæ reservatum.*

Ad

Ad eandem classẽ refero votum non nubendi, vel suscipiendi Ordinem Sacrum; quia tales non voverunt aliam perfectionem, quàm ei statui adhærere, in quo decens castitatem seruare.

*Mibi hanc pœnam statuo: si tale crimen perpetraverõ, voueo me Iesuitarum Ordinem ingressurum: potest ne Confessarius virtute Bullæ hoc votum pœnale Religionis commutare? Probabile reputo cum Henriquez posse; quia vota pœnalia non sunt in fauorem, & amorem Religionis emissa, sed quodammodo in criminis detestationem, & mœrorem quasi rem gustui contrariam. Tale autem votum Pontifex sibi non referuat, sed quæ amoris & gaudij stimulis ducant exortum.*

*Comprehendit ne exceptio Bullæ etiam votum ingrediendi Religionem militarem D. Ioannis? Ita planè; quia est vera Religio voto solemnĩ castitatis astricta matrimonium ratum dirimente.*

*Quidnam intelligitur sub nomine ultra mare? Votum incundi Ierolymæ peregrinationem.*

*Potest ne Confessarius virtute Bullæ iuramenta facta circa eandem materiam votorum commutare? Potest; quia huiusmodi iuramenta facta Deo, sunt vota iurata.*

*Voueo post Bullam susceptam, potest ne hoc votum virtute Bullæ commutari? Potest proculdubio, sicut absolui, qui post publicatum Iubileum delinquit.*

*Voueo item me nunquam commutationem meorum votorum petiturum: potest ne electus Confessarius, hoc non obstante, mea vota commutare? Potest planè; sed tunc illa vota commutanda in melius.*

*Num vota extra Sacramentum Confessionis commutari valeant? Minimè; nam Bullæ Textus circa hoc manifestè disponit.*

*Sub potestate commutandi vota intelligitur ne dispensandi potestas? Non; quia maior ad dispensandum, quam ad commutandum potestas requiritur.*

## CAPVT VIII.

*De Commissarij Bullæ Cruciatæ potestate.*

134. *Commissario Bullæ potestas dispensandi in irregularitate*  
*addicitur: rogo in quam irregularitate dispenses? In*  
*irregularitate procedente ex delicto occulto tum*  
*quoad forum interius, tum quoad exterius extra confessionem: Confessarius verò non potest nisi quò ad*  
*forum Confessionis. Excipio tamen quatuor irregularitates, in quibus Commissarius dispensare non potest:*  
*Ortam scilicet ex homicidio voluntario, in qua solus*  
*Papa dispensat: Ortam ex Simonia reali, & perfecta: Ortam ex hæresi, seu apostasia à fide quamuis occul-*  
*tissima: illam denique, quam incurrunt malè ad Sa-*  
*culos Ordines promoti, si celebrent, qui quidem à die*  
*fuscepti Ordinis suspensi sunt.*

*Quoniam in gradu affinitatis potest Commissarius dispensare?*  
 In primo & secundo affinitatis ortæ ex fornicatione, in foro tantum interno conscientie, non quidem vt publicè fiat cum ritu nuptiali iuxta ordinem à Tridentino præscriptum: sed vt factum cum tali impedimento & ideo nullum, ratum sit Commissarij dispensatione, & maneat verum. Tunc haud necessum, testes adesse, & Parochum, sed satis nouus vtriusque coniugis consensus occultè inter se declaratus.

*Quid si post occultam Commissarij dispensationem detegatur illud impedimentum?* Pro foro quidem externo recurrendum ad Papam. Non quod coram Deo matrimonium sit nullum, sed quod externo in foro nullum sit iudicandum.

*Quasnam Bullæ conditiones requirit, vt Commissarius possit super hoc dispensare?* Tres. equidem. Prima est, vt ambo contrahentes (aut saltem vnus) bona fide contraxerint. Secunda, vt antea ignorans, certus modò sit talis impedimenti.

*Examen XVII. De Bulla Cruciatâ.* 205  
dimenti. Tertia, vt ex dissolutione matrimonij sequatur  
scandalum.

*Potest ne Commissarius dispensare in affinitate exorta ex co-  
pula fornicaria cum suæ uxoris consanguinea, vel è contra cum  
consanguineo sui mariti ad petendum debitum, quod petere non  
poterat? Ita planè.*

*Quid plura? Potest etiam cum paucis, & debitis perso-  
nis dispensare ad Sacrum faciendum vna hora antè au-  
roram, & post meridiem.*

*Potest ne in irregularitate orta ex delicto publico dispensare?  
Potest in ea scilicet, quam contrahit v.g. excommunicat-  
us, suspensus, aut interdictus celebrando publicè, aut  
interdictum violando. Ita plumbea Bulla,*

---

## C A P V T IX.

*Praxis circa prædicta ex Societatis*

*I E S V Schola.*

**A**nnus elabitur, & secunda Bulla non promulgatur: poterit  
ne quis vti primæ priuilegio, quoad noua promulgetur? Po-  
test. Sanchez sic. Addo ex Henriquez, si ante annum  
elapsum Bulla secunda promulgetur, posse me vti pri-  
uilegio primæ, donec annus absoluat. Contestatur  
Sanchez.

*Amicus sumit Bullam mei nomine, qui iam habeo: pos-  
sum ne illam non acceptare mihi, sed atq; applicare? Possum.  
Henriquez sic. Maiorem difficultatem inuoluit quod ad-  
dit, si Bulla absque culpa amittatur, vel comburatur  
valere quidem, quod verbis Bullæ censeo repugnare.*

*Suspenditur ne Cruciatâ per Bullam Cæne, vel per anni San-  
cti Iubilæum? Negatiuè respondeo cum Salas; quia pri-  
uilegia Cruciatæ per modum contractus concedun-  
tur; quæ autem sic non censentur à Pontifice re-  
pocari.*

*Bulla ne seculari fideli assignata potest Sacerdoti conferri  
priuilegium*

135.  
*Varia de  
Bulle  
valore.*

*privilegium circa lactitiorum usum in ieiunio Quadragesimali ? Potest Presbyter virtute Bullæ communis lactitiniis vesci postquam ad annum septuagesimum accesserit ex Fernandez de Corduba.*

**136.**  
*De Confessario eligendo per Bullam.*

*Circa eligendum Confessarium, Sacerdos electus virtute Bullæ quænam potest exercere munia ? Respondeo ex Vasquez, posse sine licentia Parochi conferre tria Sacramenta Pœnitentiam, Eucharistiam, Extremam vñctionem.*

*Confessarius Regularis ab Episcopo approbatus, sed à suo Prælato prohibitus, est ne eligibilis per Bullam ? Affero cum Salas eligibilem esse, nisi alios habeat defectus ; quia habet potestatem Ordinis, & iurisdictionis. Nec peccabit mortaliter sic absolvens, nisi ex vi suarum constitutionum ad peccatum mortale obligaretur.*

*Potest ne quis per Bullam à casibus reservatis post ipsius susceptionem commissis & à censuris post incursum absolui ? Posse Suarius ait ; quia verba Bullæ sunt generalia, neque restringenda.*

*Potest Confessarius electus à casibus contentis in primo Bullæ Cænæ Canone absolvere ? Ex Suarii doctrina respondeo posse ; quia sola hæresis formalis excipitur. Quare absolui possunt legentes hæreticos libros non tamen animo hæretico. De libris Chiromanticis, & Magicis non est dubium, cum non sint hæretici.*

*Potest ne Confessarius per Bullam absolvere à quocumque casibus Pontifici reservatis non semel tantum, sed toties quoties acciderint ? Posse existimo cum Sanchez, dummodo sint occulti ; quia iam reservati non sunt Pontifici, sed iure ordinario Episcopis competunt. Restrictionem autem illam, semel in vita, & semel in articulo mortis, quoad casus publicos positam esse reor.*

*Quis virtute Bullæ electo Confessario fictè peccata reservata confitetur, ita ut eius confessio sit irrita : rogo num postea possit à quocumque Confessario ab illis absolutionem obtinere, licet virtute Bullæ non eligatur ? Comitohus ait posse ; quia iam censetur reservatio sublata. Vnde qui Superiori de reservatis fictè confitetur, potest à quocumque Confessario*

fessario postmodum absolui rursus ritè proferendo eadem crimina.

*Deliquit quis spe absolutionis virtute Cruciatæ obtinendæ; fruitur ne privilegio illius? Cum Sanchez affirmatiuè respondeo, sicut in Iubilæo.*

*Quis nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor est, vel eius ob aliud crimen excommunicatio est ad forum conscientiosum deducta: potest ne vi Bullæ absolui? Possè, assero cum Sanchez, Attamen huiusmodi absolutio solummodo in conscientie foro valebit. Vnde sic absolutus sese in publico, ad vitandum scandalum, tanquam excommunicatus gerere debet. Poterit tamen priuatim Missam audire, recipere Sacramenta, &c. Sic Sanchez. Id quod auctore me, de censuris ab homine latis est intelligendum, super quas asserit Pontifex non cadere virtute Bullæ in foro exteriori absolutionem. Vnde infero absolutionem virtute Bullæ à Censuris à iure latis etiam in foro exteriori, & iudiciali valere.*

*Dixisti per Cruciatam esse dispensabilem omnem irregularitatem ex delicto prouenientem: est ne hæc sententia probabilis, & in praxi secura? Suarij venia affirmatiuè cum Salas & aliis respondendum puto.*

*Communitio votorum virtute Cruciatæ in quenam opera est faciendæ? In spiritualia, & temporaria subsidia satis est (ait Sanchez) si secundum partem fiat in eleemosynam ad subsidium temporale belli contra infideles. Vota verò pauperum (adiicit Suarius) totaliter in spirituale subsidium commutari possunt.*

*Vouet quis castitatem circa pollutionem v.g. idem votum iuramento obfirmat: potest ne votum firmatum iuramento Bullæ virtute commutari? Possè supra respondi. Rationem nunc ex Suario adicio, quia licet votum & iuramentum sint duo vincula specie diuersa, tamen moraliter, & in ordine ad Deum, & ad virtutem Religionis quasi vnum vinculum censentur.*

*Requiritur ne aliqua iusta causa, vt per priuilegium Bullæ possint vota commutari? Non requiri docet Suarius; quia hoc*

137.

De voto-  
rum cō-  
mutatio-  
ne virtu-  
te Cru-  
ciatæ.

208 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*  
hoc priuilegium confertur cum onere dandi eleemosy-  
nam in belli contra infideles subsidium.

*Potest ne votorum commutatio in minus bonum fieri? Potest;* alioquin nullum esset priuilegium virtute Bullæ indultum.

*Peccaret ne Confessarius, qui sine iusta causa nollit virtute Bullæ vota pœnitentis commutare?* Ita quidem vt Sanchez adfirmat; esset enim infidelis dispensator, quippe qui debet vt priuilegio sibi in fauorem pœnitentis concessio. Adiiicio tamen ex Henriquez Religiosos non peccare, si nolint virtute suorum priuilegiorum commutare vota; quia non obstringuntur vt priuilegiis. Sic ille. Ego autem aptius respondere existimari, quia priuilegium Regularium in ipsorum gratiam indultum est, priuilegium autem Bullæ in gratiam pœnitentis.

*Adstrictus quis voto castitatis transit ad nuptias: potest ne Confessarius virtute Bullæ tale votum commutare vt possit petere debitum?* Ex Sanchez doctrina non posse assero. Potest quidem Episcopus iure speciali, & vt consuetudinis, commutare huiusmodi votum; quod quidem non relaxat simpliciter, sed solùm ex parte, nempe ad petendam debitum; idèoque mortuo coniuge, obligatio voti reuiuiscit.

*Commutato voto in aliquam materiam, potest ne ipsa materia in aliam commutari?* Potest ex Sanchez. Admonuerim tamen in æqualem commutandam, ne sæpè in aliam atque aliam commutato voto ad materię paruitatem deueniatur.

*Quod de votis assertum, est ne de iuramentis intelligendum?* Affirmat Anton. Fern. de Cordoua, modo sine tertij iniuria fiant.

*Uouet quis solo sine utendi Cruciatæ priuilegio: potest ne votum illud commutari?* Posse docet Sanchez, Non sic compositionis Bulla valet ei, qui ex prætextu priuilegij compositionis furatur, aut non recitat; quia expressè ipsa præcauetur in Bulla.

*Votum pœnale posse commutari dixisti: est ne idem de conditionali*

conditionali dicendum? Maximè; imo etiam conditione impleta; solum enim votum absolutum reservationi addictum est. Sic Sanchez.

Potest ne electus Confessarius impertiri virtute Bullæ à censuris absolutioem, aut commutare vota, non annuente penitente? Minimè (vti Suarius affirmat) quia illud priuilegium non est Confessarij, sed penitentis.

Votum castitatis, seu Religionis quis emisit cum intentione obligandi se tantum sub peccato veniali: erit ne votum illud per Bullam commutabile? Affirmatiuè respondeo cum Suario, etiam si emissum fuerit cum intentione se obligandi, vt solus Papa possit commutare; quia tale votum non est ex reseruatis Papæ.

Dixisti votum Religionis Aclitensis non esse commutabile priuilegio Bullæ: rogo, num Religionis D. Iacobi, Calatravæ, & Alcantaræ possit Sanchez posse asserit; quia sub opinione est, an votum huiusmodi sit reseruatum.

Vouet qui sub alterius potestate est, Religionem, vel castitatem: potest tale votum commutari per Bullam? Gutierrez affirmat; quia si pater, Dominus, aut maritus possunt illa vota irritare, poterit Confessarius Bullæ vi, imo Episcopus commutare. Attamen contrarium cum Suario, Sanchez, & aliis asserendum puto, nec vrgere paritatem.

Potest ne Confessarius virtute Bullæ commutare omnia vota, quæ potest Episcopus? Affero ex Sanchez posse commutare vota quæ Episcopus potest vt Episcopus, non autem vt Sedis Apostolicæ Delegatus.

Num commutari possit votum ingrediendi in Religionem arctiorem in votum ingrediendi in laxiorem? Potest; erogata tamen eleemosyna in belli subsidium. Ita Sanchez.

Expendas queso, num sint commutabilia vota nõ petendi debitum, non nubendi, virginitatis, non fornicandi, castitatis conjugalis? Votum non petendi debitum docet Sanchez esse commutabile; quia non est votum integræ castitatis. Idem asserit de voto non nubendi, nisi tale votum  
O fuisset



210 *Moralis Theologiæ Tract. I. Leges,*  
fuiſſet emiſſum in fauorem alterius coniugis id petentis propter filiorum bonum, vel ſimilem cauſam. Item affirmat de virginitatis voto, quando conſtat non eſſe votum caſtitaſis, ſed ſolius integritatis corporis ſeruandæ, quæ conſiſtit in abſtinentia à primo luxuriæ actu, per quem virginitas amittatur. Si tamen qui vouet dubius eſt de ſua intentione, non poteſt vti beneficio Bullæ; quia tale votum cenſetur votum caſtitaſis abſolutum. Porrò de voto non fornicandi, aut non committendi crimen molliſci commutari poſſe *Leſſius* aſſerit; quia non ſunt perfectæ caſtitaſis vota. De caſtitate denique coniugali idem *Sanchez* affirmat.

*Vouet quis diſtinctiue caſtitaſtem, vel Sacros Ordines, cuius quidem voti altera pars reſeruata eſt: poteſt ne qui vouit eligere eam partem, quam poteſt Confeſſarius per Bullam commutare? Suarius & Sanctius* poſſe aſſerunt, etiam ſi hæc pars per accidens alicui facta eſſet impoſſibilis ita vt iam non poſſet implere, niſi partem, quæ eſt reſeruata.

*Alter coniugum votum caſtitaſis emiſit poſt matrimonium conſummatum ſine mutuo conſenſu: poteſt ne virtute Cruciatæ commutari? Poteſt, neque enim eſt omnimodæ caſtitaſis, cum alteri petenti debitum reddere teneatur. Illo tamen matrimonio ſoluto, qui ita vouit, tenetur ſeruare votum ſimplicis caſtitaſis niſi à Pontifice ſummo diſpenſationem obtineat. Ita Sanchez.*

*Scio votum caſtitaſis emiſſum cum licentia alterius coniugis abſque animo ingrediendi Religionem per Bullam eſſe commutabile: rogo ſi vterque communi conſenſu continentiam vouit per modum contractus, ac reciproce conuentionis, poteſt ne illud votum virtute Bullæ commutari? Non poteſt; quia ſic vouentes ſeſe ad votum abſolutæ caſtitaſis obligant. Quid ſi poſtea ſibi mutuo illam renunciationem iuris petendi remitterent, & conferrent iterum ſuorum corporum poteſtatem? Quamuis id ſacilegè contra votum eſſicerent, facerent tamen validè, & iterum reddere tenerentur, & per conſequens vt debite petatur, poſſet votum per Bullam commutari. Sanchez ſic.*

*Vouit*

*Vouit quis Religionem tempore assignato : potest ne commutari per Bullam vt tempore prescripto ex iusta causa non impleatur ?* Potest, dummodo non ita differatur, vt sit periculum, ne non possit impleri; quia hæc commutatio non attingit substantiam voti; sed tantum temporis circumstantiam. Docet Sanchez,

*Vouit quis mendicando Sacrum Sepulchrum adire : potest ne Confessarius commutare per Bullam, vt sine mendicatione pergat ?* Lessius posse asserit; quia mendicatio tantum est qualitas substantiæ voti adiuncta.

*Voueo me votum emissurum castitatis perpetuæ, aut Religionis : rogo sit ne huiusmodi votum commutabile virtute Cruciatæ.* Est equidem; quia (vti Suarius ait) non est votum castitatis, nec Religionis.

*Emisi votum in fauorem tertij, v.g. pauperum, aut Ecclesiæ cuiusdam : potest ne vi Cruciatæ commutari ?* Posse Suarius affirmat, dummodo illud non fuerit acceptatum; quia huiusmodi votum nullum tribuit ius iis, in quorum fauorem fuit emissum, dum non fuit acceptata promissio.


*Iurauit quis se nunquam in posterum alea lusurum; aut si ludat, se certam pecuniam pauperibus daturum, lusi ille : rogo num vi Bullæ possit dispensationem obtinere etiam quoad penam pecuniariam ex iuramenti violatione incursum ?* Potest ex Sanchez doctrina; quia pœna illa non debetur nisi ex vi iuramenti; vnde facultas concessa ad iuramentum commutandum, extenditur etiam ad pœnam.

*Ad commutandum votum in bonum æquale indiget Confessarius Bullæ privilegio ?* Respondeo cum Lessio non indigere, si quidem ex Henriquez id possit pœnitens vel propria autoritate. Sed quoad Henrici placitum non hæreo secutus probabilius commune asserentium Confessarii requiri autoritatem ad voti in æquale bonum commutationem.

*Scio ad commutanda vota etiam in bonum æquale extra casus Bullæ, vel Iubilei opus esse aliqua causa : rogo num causa requiratur ad commutationem ex vi Bullæ ?* Sufficit, petere pœnitentem. Sanchez sic.

*Fieri ne potest commutatio votorum per Cruciatam extra Sacramentalem confessionem?* Sanchez affirmat, sicuti per Iubileum, aut Regularium priuilegium.

*Potest ne Confessarius commutationem votorum in finem anni differre etiam si annus Cruciate transeat, dicendo poenitenti: Commuto tibi votum in id, quod postea iudicauero tibi iniungendum?* Potest planè ex Sanchez assertione; nec peccabit poenitens, si votum illud violauerit, antequam Confessarius quidquam iniungat; quia iam obligatio illius voti est extincta, & translata in aliud, quod poenitens in genere acceptauit.



## E X A M E N XVIII.

Circa Materiam Bullæ Compositionis.

### CAPVT PRIMVM.

*Quæsnam in casibus fieri valeat per Bullam  
Compositio?*

138.  
Compositio per  
Bullam.

**E**xpendi Bullam scio, cuius virtute incerta, & certa quædam debita componuntur. Rogo, quantum debitum per Bullam componatur? Centum millia terunciorum Bullæ beneficio componi valent, ita tamen vt duo millia per vnamquamque Bullam remittantur. Quod si maiori debito quis pergrauetur, debet ad Bullæ Commissariam recurrere. Itaque quinquaginta Bullas potest quislibet debitor assumere.

*Generaliter loquendo quæsnam in casibus possum vtî beneficio Bullæ?* Potest componi de quacumque re illicitè tibi comparata.

*An debet aliqua adesse conditio?* Dux profectò conditiones obseruandæ sunt. Prima, vt ignoretur creditor, cui legitime possit, & debeat fieri restitutio. Secunda, vt debitor non contraxerit debita illa sub prætextu, aut spe Bullæ

Bullæ Compositionis. Hoc enim in casu beneficio Bullæ destitutum integram quantitatem Sanctæ Cruciatæ debet reddere in bellorum subsidium.

*In particulari recenseas res, de quibus possumus per Bullam componi.* In primis de iis, quæ malè sunt partæ ex vltura. 2. De fructibus Beneficiorum, & Ecclesiasticorum prouentuum malè partorum ex Officij Canonici omissione, modò exhibeat Ecclesiæ fabricæ duas dragmas, præter alias duas, quas Cruciatæ impertitus est; fabricæ inquam Ecclesiæ illius, vnde Beneficium exoritur. 3. De medietate legatorum, quæ facta fuerint in solutionem rerum malè acquisitarum, dummodo hæ personæ queis legata huiusmodi facta sunt, per vnus anni terminum fuerint negligentes circa legati acquisitionem, licet certò sciatur, quinam huiusmodi legatarij sint. 4. De legatis olim factis, aut eo tempore, quo Bulla publicatur, quorum legatarij non apparent post adhibitam diligentiam. 5. De pecunia malè acquisita à iudice Ordinario aut delegato ob iniustæ sententiæ prolationem, modò damnum speciale partis læsæ aliàs reparetur. 6. De eo quod Aduocatus accepit, vt iniusta in causa patrocinium exhiberet, modò læsæ parti fiat satis. 7. De re malè acquisita à falso teste, aut accusatore, aut ab eo cuius instigatione facta sit accusatio, modò parti læsæ satisficiant. 8. De iis, quæ Tabelliones, aut Notarij malè acquisierunt, ob munus iniuste exercitatum, modò parti satisfiat. 9. De acquisitis à iudicibus Ecclesiasticis aut secularibus ob exhibitum munus, quod debebant. 10. De iis, quæ Tabelliones aut Notarij acceperunt vltra Officij præscriptionem, modò ignoretur creditor, cui facienda erat restitutio. 11. De iis, quæ quis acceperit, vt roget iustitiam prætermitti à Magistratu, seu iudice, aut vinctus iniuste è carcere dimittatur, modò parti læsæ satisfiat. 12. De re quam quis acceperit fingens se quod non est, aut se pauperem

214 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*  
simulans. 13. De rebus inuentis post sufficientem  
Domini inquisitionem. 14. De iis, quæ apud se quis  
detinet, quorum Dominus, post diligentiam adhi-  
bitam ignoratur. 15. De læsionibus vinearum, hor-  
torum, &c. Factis quidem seu venatione, seu gre-  
ge, dummodo hæreditatum Dominus ignoretur.  
16. De iis, quæ ob delictum turpe mulieres non  
quidem meretrices publicæ, acceperint. 17. De qua-  
cumque re malè parta ob iniquam ponderationem,  
& mensuram.

---

## C A P V T II.

*De nonnullis expositionibus, aut resolutionibus  
ex præfata doctrina.*

139. *Q*uid si creditor certus sit, sed tamen ita distans, ut de-  
bitum ei remitti vix possit? Debitum id reputatur in-  
certum, & potest componi.  
*De Com-  
positione  
per Bullã  
varij ca-  
sus.* An post exhibitam pecuniam assignatam scilicet dupli-  
cem regalem argenteum, ad Bullæ acquisitionem, rema-  
neant omnino debitores ab obligatione debiti expediti? Ita  
planè; quia quemadmodum de bonis inuentis post  
præmissam sufficientem diligentiam ad inueniendum  
Dominum potest Rex disponere Fisco regali addi-  
cens in Reipublicæ utilitatem: ita ex bonis incertis  
iustè aut iniustè acquisitis restitutioni quidem  
obnoxii potest Summus Præsul disponere Cru-  
ciatæ addicens, reputans bonorum Ecclesiæ dispen-  
sator fore ut Domini, si possent, ratum se habere, si-  
gnificarent.

Post factam compositionem virtute Bullæ incerti debi-  
ti certus creditor apparet: est ne valida compositio? Quid-  
quid pauperibus, aut piis locis exhibitum fuit, aut  
sibi bona fide applicarunt, aut virtute Bullæ compo-  
suere

*Examen XVIII. De Bulla Compositionis.* 215  
fueri non tenetur restituere. Ad materiam restitutionis  
recurre.

*Possunt ne exteri vi Bullæ componi?* Possunt si ad  
Hispaniæ Regna accesserint, licet post composi-  
tionem, aut assumptionem Bullæ ad propria mox re-  
currant.

*Rogo, num compositio fructuum, quibus quis fruitur,*  
*ob debitas Canonicas horas, aut paruum Officium Dei-*  
*paræ ob pensionem, locum habeat quotidianis distributio-*  
*bus Cathedralis aut Collegiata Ecclesiæ male partis ob resi-*  
*dentis defectum?* Minime; quia huiusmodi distributio-  
nes inter præsentés diuiduntur; unde creditoris certi  
læsionihaut est locus compositioni. Quod si instite-  
ris parem adesse in Horarum Canonicarum composi-  
tione rationem, siquidem certus Dominus adest, id est  
Ecclesia, cui faciendâ restitutio: respondeo id quod  
iniuste acquiritur ob Horarum Canonicarum omisso-  
nem reddendum esse aut Ecclesiæ, aut pauperibus.  
Ex eo capite, quod possit pauperibus quæsdam exhi-  
beri, quasi incertum debitum reputatur: ex eo au-  
tem iure aliquali quidem quod specialiter posset ha-  
bere Beneficij Ecclesia, iam Pontifex absolutus bono-  
rum Ecclesiæ dispensator imperat duos regales Eccle-  
siæ Beneficij applicari præter alios duos, quos Cruciatæ  
debitor exhibuit.

*Quinam residentia Chori defectus grauis habeatur?* Sua-  
rius asserit à mortali liberari qui vnico die abfuerit,  
vltra quem grauis alter dies defectus reputandus. Ni-  
mis, tanti viri venia, acris sententia à nobis modifcan-  
da est. Asseruerim ex grauium Doctorum placito tres  
dies esse materiæ paruitatem, vltra quos vnus materiam  
grauem constituet, reo culpæ mortalis transgressore,  
cum obligatione restitutionis.

*Potest ne componi qui absque Canonico titulo aut accipit, aut*  
*retinet Beneficium?* Potest quidem, quoad fructuum resti-  
tutionem; non tamen vt absque titulo Beneficium re-  
tinere præsumat.

*Quid de excommunicato, aut suspenso? Potest componi de fructibus, quos dum excommunicatus residentiam omisit, percepit. Profectò componi non possunt qui culpabiliter ab Ecclesiis recedunt, fructuum quidem prædones, quos restituere tenentur.*

*Quid sibi vult, componi quem supra legatorum medietatem? Mihi pauperi centum aurei legati sunt à Petro in restitutionem eorum, quæ malè acquisierat; Antonius hæres Petri mihi soluturus est huiusmodi legatum. Ego quidem per unius anni interstitium centum aureos ab Antonio non petij. Potest Antonius Bullæ beneficio componi super debiti medietate quinquaginta aureos retinendo, post Bullarum eleemosynam exhibitam, dummodo alios quinquaginta aureos mihi impendat creditori. Admonuero ad Commissarium recurrendum, si legatum centum millia terunciorum excedat.*

*Quonammodo intelligendum sit indicem, aut alios iustitie ministros componi posse de iis, quæ ob sententias, aut actiones iniustas iudiciales acquisierunt, si quidem huiusmodi iudices nullam habeant restituendi obligationem? Ex iustitia quidem non tenentur parti restituere, at pauperibus ex plurium sententia tenentur, quorum opinioni adhærens Commissarius, huiusmodi ex Bulla compositionem offert. Quid si pars illud exhibuerit inuita ad vexationis redemptionem? Haud compositioni locus; quia Dominium non fuit iudicibus, aut Ministris translatum, creditorque certus adesse videtur.*

*Quonammodo denique sit intelligendum, mulieres, quæ publicè non meretricantur, posse componi de iis, quæ turpiter acquisierunt? Quæ publica est meretrix restituere minimè tenetur quod ob turpitudinem acquisiuit; imò potest petere, & qui promisit, reddere tenetur *Sæ* authore ex D. Thoma id referente. Profectò quæ occultè operam dant iniquitati licet solutæ sint,*

&c

& corporis libertate fruuntur, haud possunt, ex plurium Doctorum placito acceptum in turpitudinis pretium retinere. Igitur huiusmodi meretrices occultæ possunt vi Bullæ componi, quando certus Dominus non adest. Id quod à fortiori de nuptis, quæ quidem corporis dominium non habent, dicendum est. Denique admonuerim à Commissario Bullæ generali facultatem exhiberi, vt prudens Confessarius circa aliarum rerum compositionem possit arbitrari.



TRACTA  
O S





TRACTATUS SECVNDVS  
 LIBRI THEOLOGIÆ  
 MORALIS,  
 APERIENS SIGILLVM  
 SECVNDVM, SIVE PECCATA:


*Vbi Materie de Peccatis in communi, de septem Peccatis capitalibus, & vniuersis mortalibus delictis, que in particulari à cunctis Fidelibus committi assolent enodantur.*

PROLV SIO.



IGILLO secundo referato, exiuit equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra, & ut inuicem se interficerent, & datus est ei gladius magnus. Pacis ablegatio, vulnera, interitus vndenam ducunt exortum? Annon ex peccati gladio animum vulnerante, corpus comminuent? Ita Ansbertus, & alij huiusce gladij magnitudinem interpretantur. Exhibet igitur huiusce sigilli mysterium Materias de Peccatis in communi, de septem

Septem Vitiis Capitalibus. De vniuersis Peccatis mortalibus, quæ possunt à fideli committi. Sequor doctrinam Suarij, Vasquez, Toleti, Laymani, Filliutij, Ferdinandi de Castro Pallao, Saa, Gasparis Hurtado, & Baldelli.



EXAMEN PRIMVM

Circa Materiam de Peccatis in genere.

CAPVT PRIMVM.

De Originali Peccato.



*Q*uid peccatum Originale, quod in ipsa origine, seu conceptione contrahitur? Est priuatio iustitiæ, & sanctitatis, quæ singulis hominibus debuit inesse ex pacto Dei cum Protoplasto. Hinc fit Originale peccatum mortem animæ esse, cuius vita gratia, & sanctitas est. Vnde patet peccatum Originale concupiscentiam non esse; quia peccatum Originale tollitur per Baptismum, concupiscentia autem post Baptismum permanet. Dicitur autem concupiscentia peccatum à Paulo, quia est radix, & causa peccati.

I.  
Originale  
Peccatū.

Num Originali peccato vera inest ratio peccati? Inest; quia voluntarium est, non quidem voluntate propria, sed aliena, quatenus posterorum voluntas in voluntate Adami continebatur, cum quo Deus pactum iniit, vt si vetitum fructum absumeret, iustitiam in posteros non transmitteret.

Contrahunt ne omnes seu fidelium seu infidelium filij peccatum Originale? Contrahunt, nisi quis speciali priuilegio eximatur, vt Deipara.

Si quis à Deo crearetur, aut ex humana carne decerperetur absque seminali propagatione, contraheret ne Originale peccatum? Non; quia cuncti peccatum Originale ex peccato Adami per seminales generationem contrahimus. Hinc Christus.

210 *Moral. Theologiae Tract. II. Peccata,*  
Christus (præscindendo, quia Dei Filius, & quia ut homo speciali priuilegio si opus fuisset donatus esset) peccati Originalis fuit expertus; quia per lineam virilem, & feminalem generationem non traxit originem ex Adamo.

*Quanam sunt pœna addicti pueri, qui cum solo Originali peccato decedunt?* Subeunt pœnam damni; nec enim beatifica Dei visione frui possunt iræ filij, & Dei inimici. Pœna autem sensus torquendi non sunt, quæ quidem soli actuali crimini præparatur,

---

## C A P V T II.

### *De Peccato actuali, & habituali.*

2. *Actuale Peccatū.* **Q**uidnam *actuale peccatum?* Sic à priori definitio: Est priuatio debitæ rectitudinis. A posteriori autem sic: Dicitur est, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. Siue: Auerfio à Deo, & conuersio ad creaturam. Itaque in omni peccato duo inesse assero, materiale, & formale. Materiale est ipse actus, v.g. actus detractionis: formale autem est priuatio bonitatis, aut rectitudinis, quæ illi actui debetur. Qui enim loqui curat de factis alienis, absque famæ læsione loqui tenetur.

3. *Habituale Peccatum.* *Peccatum habituale quid?* Est quædam labes, seu macula ex peccato actuali relicta. Quam quidem maculam in duobus consistere assero, primo in malitia actus præteriti moraliter perseverante per modum habitus; vel in extrinseca denominatione ab actu præterito nondum per pœnitentiam retractato, vnde homo peccator denominatur. Secundò in priuatione gratiæ habitualis, quæ est nitor animæ, & pulchritudo.

CAPVT III.

De requisitis ad peccatum ubi de eiusdem  
malitia.

**Q**uidnam ad peccatum mortale requiritur? Plena, & expressa aduertentia malitiæ, aut saltem dubium expressum. Nisi enim quis aduertat opus, quod gerit, esse malum, vel mali periculum adnexum habere; aut nisi formaliter dubitet, censetur inuincibili inaduertentia laborare, quæ non minus excusat à peccato, quàm inuincibilis ignorantia; quia ubi non est aduertentia, ibi non adest voluntarium. v.g. sic excusatur à crimine, qui in die ieiunij carnes comedit, nihil cogitans de ieiunio. Item requiritur consensus saltem virtualis; quia nullum est peccatum, nisi sit voluntarium.

4.  
Malitia  
Peccati.

*Dubitat quis, an habuerit consensum sufficientem ad lethale delictum? Has regulas præscribo. Si homo sic se dignoscatur affectum, vt nollet peccatum committere, si maximè posset: vt plurimum iudicandum est, consensum sufficientem ad peccatum mortale non adfuisse. Si dubitans conscientia est adeo timorata, vt peccatis dissentire soleat, vt plurimum iudicandum, plenam aduertentiam, & consensum non exhibuisse, licet aliqua in repellendis tentationibus negligentia laborarit. Cùm autem quis dubitat, an aliquod fecerit, seu voluerit somno correptus, an in vigilia? haud leue iudicium est, plenam aduertentiam, & consensum minimè adfuisse.*

*Datur ne in indiuiduo vllus deliberatus actus, qui sit indifferens? Minimè, sed quemlibet bonum, aut malum esse sentio. Dantur tamen aliqui actus, qui secundùm speciem nec boni sint, nec mali, v.g. actus comedendi, &c. Huiusmodi actus nec sunt boni ex obiecto, neque prohibiti, sed indifferentes.*

*Malitia peccati ac iniuria infiniti Dei, quæ reperitur in peccato, est ne intrinsecè infinita? Non; quia tanta est malitia peccati,*

222 *Moralis Theologia Tract. II. Peccata,*  
peccati, & iniuria Dei, quanta est bonitas actui debita;  
sed bonitas debita actui non est infinita; ergo neque  
malitia, nec Dei offensa. Iniuria quidem Deo irrogata  
gravior est, quam iniuria hominibus facta, non tamen  
infinita; alioquin etiam iniuria, quæ Deo per peccatum  
veniale irrogatur, infinita esset.

---

## C A P V T IV.

### *De Peccato Mortali, & Veniali.*

5. *Veniale Peccatū.* **Q**uid peccatum Mortale, & Veniale? Mortale est, quod  
amicitiam cum Deo dissolvit, & peccatorem reum  
æternæ poenæ constituit. Veniale autem neque Deo homi-  
nem reddit inimicum, nec æterno dignum supplicio;  
sed solummodo temporalia poena dignum, cum facile  
veniam adipiscatur.

*Quotuplex Veniale peccatum? Triplex.* Primò, dicitur ve-  
niale ex suo genere, quod ex sua natura & obiecto, circa  
quod versatur, est leue, ut verbum otiosum, mendacium  
iocosum. Secundò, dicitur Veniale ex imperfectione de-  
liberationis, & advertentiæ, ut percussio ex subita ira.  
Tertiò, dicitur Veniale ex parvitate, seu leuitate mate-  
riæ, ut furtum pomorum, aut nummorum in quantitate  
parua.

*Datur ne parvitas materie in re qualibet.* Minimè. In  
materie enim Simonie, Odij Dei, iuramenti falsi, & Rei  
veneræ materie levis excusans à mortali non assi-  
gnatur.

*An multa Venialia per se & formaliter loquendo vnum mor-  
tale efficiant?* Non; quia peccata venialia innumera non  
priuant hominem gratia Dei. Fateor eum, qui per leuia  
furta ad quantitatem peruenit grauem, mortaliter de-  
linquere; sed non quod plura furta venialia vnum mor-  
tale efficiant, sed quia vltimus furandi actus circa mate-  
riam versatur, quæ continuata cum præcedentibus ad  
peccatum

peccatum mortale sufficiat. Vbi adnoto, quod quotiens materia vltimi peccati venialis potest cum præcedentium materia continuari, vltimum, in quo grauis materia completur, mortale esse, quod alioqui venialem non excederet. Quando verò materia vltimi peccati venialis non potest cum materia præcedentium moraliter continuari, vltimum non esse mortale affirmo; quia singulæ materiæ sunt paræ, & absque morali illigatione disiuictæ remanent.

*Num peccatum veniale possit mortale fieri?* Potest, vel ratione finis moraliter mali; v. g. si mulier suo ornatu aliquem ad concupiscentiam alliceret. Vel ratione plenæ aduertentiæ, cuius defectu graue quodcumque venialis limites non transiliebat. Vel ratione contemptus, aut inobedienciæ. Vel ratione proximi periculi incidendi in lethale. Vel ratione conscientie erroneæ. Vel ratione scandali grauis actiui. Vel per additionem materiæ.

*Quotianmodo Mortale peccatum dignoscam?* Primò, considerando materiam ipsius, vt pote necessariam, ad seruandam Dei, ac proximi charitatem. Deinde legis obligatione, & materiæ grauitate posita, consideranda est actus deliberatio: an interuenerit plenus rationis vsus, nec ne. Tertiò, perpendenda, quæ ex genere suo mortalia sunt. Quæ enim contra Theologicas virtutes, contra Iustitiam, Religionem, Temperantiam præcipuè in materia venerea sunt, mortalia ex genere recensent.

*Num mortale ex genere suo possit veniale reddi?* Potest quidem, tum leuitate materiæ, tum deliberationis plenæ defectu. Non ita veniale ex genere in mortale transformatur.

*Vndenam peccatum mortale, aut veniale aggrauatur?* Hæ circumstantiæ peccatum aggrauant. Maior affectus, vel conatus ad peccatum. Maior scientia, & cognitio criminis. Conditio personæ peccantis, vel in quam, seu cum qua peccatur. Maius damnum quod infertur. Peior finis, qui à delinquente  
intendi

6.  
*Mortale  
Peccatū.*

C A P V T V.

*De Peccatorum numero dignoscendo.*

7.  
*Numerus*  
*Peccato-*  
*rum.*

**Q**uoniam modo peccatorum numerum dignoscet? 1. Non sunt tot numero peccata, quot sunt obiecta circa quæ vnus & idem actus eodem tempore versatur; quia plura obiecta eiusdem rationis vicem vnus gerunt. Quare detrahens, v.g. de pluribus vno actu, vnus tantum peccati detractionis est reus. 2. Tot sunt numero peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti, quando idem nec moraliter, nec formaliter perseuerat. v.g. actus odij, quod Petrus heri commisit, distinctum odium est ab eo, quod hodie fouet. At qui proficiscitur ad furandum, vel occidendum, & in via voluntatem furandi, aut occidendi sæpius repetit, non dicitur plura peccata committere; quia eiusmodi actus interrupti non censentur. 3. Peccata specie distinguuntur per ordinem ad diuersas specie perfectiones, queis priuant; quia priuatio specificatur à forma cuius priuatio est. Non distinguuntur autem per ordinem ad diuersa præcepta, quibus aliquid præcipitur, aut prohibetur ex eodem motiuo; alioquin desiderium rei alienæ & furtum rei alienæ essent peccata specie diuersa: cum alterum septimo, alterum decimo præcepto prohibeatur. Porro si peccata prohibita sint pluribus præceptis ex diuersis motiuis, specie distinguuntur; quia diuersis opponuntur virtutibus, & perfectionibus. v.g. Sacerdos in actum venereum consentiens duo peccata committit: actus enim venereus prohibitus est Sacerdoti diuersis præceptis ex diuerso motiuo conditis, scilicet ex motiuo castitatis, & ex motiuo Religionis, ad quam si stat votum, quod per actum venereum violatur. At qui eo die

die Quadragesimæ, in quem Quatuor tempora inci-  
dunt, non ieiunat, duplici delicto non illigatur; quia  
duo illa præcepta ex eodem motiuo Temperantiæ ieiuni-  
um indicunt. Num duplex peccatum perpetret, qui violat id  
quod cautum ex duplici præcepto ex eodem motiuo, sed vno præ-  
cepto simplici, altero verò adiunctam excommunicationem ha-  
bente? Non; quia excommunicatio per se loquendo, no-  
uam specie malitiam peccato non adiicit.

C A P V T VI.

De Peccato Commissionis, & Omissionis.

**Q**uidnam peccatum Commissionis & Omissionis? Peccatum 8.  
Commissionis actus est qui contra præceptum *Commis-*  
negatiuum fit: Omissionis autem est priuatio actus *isionis, &*  
contra præceptum affirmatiuum. Affirmatiuum, & Nega- *Omissio-*  
tiuum præceptum expende in definitionis intelligentiam. Affir- *nis Pec-*  
matiuum est, quod operationem aliquam præcipit, v.g. *catum.*  
festa coles, ieiunabis, &c. Negatiuum autem, quod cessa-  
tionem ab opere indicit, v.g. non occides, non mœcha-  
beris, &c.

*Differt ne peccatum Commissionis à peccato Omissionis specie, secundum rationem materialem, & formalem? Differt; quia peccatum Omissionis non tantum est priuatio debite rectitudinis; sed etiam substantiæ actus, cui rectitudo debetur: peccatum verò Commissionis est tantum priuatio rectitudinis, quæ actui debetur, & præterea priuat perfectionibus specie diuersis.*

*Quodnam grauius peccatum Commissionis ne, an Omissionis? Commissionis quidem. At Omissio, si culpabilis sit, absque positiuo actu esse non potest, qui causa ipsius per se, vel per accidens existat.*

*Quandonam Omissionis peccatum committitur? Eo tempore, quo implendum est præceptum; quia omissio actus non est culpabilis, nisi eo tempore, quo præceptum*



226 *Moralis Theologiæ Tract. II. Peccata,*  
vrget. *Quid si Omissio eo tempore, quo deest libertas contingat?*  
Ea imputatur ad culpam, quando voluntariè causa da-  
tur, non verò quando ipsa contingit Omissio. v. g. me  
somnia trado, præuidens fore, vt propter somnum Sacro  
die festa non inter sim: tunc delinquo, quando volunta-  
riè illi Omissioni causam exhibeo. *Quid autem si exurgam  
posses, & Sacrum exaudiam?* Iam dans causam Omissioni  
deliquisti, licet accidentaliter non prodierit effectus.

*Idem ne de Commissionis peccato dicendum?* Ita planè. Si  
enim huiusmodi peccatum contingat eo tempore, quo  
in potestate, seu libertate hominis non est, illud vitare,  
tunc imputatur ad culpam, cum data ei fuit voluntariè  
causa, v. g. in ebrietate homicidium.

*Nym actiones, quæ sunt causa Omissionis, male sint, & pecca-  
minosæ?* Sunt quidem; quia peccati causa. v. g. ludus,  
propter quem Sacrum omitto, malus est, & ad culpam  
imputatur. Imo actiones etiam ex natura sua bonæ,  
sunt prauæ, si sint causa Omissionis præcepti, nisi ex  
necessitate fiant. v. g. qui Sacrum omittit, vt domi stu-  
deat, peccat studendo. *Necessariò igitur huiusmodi actiones  
quæ Omissionis cause extiterunt, erunt aperiendæ in confessione.*  
Nego consequentiam, nisi malitiam habeant distinctam  
ab Omissionis crimine.

---

## CAPVT VII.

### *De Peccato Cordis.*

9. *Cordis Peccati.* **S**cio peccatum diuidi in crimina Cordis, Oris, operis, in Spiritu  
sanctum: requiram igitur, *Quidnam Cordis peccatum?* Quod  
in ipsa ratione, & voluntate completur, v. g. Odium Dei,  
Hæresis, Inuidia, Superbia, & similia: eaque specie inter  
se differunt.

*Morosa delectatio quid?* Est ( de simplici delecta-  
tione loquor ) illicitæ rei deliberata complacen-  
tia absque intentione illam opere perficiendi; quæ  
à Theo

à Theologis consensus in delectationem assolet appellari.

*An de se mala delectatio de cogitatione?* Non, secluso morali periculo, & proximo in delectationem rei illicitæ consentiendi. At de re mala delectatio mala ex se; ideóque, si res illa peccatum lethale sit, etiam illius erit lethalis delectatio.

*Permitto in appetitu delectationem sine consensus periculo in delectationem ipsam: an mortaliter delinquam?* Probabile est te grauius non delinquere. Profectò non omnis de re mala delectatio est peccatum. v. g. si positiuo tantùm iure mala sit. Et aliquando etiam si de iure Diuino. v. g. cum de malo tantùm materialiter delectatio habetur.

*Delectatio de re facta in ignorantia est ne delictum?* Non, modò sit de actione naturaliter quodammodo contingente, & naturalibus ex causis. At si ex causa voluntaria, quamuis ignorantia, vel rationis defectu excusetur, tutius equidem à talibus cogitationibus abstinere.

*Coniugati ne delectantur licitè de actu coniugati?* Ita planè. Nec ideo viduæ possunt de actu præterito delectari, sicuti nec sponsi de futuro; quia hîc Matrimonium non adest: ibi autem iam dissolutum est.

*Est ne peccatum delectatio de re mala sub conditione?* Peccatum non erit, si conditio illa tollit ab actu malitiam, v. g. comedere carnes in Quadragesima, si vetitum non esset. At si non tollat, peccatum est, v. g. furari, nisi esset infernus; quia nunquam non furtum malum est.

*Morosa delectationes in Veneris materia sunt ne omnes eiusdem speciei?* Speculatiuè probabilis est sententia affirmans. In præxi autem diuersæ speciei esse affirmarim. Verùm si morosa delectatio de coniugata. v. g. tantùm esset de ea veluti de scemina non sua, aut de pulchra, abstracto ad coniugium respectu fornicationis simplicis affectus esset.

*Cordis desideria sunt ne variis speciebus addicenda?* Sunt quidem, vt superbia, inobedientia, contemptus, odium, inuidia, ira, scandalû. Certè generaliter tantùm accepta

228 *Moralis Theologiæ Tract. II. Peccata,*  
neque specialia peccata sunt, neque necessariò in confessione aperienda. At accepta specialiter diuersa specie peccata efficiunt, ideòque exprimi necessariò debent. Multiplicantur autem per moralem interruptionem, quæ tunc accidit, cum siue contraria voluntas interuenit, siue voluntariè cessatur ab actu.

*Memorasti peccatum ex contemptu: rogo, num sit tale peccatum? Ita quidem, si ideo legem, aut præceptum violes, quia non vis legi esse subiectus, aut legislatrici potestati. Contemptus planè continet peccatum specialis inobedienciæ; quare qui legem, aut præceptum ita transgreditur, debet contemptus circumstantiam in Confessione explicare. Porrò omnis inobediencia ex contemptu formali, est peccatum lethale adedò, vt etiam ea negligere ex formali contemptu, quæ solum in consilio sunt, puta Sacramentum extremæ vnctionis, aquæ benedictæ asperfusionem, &c. sit graue commissum. Contemptus autem materialis siue ipsius operis, v.g. si quis regulam aut præceptum transgrediatur, quia parui momenti æstimat, est culpa venialis. Rogo, num frequens relapsus, seu consuetudo peccandi contemptum contineat? Propriè non continet, sed solum interpretatiuè secundum externi fori præsumptionem.*

*Ad cordis peccata ea quæ in Spiritum sanctum committi dicuntur, reduci videntur: ideo quaesierim, quoniam in Spiritum sanctum peccata adnumerantur? Sex quidem, Desperatio scilicet, Præsumptio, Impœnitentia, Obstinatio, Impugnatio veritatis agnitæ, & fraternæ charitatis inuidencia. His adiicias odium Dei, quod grauissimum in Spiritum sanctum crimen est. Cur in Spiritum sanctum appellantur peccata; Quia Spiritui sancto aditum præcludunt, dum scilicet media, aut dispositiones (puta Spem, Timorem, & Dolorem) à se remouent, sine quibus secundum ordinariam legem Spiritus sanctus non iustificat peccatorem. Quamobrem huiusmodi peccata irremissibilia dicuntur, quod difficilis, & rara sit eorum remissio, licet non absolutè impossibilis.*

C A P V T VIII.

De Peccatis Oris.

**Q**uid Oris delictum? Quod ore perpetratur, seu IO.  
lingua. Oris Pec-  
catum.

Eius species recenset. Tribus modis specie multiplican-  
tur. Primò ex obiectis specie distinctis. Secundò ex eo,  
quod vnus idemque sermo ad obiecta specie diuersa re-  
feratur. Tertio ex eo quòd licet ad vnum obiectum idem  
specie sermo terminetur, attamen diuersa specie circun-  
stantia affectum est.

Aperias autem quomammodo numero multiplicentur? Ex  
multiplicatione sermonis moraliter interrupti, & ex  
morali distinctione numerica obiectorum. v.g. maledi-  
cens Deo & duodecim Apostolis, duo tantum numero  
peccata committit; quia Deus & Apostoli cuncti du-  
plex tantum distinctum specie obiectum constituunt.  
Item eadem ratione imprecans familiae mortem, vnum  
solummodo intendit homicidium.

C A P V T IX.

De Peccatis Operis.

**P**eccati Operis species, & numerum distingue. Operis crimi- II.  
na specie differunt ex diuersis obiectis. Numero au- Operis  
tem multiplicatur, tum operis multiplicatione mora- Peccati.  
liter interrupti, tum obiectorum multitudine, quæ mor-  
raliter diuersa numero peccata constituunt. Ex inten-  
tione tamen ad vnum multa opera peccatum vnicum  
efficiunt. Num peccatum operis ex circumstantiis augetur? Ita  
quidem, tum in eadem specie, tum etiam in diuersa.

Qui ob venia fiduciam recipiende per confes-  
sionem delinquit, peccat ne grauius? Non videtur gra-  
uius

230 *Moralis Theologiae Tract. II. Peccata,*  
uius peccare, nisi iustitiæ contemptus adiace-  
retur.

*Qui alium ad peccandum inducit peccat ne semper speciali  
scandalicrimine? Non, nisi ideo inducat, ut eum in mor-  
tale labi efficiat. Peccat tamen alio peccato numero di-  
stincto. Aliquando etiam grauius tantum peccat, ut in  
his peccatis accidit, in quibus necessariò sociorum  
concurfus requiritur.*

---

## C A P V T X.

### *De Peccati effectibus.*

12.  
*Effectus  
Peccati.*

**Q**uam Peccati effectus recensendi? Primus est macula,  
quam peccatum actuale infert, & in qua peccatum  
habituale consistit. Secundus est reatus poenæ, seu æter-  
næ, seu temporalis: seu damni, seu sensus. Tertius est  
diminutio naturalis inclinationis ad virtutem, quate-  
nus voluntas acquisito per peccatum habitu vitioso, fa-  
cilis ad malum defertur, ad quod habitus vitiosus in-  
clinat.

*Num vnum peccatum alterius poena esse possit? Per se &  
formaliter consideratum, quatenus culpam dicit, non  
potest, ita ut Deus velit hominem ob culpam præceden-  
tem in aliud prolabi delictum; quia peccatum non po-  
test à Deo intendi. Si verò peccatum spectetur secun-  
dum eius accidentia, ut ratione infamiæ, vel tristitiæ, vel  
subtractionis gratiæ, vnum peccatum alterius poena  
potest existere.*

---

## C A P V T XI.

### *De causis à Peccato excusantibus.*

13.  
*Excusatio  
à Pecca-  
to.*

**A**N aliquæ causæ excusantes à crimine? Sunt quidem,  
quas ad quatuor classes adduco. 1. Dispensatio  
validè

validè obtenta. 2. Impotentia phylica, aut moralis.  
3. Vis, aut metus, seu proximum grauis damni periculum. 4. Ignorantia inuincibilis, & inaduertentia.

*Esto quod impotentia excuset à peccato: requiro, num qui non possum totum præceptum implere, teneat adimplere partem, quam possum? Teneris, modò sit pars notabilis, & à Superiore censetur intenta. v.g. qui non potest tota Quadragesima ieiunare, tenetur iis saltem diebus, quibus commoda vititur valetudine; quia hoc à Superiore arbitramur intentum. Verùm non valentes totum Officium Canonice recitare, ad Horas minores recitandas non obligarem; quia id minimè à Superiore intentum existimo.*

*Quidnam de vi, aut metu? Vis absoluta, per quam homo inuitus omninò facere aliquid prohibitum cogitur, excusat à peccato; quia nullum est crimen nisi voluntarium. Item metus, seu probabile grauis damni periculum, regulariter loquendo, à transgressione legis humanæ excusat, & consequenter à delicto; quia lex humana non obligat strictius, quàm lex diuina & naturalis: multæ autem diuinæ & naturales leges sub mortali in periculo grauis mali non obligant, ut in Confessione patet, quæ licet iure diuino sit ante Eucharistiæ sumptionem præmittenda, non autem obligat simpliciter in omnibus casibus: ergo metus aut periculum grauis damni à transgressione legis humanæ excusat, & consequenter à peccato.*

*An ignorantia inuincibilis tam iuris, quàm facti à peccato excuset? Excusat; quia cum hac ignorantia non stat voluntarium: omne enim voluntarium supponit cognitionem. Ignorantia verò inuincibilis pœnæ non excusat à peccato; quia non tollit voluntarium, neque aduertentiam sufficientem ad legem, & prohibitionem.*


*Quenam igitur ignorantia excusabit à culpa? Antecedens excusat, non consequens. Quæ verò comitans dicitur, aliquo pacto excusat, cum ab actu rationem auferat voluntarij.*

*Quoniam modo ignorantia inuincibilis, aut probabilis, quæ sola excusat, est dignoscenda? Has regulas præscribo. 1. Quando homo operans nil prorsus dubitat de eo quod agit, ignorantia est inuoluntaria, ac probabilis. 2. Idem iudicium de eo, qui adhibito sufficienti studio, scientiam acquirere non valuit. 3. Quando quis rem aliquam nescit, quam scire tenetur, sed nunquam de ea cogitauit, ignorantia est probabilis. 4. Qui dubitat, aut scit, se ad aliquid teneri, si adhibita morali diligentia, adhuc ignoret, ignorantia erit inuincibilis.*

*Quidnam de inaduertentia dicendum? Ea, quæ saltem est in apprehensione excusat à crimine; si enim in apprehensione aduertentia non est, peccatum esse non potest.*

*Denique exponendum, quænam Peccati causa? Malitia quidem. Ea autem tunc est, quando nec ignorantia adest ex parte intellectus, nec passio ex parte appetitus.*

*Num Dæmon causa peccati dici possit? Maximè; quia humores humani corporis localiter mouere potest, eos applicando ea ratione, ut corpus alteretur, hominèmq; ad vitiosos motus impellat.*



## EXAMEN II.

Circa Materiam de septem Peccatis  
Capitalibus.

### CAPVT PRIMVM.

*De Superbia.*

14.  
*Superbia.*

**Q**uotnam vulgò capitalia crimina numerantur? Septem, scilicet Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia, Acedia.

*Quare Peccata hæc Capitalia vocitantur? Quoniam ab his omnia mortalia crimina exoriuntur.*

*Sunt ne semper mortalia? Minimè, sed quando simul aliquod*

*Examen II. De Peccatis Capitalibus. 233*

aliquod præceptum Decalogi, aut Ecclesiæ in re graui violatur. Appellantur autem mortalia, quia mortalium radices.

*Quidnam superbia?* Est appetitus propriæ celsitudinis peruersè voluntarius. Actus autem proprius huius appetitus est sua minora bona naturalia vel supernaturalia bonis naturalibus, aut supernaturalibus proximi præponere.

*Quandonam appetitus hic grauius vulnerat conscientiam?* Quando cum Dei contemptu copulatur, & tunc omnium peccatorum superat grauitatem. Cùm autem non hæret Dei, aut legis contemptui, superbia quidem est, sed aliquando venialis. *Exprime quandonam superbia cum Dei contemptu admisceatur?* Quando quod à Deo habet à se ipso habere existimat: Aut vult ab aliis tanquam à se ipso bona habens existimari: Aut velle à se ipso, & non à Deo bona sua possidere. Aut dolet, quod huiusmodi bona à Deo, & non à se ipso receperit: Aut cum quis existimat quidem se bona habere à Deo, sed non gratis ei obuenisse, verùm ex iustitia sibi debita propter ieiunia, elemosynas, &c. Item cùm huiusmodi appetitus, ambitio, aut præsumptio cum notabili proximi contemptu existit, grauius etiam animus vulneratur. Ille autem notabiliter proximum contemnit, qui superbiendo despicit sordidum proximi statum cogitatione, ore, opere per contumeliam cum intentione vilipendij, complacendo sibi de misera proximi fortuna.

*Quidnam est Vana gloria?* Appetitus gloriæ inordinatus. Nempe inordinatè appetere propriæ excellentiæ cum laude immerita manifestationem. *Quodnam peccatum Vana gloria?* Ex genere suo tantùm veniale; quia per hoc vitium intra suos terminos contentum haud grauis Deo seu proximo irrogatur iniuria.

*Vana gloriæ species seu filias enumera.* Septem sunt, Iactantia, inuentio nouitatum, Hypocrisis, Pertinacia, Discordia, Contentio, Inobedientia.



*Iactantia quid?* Declaratio inordinata propriæ excellentiæ. Dum scilicet me iacto de crimine, aut cum proximi iniuria, seu non ad bonum finem mea bona narrarim. Profectò iactantia de opere nunquam à me factò, sine graui Dei irreuerentia, aut sine graui proximi iniuria, venialis culpa est. Tunc autem ad mortalem accederet, quando grauius aut Dei reuerentia læderetur, aut proximi fama. Fit equidem cum graui Dei irreuerentia, cum in morem Regis Tyri, dixerit fatuus: *Ego sum Deus*. Proximus autem graui iniuria afficitur, quando quis cum Phariseo iactat: *Non sum sicut ille Publicanus*. Ratio est, quia iactantia eiusmodi de re tam graui graue scandalum ingerit audienti, & est graue mendacium. Porrò cum quis se iactat flagitium graue gessisse, si scandalum ingeratur, graue delictum est; si autem non addit scandalum occasio, cum de tali iactantia operis, aut facti aut conficti non admiscetur complacentia, vel voluntas faciendi veniale est: Si autem admiscetur, est mortale.

*Quidnam inuentio nouitatum?* Manifestatio propriæ excellentiæ per facta quædam. Puta nouas opiniones, nouas vestes exponere. Quæ quidem inuentio, nisi aliunde grauius vitietur, ex se venialis tantum culpa est; quia communiter huiusmodi inuentione quis solummodo gessit aliorum laudem comparare.

*De Hypocrisis differe.* Est manifestatio propriæ excellentiæ per facta ficta, & falsa. Duplex quidem Hypocrisis; vna, qua quis intus vult esse malus, sed vult apparere aliis bonus; altera, qua quis vult externè apparere virtuosus, cum non sit. Profectò Hypocrisis semper est peccatum; quia semper mendacium perniciosum est. Mortale quidem erit, si intus vult esse malus, & foris tantum bonus apparere: veniale autem, si aliqua præster exterius, vt sanctus appareat.

*Pertinaciam expende.* Est ostentatio inordinata proprii iudicij. Graue quidem peccatum, quando contra Dei honorem in rebus fidei notabiliter militat; vel proximo graue

grauē infert nocumentum. Porrò in aliis leue peccatum erit Pertinacia.

*Discordia quidnam?* Voluntatum est contrarietas. Mortalis erit huiusmodi cordis diuersitas, in graui Dei irreuerentia, vel proximi notabili detrimento. Aliter aut est tantum leuis culpa, aut nulla.

*Perge ad Contentionem.* Est pugna verbis, seu scriptis contra perspicuam veritatem. Cùm veritas impugnetur, solo animo disputandi, vt veritas clarior illuceat, nullum peccatum est, modo lege aliqua non sit prohibitum, huiusmodi veritatem afferri in disceptationem. At impugnare perspicuam veritatem animo impugnandi, & contradicendi, est peccatum aut graue, aut leue iuxta materiæ grauitatem, aut leuitatem.

*Inobedientiam expende.* Est inordinata reuētia mandati Superioris. Adicit *Toletus* non de quacunque inobedientia loquendum, sed de ea, quæ est præcepti transgressio, quia præcipitur. Vt enim obedientia est impletio præcepti, quia præcipitur: ita è contrario inobedientia est transgressio præcepti, quia præcipitur. Quæ quidem inobedientia cum contemptus sit, semper peccatum mortale est.

*Scio ab aliquibus plures adhuc filias Vanæ gloriæ adscribi, nempe Curiositatem, Ambitionem, & Præsumptionem: (dixerim duas proximas non filias, sed matres aptius vocitari.) Quidnam igitur de Curiositate?* Est appetitus sciendi inordinatus. Ad minimum semper est veniale peccatum. Contingit autem mortale esse cum ex curiosa scientia damnum graue proximo exoritur. v.g. si secretum graue referetur: Aut si cum proprio damno copulatur. v.g. dum Theologiæ ignarus, velis res fidei difficillimas cognoscere cum periculo de rebus certissimis dubitandi.

*Ambitionem euolue.* Est appetitus inordinatus dignitatum & honorum. Ex genere veniale tantum, ex circumstantia externa mortale delictum, cum appetis dignitatem seu ad damna Reipublicæ, seu ad profusiores delinquendi licentiam.

*Quidam*

*Quidnam denique de Præsumptione dicendum?* Est appetitus ostendendi se illustrem per opera grandia supra propriam vim. Delinquis mortaliter, si cum graui aliorum periculo præsumis. v. g. si artis medicæ ignarus ægrotos curandos assumeres: aut ignorans iura, causas susciperes patrocinandas: aut Theologiam moralem non callens, te audiendis confessionibus exponeres: aut imperitus suggestum concionaturus ascenderes.

---

## C A P V T II.

### *De Auaritia.*

17.  
*Auaritia  
& eius  
proles.]*

*Quidnam est Auaritia?* Inordinatus diuitiarum amor. Inordinatus quidem amor culpabilis est; non ordinatus, siue ad rectum finem directus. Certè in optandis diuitiis inordinatio nisi coniuncta sit cum iniustitia retinendi, vel auferendi alienum Domino inuito: vel cum duritia non subueniendi egeno grauius inopia laboranti, solummodo venialis est culpa. Secus si aliquod præceptum violaueris nimio diuitiarum affectu. v. g. si Sacrum diem non obserues.

*Auaritia prolem enumera.* Septem sunt filix eius, Animi inquietudo, Violentia, Fallacia, Periurium, Fraus, Proditio, & Obduratio cordis.

*Animi inquietudinem expende.* Nimia est sollicitudo, vt diuitix acquirantur, sæpe de iis etiam extra tempus cogitando. Si huiusmodi sollicitudo te à legis custodia repellit, in re graui, graue admisisti delictum: si autem legem leuiter transgrediaris, peccato subiaces veniali.

*Violentia quid?* Vim alicui inferre, ad diuitiarum acquisitionem. Si iniuria sit grauis, graue quidem peccatum est; leuis autem iniuria veniali culpa foedat conscientiam.

*Dic de Fallacia.* Est verbis mendacibus fraudem agere, ad

ad acquirenda bona. Ex graui fallacia grauis culpa resultat; leuis autem de leui deceptione.

*Periurium quid?* Est addere mendacio iuramentum. Nunquam non periurium grauissimum delictum est, de quo supra.

*Fraudem expone.* Est reipsa aliquid per dolum auferre. Si vendidit quis pluris iusto pretio, aut minoris emerit, interueniente fraude, grauius aut leuius delinquit iuxta materiam quantitatem: Si vendidit vnam rem pro alia ut ignorante vendente accepit: Si nummum adulterinum alteri obrusit, etiam si ipsemet ab alio bona fide recepisset: fraus proculdubio grauis aut leuis iuxta materiam reputatur.

*Quid est Proditio?* Alium ob pecuniam in discrimen adducere, siue aliis laedendum offerre, vel iniuste accusare. Vbi equidem similiter grauis aut leuis culpa materiam sequitur grauitatem, aut leuitatem.

*Quidnam denique cordis obduratio?* Durum sese ob pecuniam amorem erga egenos ostendere. Num pauperibus compassus fueris? Num eos obiurgaueris? Num ab aliis dure exegeris debita, cum non essent soluendo? Alibi de Eleemosynae obligatione periculum fiet.

*Quodnam vitium Auaritiae opponitur?* Prodigalitas, cuius affectu assolet quis bona inutiliter lusibus, ac comotationibus consumere, parentum diuitias male expendere.

---

### CAPVT III.

#### De Luxuria.

**Q**uidnam Luxuriae nomen significet? Proprie lautitiam conuiuiorum, & in vestibus mollitudinem: *Luxuria.* 18.  
seu herbarum vbertatem, feracitatemque arborum ex glebae, terrarumque pinguedine: siue animantium lasciuam, qua tripudiant pecudes propter alimenti abundantiam

238 *Moralis Theologia Tract. II. Peccata,*  
abundantiam. In præfenti sumitur pro appetitu, seu  
actu libidinosæ voluptatis humanæ.

19. *Filie Lu-  
xurie  
oçto.* *Quotnam Luxurici filie?* Oçto, scilicet Cæcitas men-  
tis, Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, Amor  
sui, Odium Dei, Amor huius mundi, & Horror futuri  
seculi.

*De Mentis cecitate differe.* Cæcitas mentis adest, cum  
quis aded addictus est turpitudini, vt mens de coelesti-  
bus minimè cogitet.

*Præcipitatio quid?* Ex eadem causa homo sine consilio  
operatur, media non conuenientia exhibens.

*Inconsideratio quid est?* In modo delinquere inconfi-  
deratè, agens quod statum, aut personam minimè  
deceat.

*Inconstantia autem?* Est in bono proposito ex eodem  
affectu voluptatum non persistere: aut nunc promit-  
tere emendationem, & rursus mox cadere: aut ex ve-  
locitate in voluptatem velociter currere.

*Amorem sui describe.* Ille se amat, qui ob corporis vo-  
luptates se ipsam finem actionum suarum, & studiorum  
proponit, non Deum.

*Odium Dei quid?* Lascius assolet à rebus diuinis ab-  
horrere: imo à Deo, quia carnales prohibet, & punit  
voluptates.

*De præfentis vitæ Affectu?* Amor deliciarum ita ani-  
mum solet afficere, vt quandoque quis gloriæ renun-  
ciet, si frui ei præfenti seculo daretur.

*Quid denique de futuri seculi Horrore?* Voluptati addi-  
ctus nimis mortem timet, raro de ipsa lubet cogitare,  
sæpè malis artibus ad vitæ propagationem vitur, po-  
tiusque in medicina quam in Deo fiduciam con-  
stituit.

*Num oçto prædicti affectus lethalia crimina?* Profectò ex  
his ad intellectum pertinent quatuor actus. Intellectus  
enim fit ineptus ad considerationem finis boni, dum  
rapitur ad cogitanda quæ carnis faciunt delectatio-  
nem; & hæc est cæcitas mentis. Rursus fit ineptus ad  
consul

consultandum de mediis ad finem bonum, & est Præcipitatio, qua homo non curat uti in bonis consilio, ex mentis occupatione in carnalibus. Cæterum remittitur iudicium, dum non curat, quale sit, quod faciat, & est inconsideratio. Fit hinc debilissimus homo ad exequenda bona apprehensa, & cognita, nec vires habent in eo proposita bona, & est inconstantia. Quæ quidem contra quatuor Prudentiæ actus militare videntur. Tunc igitur actus hi sunt mortales, quâdo finis ultimus in creatura ponitur: aut quando ex inconsideratione, ac præcipitatione aliquod diuinum mandatum prætermittitur. Quatuor reliqui actus ad voluntatem attinent. Rapitur hæc ad volendum quod sensus amat, & finis bonus peruertitur, unde Amor sui exurgit, homine amante, quæ sibi sunt delectabilia; & consequenter Odium Dei ingeneratur, id est, quædam auersio animi à Deo, quæ si perueniat ad plenum consensum, ut odio Deus habeatur, est peccatum grauissimum. Rursum rapitur voluntas erga media, ut ea velit, quæ ad carnis delectationem ordinantur, insurgente hinc Amore seculi huius, & Horrore futuri. Hi quidem actus, si plenus consensus voluntatis, mortalia sunt; si verò imperfecti quidam actus, & indeliberati, venialia commissa.

---

C A P V T IV.

*De Ira.*

**Q**uid est Ira? Appetitus vindictæ inordinatus. Im- 20.  
propriè autem appellatur Ira passio appetitus Ira.  
irascibilis, quæ accidit ex bilis excitatione, & furore  
contra proximum, quæ quidem solum in vociferationem  
absque alicuius damni voluntate prorumpit.

Quam graue crimen Ira propriè sumpta? Ex genere suo  
mortale, cum inordinatio appetitus circa grauem vindictam  
sumendam effrænatur. At hæc inordinatio grauis  
crit,

240 *Moralis Theologia, Tract. II. Peccata,*  
erit, quando appetimus immeritum grauer punire: seu  
punire eum super quem non habemus auctoritatem: seu  
punire aliquem non ex iustitiæ zelo, sed ex vindicta, aut  
gravi odio, & desiderio damnum inferendi. Ratio est,  
quia tunc Deo grauis irrogatur iniuria clamanti: *Mibi*  
*vindicta; & proximo graue damnum infertur.*

*Improprie autem sumpta quantum est crimen? Nullum qui-*  
*dem secundum se; quia est quædam passio naturalis*  
*naturali impotentia exorta ex naturali obiecto, qua in*  
*re animantia referimus.*

21.  
*Malei-*  
*ditiones.*

*Quando Ira improprie sumpta prorumpit in Maledictiones,*  
*quodnam peccatum est? Si Maledictiones ore tenus profe-*  
*rantur absque desiderio executionis in proximo, in*  
*quem iactantur: neque respectu personarum sint gra-*  
*uiter contumeliosæ: illa ira impropria solum est pec-*  
*catum veniale. Qui tamen ex animo deliberato alium,*  
*vel se ipsum maledicit, imprecando sibi, aut alteri gra-*  
*ue malum sub ratione mali, cum desiderio, quod eue-*  
*niat, grauer peccat Dixi sub ratione mali, quia impre-*  
*cari malum sub ratione boni, hoc est, vt inde bonum*  
*exoriatur, non est peccatum. v. g. imprecari ægritudi-*  
*nem corporis peccatori, pro animi salute recuperanda.*  
*Porrò si malum, quod imprecaris, sit leue, etiam si toto*  
*animi affectu desideres, venialis culpa est.*

*Indica, vndenam dignoscemus, num animo euentus grauis*  
*Maledictio sit iactata? Iuxta animorum specialem con-*  
*textum est interpretandum. Plerumque qui facilis est*  
*perturbatu, dum non adest inimicitia causa, aut odij*  
*grauis occasio, etiam si repente sibi videatur concu-*  
*piisse euentum, non tamen vilo modo desiderat. v. g.*  
*mater iactat in sibi charum filium grauem Maledictio-*  
*nem: videtur sibi mentis perturbatione considerata, ex*  
*voluntate locutam esse: at si mox ei obiicias: Filium*  
*ne vis inferno detrudi? respondebit: Auertat Domi-*  
*nus. Affirmo igitur Maledictiones illas, quas contra*  
*tibi inuisum, vigente præcipue odij occasione, iactas,*  
*plerumque cum intentione euentus exprimi; quæ autem*  
in

*Examen II. De Peccatis Capitalibus. 241*

in filium, in amicum, in famulum non tam ex odij affectu, quàm ex mentis perturbatione infliguntur, plerumque efficaci euentus desiderio priuari. Vnde plurima mortalia crimina vitanda spero.

*Est ne licitum Diabolum maledicere?* Peccatum est eum maledicto afficere quo ad naturam bonam quidem, & à Deo factam; propter ipsius culpam & aduersus homines odium, nullum peccatum est Diabolum maledictis vulnerare.

*Quidnam de Maledictionibus in irrationabilia animantia iactatis?* Si tales Maledictiones, in creaturas iactentur, & desiderentur vt creaturis Dei, est blasphemia. Si iactentur, & desiderentur, vt eueniant propter damnum redundans in proximum, est iniustitia grauis quidem, aut leuis iuxta materiæ desideratæ grauitatem, aut leuitatem. Si verò iactentur, vt illis eueniant neque vt creaturis Dei, neque vt rebus proximi, sed vt entia quædam sunt, est vanitas, & peccatum solummodo veniale; quia res vana exoptatur, cum rei ratione carenti bonum aut malum secundum se sumptum non conueniat.

*Filiæ Iræ recense.* Sex adnumero, indignationem, Tumorem mentis, Contumeliam, Blasphemiam, & Rixam.

22.  
Iræ sex  
Fil.æ.

*Definias indignationem.* Ex ira quis assolet loqui, non dignari, aut nominare nomine proprio, aut aliquod benevolentia signum exhibere.

*Tumorem mentis.* Tumor mentis tunc adest, cum diutius iram retineo, cogitans modum, & media vindictæ.

*Clamorem.* Cum ex ira litigatur, clamores assolent excitari.

*Blasphemiã.* Ex iræ conceptæ immoderatione aliquando effrænata libertas verba in Deum aut Sanctos efformat; pluuiæ aut ventis à Deo immisissis sub ea formalitate maledicit; infert Deo, aut Sanctis iniuriam eorum imagines violando.



242 *Moral. Theologia Tract. II. Peccata.*

*Contumeliam.* Proximo ex iræ feruore verbis conuicia exprimuntur.

*Rixam denique explana.* Rixa illa est, cum facto nocuumentum infertur, lutum proiiciendo, vulnerando, &c.

*An actus hi venialem culpam excedant?* Ira equidem tres habet status. Aut enim tantum interius concipitur; aut exterius etiam aliquo signo manifestatur; aut ad opus festinat, in quo vindicta consistit. Indignatio igitur, qua homo indignum reputat proximum sua familiaritate, mortalis est in tribus casibus. 1. Quando adeo prorumpit, vt homo sit paratus proximum non iuuare etiam in iis, in quibus ex præcepto tenetur. 2. Cùm adest interior personæ contemptus. 3. Cùm scandalum graue exoritur. Extra hosce casus venialis est. Præterea Tumor mentis, seu illa audacia, qua homo insurgere audet ad vindictam, ex qua in mente variæ nascuntur cogitationes: erit quidem tam graue peccatum, quam grauis vindicta excogitata. Qua verò parte ira in signo consistit exteriori, tres filix exoriuntur Clamor, siue inordinata illa & confusa locutio ex se veniale peccatum, nisi ex scandalo fortasse mortalis fiat: Contumelia, seu iniuriosum verbum graue aut leue iuxta contumeliæ grauitatem aut leuitatem, aut qualitatem personæ, cui iactatur. De Blasphemia iam dixi. Qua denique parte ira ad opus descendit, habet filiam Rixam, sub qua est bellum, vulnera, & contentiones, quæ quidem omnia grauius iuxta affectum internum, & effectus grauitatem lædent conscientiam, aut venialia erunt.

---

C A P V T V.

*De Gula.*

23.  
*Gula.*

**Q**uid est Gula? Appetitus inordinatus cibi, & potus. Inordinatum dixi: quia ordinatus ad sustentandam vitam, virtus est temperantiæ, & sobrietatis.

*Quodnam*

*Examen II. De Peccatis Capitalibus. 243*

*Quoddam peccatum Gula est? Ex genere suo veniale, etiam si absque vtilitate se quis cibo & potu vsque ad vomitum ingurgitet; nisi ex huiusmodi vomitione graui salutis incommoda exoriantur. Verum ad consulendum valetudini licet vomitum excitare, cum quis cibo aut potu pergrauatur.*

*Licet ne edere aut bibere, & vomere cibos & potum, vti rursum manducando, & bibendo opera detur? Peccatum id graue reputo; quia contra naturam magna in eo deformitas praesentatur.*

*Quandonam Gula peccati mortalis terminos attinget?*  
1. Quando in ea vltimus hominis finis collocatur.  
2. Quando eduntur à lege prohibita. 3. Quando ex cibo & potu graue corpori malum exoritur, vt ægritudo: vel animo, vt peccatum mortale. 4. Quando scandalum exurgit. 5. Quando cibus, quos natura prohibet, quis vescitur, talis est caro humana, aut sanguis.

*Num aliquando liceat hominem carne aut sanguine humano vesci, aut potari? In necessitate magna quidam exteri asserunt licere. Toletus in magna ægritudine huiusmodi esu aut potu curanda. Ego equidem affirmo sola in extrema necessitate licere. Ducor ipsius naturæ testimonio; non enim canis vel extrema necessitate pressus alium canem absumit. Demus rationali creaturæ egenti remedium, sed extremè quidem egenti solummodo tam formidabilis esca concedatur.*

*Num peccatum mortale sit ebrietas? Sese scienter inebriare vsque ad vsus rationis priuationem, mortale est: vel se amittendæ rationis periculo exponere, etiam si effectus non sequatur: vel alij vinum porrigere, quem scio inebriandum, licet non ebrietate corripiatur. Ratio est, quia voluntariè illi sese magno rationis bono abdicant.*

*Bibit quis vsque ad satietatem, ebrietate non præuisa: delinquit ne grauiter? Imò nec leuiter, si bona fide sedandæ siti operam dedit; quia accidentalis præter intentionem secuta est ebrietas.*

24.

*Ebrietas.*

*Immoderato potu quis non quidem ebriatur, sed aut dolore capitis laborat, aut capite tentato à vino, non sibi omnino constat, at tamen usus rationis perseverat, quo se nimis potui indulgisse cognoscit: quodnam hoc peccatum? Venialem intemperantiam dixerò; quia absolute rationis usum non tollit.*

*Licet ne se, vel alium pro salute corporis recuperanda inebriare? Cùm aliud remedium non superest, probabiliter quis licere opinabitur. v.g. si opus sit ad vomitum eundum: aut si alius potus grauiter noceret valetudini: aut si alius liquor non adesset potabilis, vt posset nauiganti accidere; quia tunc aut ægritudini curandæ directè vinum addicitur, aut sibi in necessitate prouidendæ: vnde ebrietatis effectus accidentaliter reputatur. Adicitur Toletus tunc licere, quando non timetur ex ebrietate aliquod malum secuturum, quod assolet ebrietatem comitari. Quam quidem limitationem, tanti viri pace, inutilem iudico; quia cùm directè valetudini consulitur, cuncta mala sequentia accidentaria reputantur.*

*Imputantur ne ad culpam ebria voluntario actus mali tempore ebrietatis effecti? Si huiusmodi mala præuidit, & adhuc contempsit eorum euentus vino indulgens, proculdubio ipsi sunt actus illi vitio vertendi; secus si directè non fuere mala illa præuisa. Præcipue certè delinquit, qui iam iterum in ebrietatem incidisset, & similibus malis dedisset operam.*

*Quid si mala, quæ ab ebriando præuidentur, non postea accidissent? Opinatur Laymannus in tali casu haud ebrii culpæ esse vertendum. Contrarium tamen teneo, quia delictum tunc patrat, cùm ebriandus præuidit mala probabiliter sequutura, non quando actu eueniunt; quia tunc iam recessit voluntarius actus rationis: Ergo siue accidat præuisus actus, siue non, delinquit planè qui sese periculo exposuit, licet accidentaliter haud euenit effectus.*

25.

*Quinque  
Gulæ st-  
lie.*

*Gulæ filias recense. Sunt quinque, Mentis hebetudo, inepta læticia, Multiloquium, Scurrilitas, Immundicia.*

*Defini*

*Exara. II. De Peccatis Capitalibus. 245*

*Defini Mentis hebetudinem.* Ex crapula talis affolet stupiditas exoriri, vt confessurus non possit conscientiam discutere, orare, necessaria ediscere, & retinere.

*Quid inepta lætitia?* Næniis nimium affici vsque ad lætitiã, cum ex iis non aptè exoriatur.

*Multiloquium?* Affolet multo indulgens mero, inter pocula de rebus sacris disputare, Principes, aut Superiores carpere.

*De scurrilitate quidnam?* Ebrius verbis turpibus vitur, cantica obscœna profert.

*De immunditia denique quid?* Ebrii facillè vacant immundæ euomitioni. Hinc somnia turpia habent exortum.

*Quandom hi actus mortales sunt, quando autem veniales?* Profectò Mentis hebetudo potius pœna est, quam peccatum; quia ex nimio cibo ac potu ingenium hebetudine laborat. Effet quidem culpabilis hæc hebetudo, si homo aduertenter ita fieret ineptus, vt iis, quæ ex præcepto efficere tenetur, haud posset operam nauare. v.g. si medicus sese adeò expleret, vt curandi munus exercere non posset. Inepta lætitia, qua congaudet homo in iis, quæ nullam delectationem assolent ex se excitare, ex genere venialis est, nisi materiæ grauitas mortale efficiat. Multiloquium ex se veniale, nisi sit cum contumeliis præiis admistum. Porro scurrilitas ad risum prouocans, si causa delectationis venereæ fiat, mortale peccatum est; si autem solùm tendat ad risum prouocandum veniale tantùm. Immunditia denique venialis est; quamuis enim quis vsque ad vomitum vescatur, aut bibat mortale non est, vt diximus, nisi graue malum corporis, vel scandalum sequatur; quia ex se vomitio graue incommodum non est.

## CAPVT VI.

*De Inuidia.*26.  
*Inuidia.*

**Q**uid est Inuidia? Tristitia de alieno bono, in quantum tale bonum inuidentis excellentiam imminuit. Ideo inuidere idem est, ac non videre; cupimus enim non videre tam ipsum, cui inuidemus: quam bonum, quod excitat inuidiam.

*Quodnam peccatum Inuidia? Mortale ex genere suo, cum bonum, de quo tristamur, est graue: & cum scienter & liberè huiusmodi tristitiæ assensum exhibemus.*

*Possumus ne sine crimine de alieno bono tristani? Possumus planè, vel quando videmus ex eo aliqua graua mala prouentura seu Reipublicæ, seu proximo, seu ipsi bonum possidenti. v.g. si maneat ideò in occasione peccandi; tunc enim non tristamur ratione boni, sed ratione mali. Vel cum tristamur, non quia aliud tale bonum possideat: sed quia nos illo caremus. Quæ quidem tristitia si circa spiritualia versetur, à Patribus sancta vocatur inuidia.*

27.  
*Quinque  
Inuidiæ  
filie.*

*Quotnam inuidiæ filie? Quinque assolent assignari Odium, Susurratio, Detractio, Gaudium in aduersis proximi, & in prosperis afflictio.*

*Odium diffiniat. Est quo alicui malum volumus ob malum ipsius, & non ob aliquod inde bonum exoriens.*

*Susurrationem? Qua famam in occulto auferimus.*

*Detractionem? Qua in manifesto famam proximi curamus contaminare. De gaudio in aduersis de afflictione in prosperis adnata est ipsi nomini definitio.*

*Num hi actus lethales? Odium quidem graue, quo proximo graue malum cupimus, mortale peccatum est: leue autem veniale. Susurratio occulta aut publica Detractio iuxta materiæ aut grauitatem aut leuitatem graue aut leue crimen erit. Denique Gaudium de proximi aduersis graue peccatum est, si malum proximi, de quo gaude*

*Exam. II. De Peccatis Capitalibus. 247*

gaudemus, est graue, & gaudium fit ex rationis consensu. Afflictio autem in prosperis, seu de bonis proximi tristitia est. Inuidus equidem duplici afficitur tristitia, vna de bono proximi prout per ipsum propria excellentia videtur imminui, & hæc est ipsa inuidia: altera verò consequenti; nam inuidus vellet nihil boni proximo illi contingere, & bonum illius saltem desiderio conatur impedire. Quando ergo ei huiusmodi bonum euenit, quia contra inuidi euenit voluntatem, contristatur: & hæc tristitia est inuidiæ filia, non ipsa parens. Peccatum igitur hic actus est eo modo, quo gaudium in aduersis iuxta materiæ quantitatem.

C A P V T VII.

*De Acedia.*

**Q**uidnam est Acedia? Fastidium spiritualium rerum, seu tristitia ex eo, quod sint res spirituales. v. g. si quis doleat, quia fit ad gratiam, ad merita, ad gloriam creatus; aut quis afficiatur tristitia, quod Sacramenta sint gratiæ, bonorumque spiritualium scaturigo. 28,  
Acedia:

*Quale hoc peccatum?* Mortale grauissimum. Hinc colligo grauius delinquere, qui vitæ saucius ærumnis, deliberatè se non fuisse natum exoptaret, aut potius cum brutis animantibus adnumerari: quàm cœtui hominum addici. Tamen si quis tristitia afficeretur, quod opus laboriosum implere teneatur, quod nihilominus exequeretur, mortaliter quidem non delinqueret; quia non tristatur de bono iniuncto, sed de obligatione sibi imposita ex difficilis præcepti obseruatione.

*Num directè Acedia charitati opponatur?* Non omnis opponitur; nam si quis tristetur de ieiunio ex gulæ affectu, videtur directè contra temperantiam delinquere; peccata enim dicuntur illi virtuti opponi, cuius perfectione priuant.

*Sex Acedie filie.*

*Prolem Acedie expono.* Sex annuero, Desperationem, Pusillanimitatem, Torporem, Malitiam, Rancorem, mentis Euagationem.

*Desperatio quid?* Qua homo diffidit se finem supremum consecuturum.

*Pusillanimitas?* Est id, quo homo non audet diuina consilia, quæ perfectionis sunt, exequi.

*Quid est Torpor?* Quo negligit homo seipsum, & facere omittit, quod præcepto tenetur.

*De Malitia quid?* Malitia est, qua homo odio habet ipsa bona spiritualia in se, quia velle ea non esse: aut qua hominem pœniter bene fecisse, & impleuisse, quæ efficere tenebatur.

*Quidnam Rancor?* Est, quo homines, qui ad spiritualia peccatorem inducunt, (v.g. concionatores) sunt ei fastidio, & eos auersatur.

*Quid denique de mentis Euagatione?* Est defectus intentionis, quæ rebus spiritualibus exequendis, & exercendis est adhibenda.

*Horum actuum exprime grauitatem.* Desperatio equidem peccatum mortale grauissimum est, cum ex consensu rationis sit plenum; quando verò solum est motus quidam imperfectus, veniale est. Pusillanimitas ex se veniale. Torpor quidem graue delictum. Malitia grauius. Rancor autem leuis culpa, nisi graue odium admisceatur, quo proximum graui malo affici desideraret. Euagatio denique mentis notabilis mortale crimen esset, si ex culpabili negligentia exorta. v. g. si aduertenter recitaturus Canonicum Officium ab interna attentione huic operi debita recederet.

## CAPVT VIII.

*Praxis circa predicta ex Societatis IESV schola.*

29.

*De Vana gloria.*

**Q**uandonam Vana gloria mortale sit crimen? Respondeo ex Baldello gloriari de peccato mortali,

tali, vel ad finem mortaliter malum, mortale esse.

Licet ne Gloriam & famam ob finem bonum optare? Toletus asserit licere optare quantum quisque meretur.

An sit ex se peccatum mortale inanis gloria? Negatiuè respondet Toletus.

Prædicare, aut Missam celebrare præcipuè vana gloriæ causa, quodnam peccatum? Affirmat Saa vtrumque probabile, remittitque ad Sylu. verb. Vana gloria. n. 2. explicationem.

De Prodigalitate Auaritiæ opposita rogarim, an solummodo contra iustitiam militet? Affero cum Baldello, non solum peccare mortaliter eum, qui Dei legem transgreditur in materia iustitiæ prodigè res alienas consumendo, v. g. si tutor res pupillorum consumat: sed etiam quia legem transgreditur in materia charitatis, v. g. si quis ex prodigalitate vxori & filiis prout debet, prouidere non possit.

Quando actus illi, qui quidem Luxurici filia nuncupantur, contra sextum præceptum per se explicite exurgunt, scio esse lethales: rogo num etiam mortalia crimina sint à sexto abstracti præcepto? Esse planè cum Baldello respondeo, cum scilicet quis per mentis cæcitatem ex affectu Luxuriæ causatam in se, non proponit sibi explicite Deum, & vitam æternam prout vltimum finem: & per præcipationem rationis, & inconsiderationem non eligit sibi media, ad quæ tenetur ex aliquo præcepto: vel per inconstantiam desistit ab eo, quod tenetur exequi, &c. Profecto quamuis communiter ex huiusmodi vitiis non contingat peccatum mortale, nisi quando occurrat legis transgressio, seu præcepti: potest tamen aliquando contingere, vt grauiter delinquatur etiam propter huiusmodi transgressionis periculum. Porrò Reginaldus adiicit rationem, cur hi actus sint lethales, quia scilicet graua sint impedimenta ad salutem consequendam.

An indignatio non volentis videre vel audire eum, cui

Q 5

trahitur, De Ira.

30.

De Auditiua.

31.

De Luxuria.

32.



250 *Moral. Theologiae Tract. II. Peccata,*  
*irascitur, sit mortale peccatum? Communiter veniale esse*  
*Toletus affirmat.*

33. *Num trislari de bono alterius, quia mihi proprium bonum*  
*diminuit, sit graue commissum? Afferit Suarius ex suo genere*  
*esse peccatum inuidiae mortale.*

34. *Est ne mortale, ministrare aegroto cibum, aut potum, ex quo*  
*febris augeatur? Minimè; quia aegrotanti graue malum*  
*non inferitur: nisi tanta debilitate laboraret, vt leuis ci-*  
*bi aut potus immoderatio graue ei nocumentum ex-*  
*pressè à ministrante praeuisum inferret. Sic Lessius.*

*Gula indulget nimis venialiter; at ex huiusmodi nimietate*  
*prouides futuram in somnis pollutionem: num sit graue gulae ex*  
*hoc capite flagitium? Ex Lessio respondeo non esse culpam*  
*mortalem, si pollutionem per se non intendam, & per*  
*huiusmodi cibum aut potum procurem.*


*An comedere, & bibere vsque ad satietatem absque necessitate*  
*ob solam voluptatem, sit peccatum? Cum Sanctio negatiuè*  
*respondeo, modò non obsit valetudini; quia licitè po-*  
*test appetitus naturalis suis actibus frui.*

35. *Quantum peccatum est Acedia? Non solùm mortale,*  
*sed grauissimum; quia est propinquum odio Dei, in*  
*quantum scilicet est directè oppositum gaudio charita-*  
*tis: & de illo tristatur, ex quo ex charitate cum Deo, &*  
*ex amicitia Dei est gaudendum.*

*Num possit Acedia esse venialis? Curi Baldello iudico ex*  
*indeliberatione posse esse venialem, non autem ex ma-*  
*teria leuitate, nisi accipiatur generaliter Acedia pro*  
*quacumque tristitia de bono spirituali, & ex quocum-*  
*que motiuo.*

*An circumstantia Acediae sit in Confessione exprimenda? Sen-*  
*tit Baldellus explicandum non esse necessariò: Sa-*  
*crum omisi ex Acedia; sed sufficere: omisi sacrum,*  
*si Acedia generaliter accipiatur, quæ quidem peccatum*  
*in aliam speciem non trahit. At id minimè admitten-*  
*dum de Acedia specialiter dicta, quæ charitatis gaudio*  
*specialiter opponitur; quando enim adiungitur alteri*  
*alicui malitiae in alia specie, & contra aliquod aliud*  
*praeceptum*

*Exam. III. De Peccatis Mortalib. cunctis. 251*  
præceptum, specialiter est in Confessione aperienda.  
Fateor tamen rarò contingere, vt quis specialiter do-  
leat, ac tristetur de bono suo spirituali, in quantum est  
bonum diuinum, & specialiter Acediæ peccato de-  
linquat.



### EXAMEN III.

Cuncta peccata Mortalia recenseo pœnitentem  
instruens, quoniam modo generali Confessione,  
aut particulari operam nauare debeat siue ge-  
nerales fidelis obligationes siue status cuiusvis  
speciales euoluendo.

*Instru-  
ctio ad  
Generale  
Confessio-  
nem.*

#### CAPVT PRIMVM.

##### *De prænoscendis ante Confessionem.*



*Venam in Pœnitente dispositio sit necessaria ad Con-  
fessionem? Potest hæc ex tribus explorari, sci-  
licet ex dolore, ex proposito, ex integritate  
Confessionis.*

*36.  
Dolor, &  
Propositi-  
um.*

*Quidnam circa dolorem adnotandum? Affirmo, dolorem  
aliquem esse necessarium, qui saltem sit attritio cogni-  
ta, vera quidem, non existimata tantum ita vt excludat  
voluntatem peccandi, & includat propositum absolu-  
tum non peccandi formaliter, vel virtualiter; præterea  
supernaturalis, & proueniens ex principiis gratiæ, ex  
aliquo scilicet motiuo diuino & supernaturali.*

*Quid circa propositum? Signum sufficiens pro dolore  
est etiam pro proposito, nisi fortè requiratur particu-  
lare propositum ex aliqua restitutione facienda, vel oc-  
casionem proxima vitanda.*

*Quidnam denique circa integritatem? Omnia mortalia  
crimina tenetur confiteri in particulari, numerum re-  
censendo viginti, v.g. furta grauia commisi: vel si certus  
numerus*

252 *Moralis Theologiæ Tract. II. Peccata,*  
numerus vestigari non potest, Commisi viginti aut vi-  
ginti quatuor, &c.

37.  
Exami-  
natio cō-  
scientiæ.

*An necessaria ad integritatem Confessionis præuia examina-  
tio?* Ita planè, vnde qui non accedit ad Confessarium  
præmissa conscientiæ discussione ita, vt sese periculo  
exponat prætermittendi aliquod mortale, licet actu  
omnia aperiat, sacrilegium committit. Id igitur tempus  
examine exhibendum, quod aliàs graui negotio cuidam  
impendi deberet, iuxta tempus, memoriam, occasiones,  
discursum, periculum produciendo, aut contrahendo. Vt  
autem huiusmodi examen opportunius fieri valeat,  
operæpretium erit te mente voluere præcipua morta-  
lium criminum capita. In primo enim præcepto peccat-  
um mortale ex genere est, quod versatur circa fidem,  
spem, & charitatem, Religionem, siue quoad excessum  
dando cultum indebitum, vt Iudæi: auferendo debi-  
tum, & tribuendo creaturæ per idololatriam, Magiam,  
diuinationem, obseruantiam, maleficium: siue quoad  
defectum committendo sacrilegium circa personas,  
res, loca sacra. In secundo blasphemia, si pertineat ad  
Deum, periurium, voti fractio, est peccatum mortale ex  
genere. In tertio omissio sacri in Festo, vel partis nota-  
bilis, vt tertiæ, ieiunij diebus præceptis, Confessionis se-  
mel in anno, Communionis in Paschate, solutionis de-  
cimarum, Festi ipsius per opera seruilia violatio est pec-  
catum mortale ex genere: huc peccata contra censuras  
referenda. In quarto nõ succurrere proximo in necessi-  
tate corporali per eleemosynam, vel spirituali per cor-  
rectionem, quando adest cognitio moraliter certa de  
peccato mortali proximi, & est spes emendationis, &  
opportunitas personæ, & temporis, est peccatum mor-  
tale ex suo genere. Item deficere in honore debito pa-  
rentibus, & Superioribus eos asperè tractando, spernen-  
do, multa tristitia afficiendo, desiderando iis malum no-  
tabile, non succurrendo in necessitate, esset peccatum  
mortale. In quinto offendere proximum in vita, vel  
bonis corporis, est mortale ex genere. In sexto forni-  
catio,

catio, stuprum, incestus, raptus, sacrilegium, vitium contra naturam cum quatuor suis speciebus, mollitie, innaturalitate, sodomia, bestialitate, quibus addi potest impudicitia, qua quis vacat tactibus libidinosis, absque intentione alterius operis consummati, sunt mortalia ex genere. In septimo lædere proximum in bonis externis, furto, contractu illicito, v.g. vsurario, vel iniusto est peccatum mortale ex genere. In octauo offendere eum verbis, v.g. mendacio pernicioso, contumelia, detractio-  
ne, maledictione, susurratione, irrisione, est peccatum mortale ex genere. Nonum & decimum præceptum ad sextum & septimum reuocatur. Adde his quatuor capitalia peccata in præceptis non comprehensa, scilicet superbia, gula, ira, inuidia. Profectò circa alia præcepta duo præcipuè consideranda sunt; primo vis præcepti ex verbis adiunctis: si enim sit præceptum diuinum, ponderanda sunt verba: nam si significant actionem esse dignam morte, excludere à Regno, esse execrabilem, & similia, indicant esse peccatum mortale; secus si verba sint mitiora. Si præceptum sit humanum, tunc consideranda sunt verba, an sint præceptiua, an habeant adiunctam pœnam grauem vt censuram, mortem, amissionem bonorum, exilium. Denique si lex scripta non sit, habenda est ratio consuetudinis, traditionis, consensus Doctorum, luminis naturalis. Secundò consideranda est materia præcepti, an sit necessaria ad charitatem Dei, vel proximi: an lædatur virtus necessaria ad salutem, vt Theologica virtutes, Religio, Iustitia, &c. An noceat sibi grauiter in rebus spiritualibus, vel temporariis. In eiusdem accurati examinis, seu discussionis conscientia gratiam mente versanda sunt quæ à peccato mortali excusant. v.g. leuitas materia vt patet in furto: indeliberatio, defectus rationis, inaduertentia: consensus in parte inferiori, id est, rei malæ vt habet rationem delectabilis, commodi, &c. non in superiori, id est rei malæ, vt cognoscitur esse contra legem Dei, prohibitam, &c. ignorantia probabilis, dispensatio iusta,

254 *Moral. Theologia Tract. II. Peccata,*  
iusta, præsertim in præceptis humanis, & in nonnullis  
diuinis affirmatiuis, vt voto, iuramento. Demum necessi-  
tas, & rationabilis causa, vt in furto, homicidio ex in-  
culpata tutela, obseruantia diei festi, & similibus. Ad-  
monuerim excipiendum sextum præceptum, in quo nec  
sanitatis, nec vitæ necessitas excusare potest: excipien-  
dum item cultum idoli, periurium & si quæ alia similia  
reperiantur. Igitur post meditationem criminum le-  
thalium ex copia proxima elige quod deliqueris, addi-  
tòque numero delictorum & in generali præceptorum  
decurfu & in speciali munerum obligatione sic te ac-  
curare procura.

---

## C A P V T II.

*Quoniam modo pœnitens proferre debeat crimina  
lethalia contra decem Præcepta  
Decalogi, & quinque  
Ecclesie.*

38. *Mandati  
primi  
praxis.* **C**ontra primum Præceptum Decalogi mortalia crimina re-  
cense. Quinque modis hoc mandatum de diligendo  
Deo violauit. Primò circa fidem, dubitando, consen-  
tendo, seu exprimendo aliquo signo aliquid contra  
ipsam. v.g. de prouidentia Dei, animæ immortalitate,  
vita futura: nesciendo necessaria ad salutem. Secundò  
circa spem desperauit, præsumpsi, Deum tentauit, spem  
totam in creatura reposui *toties*. Tertiò circa charitatem  
Deum odio habui ob legem datam, vel pœnam inferni  
impositam, &c. non amando ratione debita, tempore  
debito in tentationis periculo, &c. *Toties*. Quartò circa  
Religionem non orauit speciatim mortis spiritualis, aut  
grauissimæ necessitatis proximi occasione: Officium  
Canonicum omisi in sacris constitutus, aut Beneficia-  
rius: Sacrilegium in personis, in rebus, in locis Sacris  
commisi

*Exam. III. De Peccatis Mortalib. cunctis. 255*

commisi *toties*. Quintò circa vitia opposita Religioni fidem præstiti verbis, superstitionibus, vanis obseruantis, vsus iis ad malum, aut bonum finem *toties*.

*Quotnam lethalia peccata contra secundum Præceptum committuntur?* Tripli ratione lethaliter deliqui. Primò circa blasphemiam in Deum, Sanctos, creaturas blasphemando: seu tribuendo Deo, quod non habet, seu auferendo, quod habet: seu tribuendo creaturæ, quod est Dei proprium: seu imprecando Deo aliquod malum, vel turpia membra propria vulgando appellatione. Secundò circa iuramentum, mendacium cum iuramento protuli: Dubitans de veritate: sine intentione faciendi iuramentum emisi: Promisi facere quod malum erat grauius, & non facere quod bonum: Indiscretè & sine vlla causa ex temeritate iuravi cum peierandi periculo: Aliquid graue iuramento firmatum iustè, non executus sum: Alium ad falsò iurandum vel in tribunali, vel extra iudicij occasionem induxi: Non respondi verè iudicij iustè sub iuramento requirenti, *toties*. Tertiò, circa Votum, Tardus fui in voto implendo: Promisi quod malum: Fregi in graui materia *toties*.

*Aperi contra tertium Præceptum grauius delicta.* Quatuor modis fui transgressor. Primò totam Missam seu partem notabilem sine causa omisi in festis: vel cum magna distractione voluntariè quidem confabulatus sum: vel causa extiti alios ad Missam audiendam non accedere. Secundò opus seruile, vel aliud prohibitum in festis per tempus notabile duarum vel trium horarum per me, vel aliis sum executus. Tertiò, Quadragesimæ diebus, aut Vigiliis, aut quatuor Temporibus non ieiunavi, vel carnem diebus prohibitis absumpsi: Confessionis annuæ, Communionis, & solutionis Decimarum præcepta transgressus sum, *toties*. Quartò, excommunicatus in Diuinis participavi: Alicui censuræ lubens grauem subieci occasionem, & Ecclesiæ grauisima quidem flagella contempsi *toties*.

*Quot modis quartum Præceptum mortaliter leditur?* Sex.

Primò,

39.

Mandati  
secundi.

40.

Mandati  
tertij.

41.

Mandati  
quarti.

Primò, circa proximi dilectionem generalem, inimicis signa communia non exhibui: Non remisi iniuriam: Pacem negavi *toties*. Secundò, circa beneficentiam corporalem, in necessitate extrema, vel graui eleemosynam non egi. Tertio circa spiritualelem eleemosynam, fratrem de peccato mortali cum adesset spes emendationis, personæ & temporis opportunitas, corrigere prætermisi. Quartò circa obligationem filiorum erga parentes, non subueni parenti in necessitate: Non impleui testamentum, & legata: Maledixi, percussi, optaui mortem: Non obediui in rebus grauibus ad gubernationem domus, ad bonos mores, & salutem animi pertinentibus *toties*. Quintò circa obligationem parentum erga filios, non curaui, vt sciant necessaria ad salutem: Permissi eos malè viuere, vel malum exemplum præbui ex aduertentia grauis damni exoritur *toties*. Sextò circa obligationem conjugatorum, graui iniuria vxorem affeci, percussi non leuiter, debitum abnegavi, &c. Non obediui viro in spectantibus grauiter ad bonos mores, & familiæ gubernationem. Non reddidi debitum, aut causam malitiosè exhibui, vt vir immoderato impetu blasphemaret, iuraret, malediceret *toties*.

42. *Contra quintum præceptum quotnam peccandi mortaliter modi?* Quinque modis offendi. Primò enim optaui mihi, aut aliis mortem, vulnera, infamiam, graue malum: Gausus fui de morte patris, fratrisve ex odio & inuidia: Morosè delectatus sum de vindicta, aut de aliorum prosperitate graui inuidia dolui *toties*. Secundò protuli minas, graues contumelias, conuicia ex iracundia *toties*. Tertio, occidi iniuste, mutilaui, vulneraui, torsi: Mater infantem in lecto culpabiliter oppressi, vel causa exiti abortus, vel in me, aut in alia procuraui *toties*. Quartò, ad aliquid prædictorum cooperatus sum. Quintò, aliorum scandali, mortis scilicet spiritualis causam exhibui, v.g. inducendo ad peccatum, vel publicè delinquendo *toties*.

43. *Contra sextum præceptum quot modis delinquitur lethaliter?*  
Septem

Septem quidem deliqui: Primò, habui turpes cogitationes cum consensu ex obiecto solutæ, nuptæ, sacre, consanguineæ, affinis, spiritualis necessitudinis, nefandæ malitiæ, bestialitatis, sine speciali obiecto: Aut morosè accepi delectationem, aut verbis simul inhonestis, aspectibus, tactibus, libidinosis intercedentibus cum hoc, aut cum illa, huius, vel illius status *toties*. Secundò, foeminam cognoui solutam, virginem renuentem, coniugatam, consanguineam, sacram, aut intra vas, aut extra *toties*. Tertio, contra naturam fruius sum voluptate, seu mollitiæ, seu sodomia, seu bestialitate, seu impudicitia, seu pollutionem voluntariam patiendo in vigilia cum speciali obiecta iuxta prædicta: Aut dedi voluntariè pollutioni nocturnæ causam. Quarto, oscula lasciuia, aut amplexus intuli: Tactus sine pollutione mecum, aut cum alio, siue iniucem, siue non, habui: Gula & gaudium indulsi, ex qua luxuria: Ebrietatem sectatus sum cum notabili futuro damno præuiso, mei scilicet, vel alterius, aut præcepti violatione *toties*. Quintò diu infecutus sum foeminam, perueni ad verba, seu literas amatorias, munera ex prauo fine, tactus: Ornatu, musica, & aliis vsus sum ad finem placendi, & ad carnalem voluptatem prouocandi *toties*. Sextò, lectione librorum impudicorum me prouocaui, oprauit ab aliis concupisci: Me de huiusmodi peccatis iactaui aut falsò, aut verè cum delectatione *toties*. Septimò petiui à coniuge debitum cum impedimento affinitatis, cognationis spiritualis, voti castitatis, periculo abortus, effundendi semen extra vas *toties*.

Indica modos grauiter violandi septimum præceptum. Quinque modis deliqui. Primò circa furtum, in notabili quantitate furatus sum: etiam à propriis parentibus iniucis: Graue intuli damnum: Iustus, & potens non restitui: Bona naufragantium vsurpauit, & apud mare latrocinatus sum *toties*. Secundò circa merces fraudibus in emptione & venditione vsus sum, seu pretio, seu re, seu pondere, seu mensura, seu numero: Empsi rem  
R alienam

44.

Mandatj  
septimi.



260 *Moralis Theologie Tract. II. Peccata,*  
 alienam scienter *toties*. Tertio circa vsuras, vsus sum his  
 in mutuo, in emptione anticipata, vel dilata solutione,  
 in cambiis, societatibus, censibus *toties*. Quarto circa  
 fraudem in ludo, cum personis inhabilibus, inæquali-  
 bus, quoad artem lusoriam importunis precibus indu-  
 ctis, aut minis ludum iniij *toties*. Quinto circa animum  
 aliena furandi, retinui cum damno Domini res alienas,  
 sed cum iniuria proximi concupiui: Modis dictis  
 cooperatus sum: Rem inuentam pretiosam, non  
 prius facta Domini proprii inquisitione, mihi accom-  
 modauit *toties*.

45.  
*Mandati*  
*octauo,*

*Quidnam de grauibus delictis contra octauum Præ-*  
*ceptum adiciendum?* Sex modis hoc præceptum morta-  
 liter violauit. Primo, iniuriam grauem intuli in iu-  
 dicio iudex, reus, testis, aduocatus, procurator, ta-  
 bellio, &c. *toties*. Secundò mendacium pernicio-  
 sum protuli: Detraxi vel ex falsi alicuius impositio-  
 ne, vel veri occulti, quod infamat grauius mani-  
 festatione: Infamaui ex loquacitate: Retuli aliorum  
 mala animo infamandi: vel audiui, & cooperatus  
 sum infamatori *toties*. Tertio, reuelauit graue secre-  
 tum absque iusta causa: literas alienas cum graui  
 inconuenienti aperui *toties*. Quarto, circa susurra-  
 tionem, seminaui discordias graues, aut irrifi ani-  
 mo confundendi *toties*. Quinto, maledixi, animo  
 quidem, vt graue malum eueniat hominibus seu im-  
 mediatè ipsos percusserim, siue mediatè in animan-  
 tibus, &c. *toties*. Sexto, temerarium iudicium in re  
 graui admisi, aut cum graui proximi iniuria suspicatus  
 sum: Leuia quidem alterius aperui peccata, sed qua  
 ob personæ autoritatem grauis detractionis locum  
 obtinuit *toties*.

CAP. III.

## CAPVT III.

## Peccata mortalia Principum supremorum.

**I**N speciale quidem poenitentium leuamen vniuersæ præterea Christianæ Reipublicæ lethalia crimina, quæ circa munus, seu dignitatum, seu officiorum administrationem assolent perpetrari, recensere operæ pretium duxi. Quapropter singulare periculum agens ostendas prætor quoniammodo se debeat Princeps supremus de mortalibus criminibus accusare? Num Presulis summi delicta memorabimus? Profecto suprema Ecclesiæ potestas haud est fragilitatis humanæ incusanda; qua re nulla Papæ exprimam crimina; Sanctissimus enim Ecclesiæ vertex sanctissimis operibus operam dabit; si autem aliquid humanitati indusserit, sapientissimus ille muneris tanti onera minimè ignorabit.

Regum igitur, ac supremorum Principum accusationem prætere. Ita propria bona dissipauit, vt aliena aggressus fuerim vsurpare, subditos nimium molestis tributis aggravando, debita non soluendo: Ingentem vim auri & argenti subditorum iniuria accumulauit: Ob culpabilem præuisam incuriam imminuentem famem retardare non curauit: Cum nimia desidia Regni securitati prouidi: Leges poenales non in delictorum repressionem, sed in subditorum expilationem indixit: Mihi addicendo subditorum diuitias, tributa sine publica necessitate meis superfluis vsibus deseruitura stabiliui: De nouo subditos seruituti addixi, vt agros excolant sine mercede: Morti deputauit, aut graui supplicio ciuem inauditum, grauissima haud intercedente causa: Regni, aut dominiij propagandi causa bella iniuste commouit: Ob meam voluntariam incuriam vitia ciues commaculant, iustitiæ causa sine patrocinio: Leges Ecclesiasticæ immunitati repugnantes præscripti: Officia muniæque pro tam sublimi pretio commutauit, vt ministri fuerint expilandis ciuibus operam nauæuri: Aduertenter iudices

46.

Regum,  
ac Prin-  
cipum  
praxis.

262 *Moralis Theologie Tract. II. Peccata,*  
indoctos creavi: vel cognita post modum eorum in-  
sufficiencia, non illico amoui: Prius quam fiat inquisitio  
de Domino bonorum naufragij, mihi ea accommoda-  
ui: Beneficiorum patronus praesentavi indignos,  
*Toties.*

CAP V T I V.

*Peccata moralia Ecclesiasticorum.*

47.  
*Episcopi  
praxis.*

**C**ui me penitus ineptum agnoscebam: Intra tres  
mensis consecrationem non accepi, longoque tempo-  
ris intervallo sine ipsa persisti: Ultra tres menses sine  
iusta causa abfui: (causas iustas Toletus lib. 5. cap. 3. ex-  
pendit: ) Longo tempore elapso, Sacramenta Ordinis,  
& Confirmationis non absolui, nec chrisma consecra-  
ui: Aliquem ad sacros Ordines admisi scandalosum, seu  
insufficiens, seu si literas dimissorias dedi alibi ini-  
tiando: Beneficia indignis prorsus contuli, dignis abie-  
cis: Cum valde necessarium esset Parochorum concilium,  
ad gravissimas Dioecesis causas, non coegi: Per-  
misi aut per alium idoneum gregem non inuisi: Bono  
spirituali subdito non providi, assignando Vicarios,  
in utroque vitique foro peritos: Sacros Canones  
in Dioecesi observari contra iuramentum, neglexi:  
Immoderatis actionibus subditos ad scandalum graue  
traxi: Ex retribuis Ecclesiae pauperum non vbertim  
egestati occurri: Ecclesiastica bona profanitati addixi:  
Potens subditos discordes ad pacem allicere, com gra-  
ui incommodo Republicae neglexi: Iura Capituli usur-  
pavi: Non coegi Parochos suis in Ecclesiis ultra praes-  
criptum absentiae terminum residere: Impotens a ca-  
sibus Papae reservatis absolui: Ecclesiam a tributorum  
secularium inuasionem non defendi: Vitorum Republi-  
cae extirpationi operam non nauavi *toties,*

*Quando*

Quando Parochus graviter delinquit: Sing. iusta licentia 48:  
à grege abfui: Sacramenta petentibus non administra- Parochi.  
vi, præcipue ægrois in periculo constitutis: Mustis in-  
dignus suscepi: Intra tres menses à possessione non  
sum professus fidem: Aut luxurici, aut avaricie publi-  
co affectu ad scandalum graue subditos attuli roticando

Confessorius quandam mortali peccet: Sine facultate 49:  
Ordinarij munus exercui: Me omnino insufficientem Confessa-  
agnosco, præcipue cum mercatores, aut reos plurimis  
gratatos facinoribus ad tribunal admittit, vel idiotas,  
quos examinare non norim: A pœnitente non quaesivi  
quidquid ad plenam conscientie disquisitionem erat  
necessarium: Indispositum externa specie, ad coner-  
tionem antequam absoluerem, non excitavi: Dubi-  
tans Doctos non adij, per me solummodo insuffi-  
ciens: Confessionis sigillum perfregi: Notabiliter ac  
culpabiliter negligens, aut imprudens fui circa impo-  
nendam pœnitenti satisfactionem, plus quidem ex affe-  
ctu, quam ex causa: In Confessione, aut proxime antea  
vel post sceminam ad inhonestos actus prouocavi: vel  
extra Confessionem simulando illam in loco confесси-  
onibus audiendis deputato grauia libidinosa verba per-  
miscui: Post exauditam confessionis partem, haud per-  
fecto iudicio recessi, pœnitentem sine necessitate co-  
gens rursus alteri confessario crimina manifestare:  
Pœnitentem de restitutionis obligatione, vel de proxi-  
ma occasione dimissione necessaria non monui toties.

Clerici grauia crimina proferas: Sacros Ordines Latina 50:  
linguae ignarus suscepi: Ad Presbyteratum ascendi sine Clerici.  
materiae saltem & forae Sacramentorum cognitione:  
Simoniace ordinatus sum, aut à Simoniaco Prelato no-  
torio: Illegitimus sine dispensatione, publica infamia  
affectus, aut sine ætate legitima, aut per saltum, & rap-  
tum, aut suspensus, aut excommunicatus, aut in mortali  
existens, aut irregularis Sacris sum initiatus: Aliqua al-  
ligatus censura Sacrum Ordinis ministerium exercui:  
Mortalis criminis reus feci Sacrum: Vestes statui inde-

centes, vel cum graui scandalo pretiosas indui: Despectum, vel conseruam præferre Clericalem: Medicum, Aduocatum, Procuratorem absque licentia egi: Indecens officium exercui, v.g. Mercatoris: Prophanæ Comœdiæ recitandæ prophanè quidem operam adhibui: Solemniter obtuli Sacrificium; aut actum Ordinis exercui vestibus indecoris: Canonicum Officium (aut Horas Deiparæ ligarus obligatione ob pensionem) non recitavi, aut integram Horam omisi; aut Horarum, aut totius Officij partem notabilem: Consultò attentionem à verbis auerti, vel à verborum abstractus sum expressione: Non ieiunus celebraui, aut loco, & tempore non competenti, aut sine ara, vel ea quidem adeò fracta, vt consecrationem amisisset, videlicet parte integra Calicem & hostiam non capiente: Plusquam semel in die celebrationi dedi operam cum dies non esset Natalitius, aut aliqua in Pronincia Defunctorum fidelium solemne: Vino vsus sum non vino ad consecrationem: Culpabiliter sanguis profusus, aut particula proiecta est: Domi scandalosum ludum foui, aut foeminam, dando iustam scandalum occasionem: Nimix comotationi indulsi: Venationi ferarum prohibito strepitu vacaui: Missarum obligationem diu distuli: Duplicem elemosynam, vna sufficiente, accepi: Non debite applicaui *toties*.

§ I.  
Beneficiary.

*Quid de Beneficiario?* Muneris graues obligationes neglexi: Excommunicatus, aut suspensus fructus Beneficij percepi, dum possem ex patrimonio sustentari: Simoniacè Beneficium obtinui: Pauperibus non distribui excessus post congruam sustentationem, cum tenerer subuenire: Absens distributiones Ecclesiæ obtinui, licet ex Sociorum consensu, cum id à Tridentino prohibeatur: Amassæ bonorum Ecclesiasticorum feci donationem: Elegi, aut præsentavi Beneficio, seu Præbendæ indignum; vel ex oppositoribus haud digniorem designaui: Bona Ecclesiastica vsibus prophanis legato ad-dixi *toties*.

## CAPVT V.

## De Peccatis grauib. Regularium.

**R**egularis vir quondam mortaliter delinquit? Religio-  
 nem ingressus fui, parentibus nimium desolatis, magna in egestate constitutis, à qua ipse eripere potui: Non aperui ægritudinem habitualement sociis contagium allatura, aut me ministrum minime idoneum Religioni saltem reddituram ingrediens Religionem, aut ante professionem: Aliquod impedimentum à Religionem me excludens obticui: Professus, omnino Religionis constitutiones obseruare contempsi, nec curavi vim inferre desidia ad perfectionem enitendo: Bona contra votum paupertatis in re graui sine facultate retinui: Rebus illicitis, (ad quas facultas non valet) impendi: Prohibitibus meis constitutionibus stipendium pro ministerio admisi, scandalo præcipue subsecuto: E monasterio, aut socio aliquid in materia graui surripui: Aliquid tanquam proprium Prælati dispositioni liberæ non subiciens possedi: Pretio exhibitio ad Prælaturam suffragia comparavi: Eligendum curavi indignum: Sextum præceptum transgressus sum adiiciens voti castitatis circumstantiam aut solemniter, aut simpliciter emissi: Obedientiam præceptum perfrégi: Ex formali contemptu non obedi, etiam si præceptum non adhiberetur: Ex officio suggestum concionaturus ascendi sine Ordinarij licentia: seu sine Prælati expositione: Contra expressam Prælati prohibitionem, siue sine Ordinarij facultate confessiones audiui: Ex propria Religione ad alteram, non obstantibus censuris, transire attentavi: Occasionem, seu causam consulto exhibui, uti à Religione detorbarer, tanquam à correctione alienus: Sine causa in Societate I E S V dimissorias literas obtinere curavi: Aliquem casum eorum, qui à iure assignantur Religiosis obseruandi, perfrégi: (hosce casus Azor tom. 1. lib. 12. cap. 13.

266 *Moralis Theologiae, Tract. II. Peccata,*  
quæst. 5. recenset.) Professus Choro addictus Canonicum  
Officium non persolui *toties.*

53.  
*Monialium.*

*Quando autem graviter Moniales delinquant?* Cubile, aut  
supellectilia, aut quoduis aliud, quod Prælatus tollere  
non posset, habui: A Monasterio accipiens necessaria,  
græue aliquid sine licentia accepi: aut obtenta ad ne-  
cessaria subsidia facultate, illicitis pecuniam impendi:  
A socia rem grauis momenti eripui: Abbatissa cum es-  
sem, Monasterij redditus malè distribui, mihi vsurpau:  
Scandalosè amasium habui: inij vltro citroque pericu-  
losam amicitiam: Alterius monialis iniquæ locutioni  
cum Religioso aut seculari subsidium addixi: libidinem  
sociæ operui, ei auxilium, aut consilium offerens: Inor-  
dinatum cum socia moniali, aut seculari foui amorem:  
Prælatæ procaciter respondi, *Nolo*, cum iustum esset  
quod imperaret: Prælato inquirente de aliquo delicto,  
operui illud, cum tenerer exponere: Extra Chorum of-  
ficium Canonicum post professionem non recitau, vbi  
ex consuetudine obligata essem: Tempore electionis  
discordiæ iniustæ auxilium exhibui: immeritam elegi:  
discordias inter sorores seminavi: Prophanis vestibus  
vsa sum, & prohibitum, aut indecentem habitum intro-  
dixi: Clausulæ transilij terminos: Ostiaria alicui illi-  
cito cooperata sum: sine necessitate aliquem ad clau-  
stra admisi: Me facilem agnoscens circa sociarum cu-  
stodiam, ostij curam admisi, cum mihi iniunctum fuit  
ministerium ad placitum *toties.*

54.  
*Religioso-  
rum Mi-  
litarium.*

*Quidnam de Religiosorum Militarium grauibus transgressio-  
nibus?* Mediis prohibitis, falsis instrumentis subornatio-  
ne testium Equestrem Ordinem inij: Professionem emisi  
sine intentione præstandi promissa: Votum violau, aut  
vouisse me dolens, vitam omnino secularem statui: Pro-  
bationibus aliquibus incumbens, terminum sine necesse-  
sitate protuli, plus expensarum accipiens, quam par-  
erat: sine dispensatione Papæ sacris sum initiatus,  
Presbyteratu quidem, ac sacro Ordine cum Militia  
non congruentè: sine urgente causâ Crucem Equestris  
Ordinis

Ordinis signum manifestè non prætulì: Præceptum graue Prælati ad mortale obligans violauì: Ad tribunali iudiciale Equitem aliquem D. Iacobi, aut Alcantaræ, aut Calatrauæ indebitè vocauì: aut à proprio iudice propriam causam alieno tribunali addixì, cum iustè aliquid mihi præcipiebatur, aut iusta animaduersione afficiebar: Priuilegiis grauibus Ordinis renunciauì: Eques vel Sacerdos, seu Commendatarius admonitus defensionì Ordinis contra Obedientiæ præceptum operam non impendi: Votum coniugalis castitatis violauì: Religiosus quidem, sed non coniugatus quodlibet graue contra votum perpetravi: Vxorem absque licentia, ac sine episcopica duxi, scandalo, aut inconuenienti graui oborto: Vouens paupertatem, obseruandi voti non habui intentionem: Annis singulis bonorum patrimonialium, quæ possidet, inuentarium Magistro Ordinis non præsentauì, aut præsentari curauì: Prouinciæ Priori mei Commendati decimas non persolui: Frater contra præceptum Obedientiæ processioni Corporis CHRISTI non interfui: (modò non sit vsu abrogatum:) Duellum Eques admisi: Violentas manus cuiilibet aut Equiti, aut Clerico S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, aut Montefæ imposui: Commendatarius, seu Commendati administrator cum sim, ex Ordinis intentione ter in anno elemosynam non feci: Priuilegiorum receptor, aut Commendatarius instrumenta publica non recepi, & custodiui contra Obedientiæ præceptum *toties.*



## CAPVT VI.

*De Peccatis Mortalibus secularis Communitatis,  
scilicet Collegij, Vniuersitatis, &c.*

55.  
*Togatorii  
praxis.*

*Quenam gratia crimina Togatorum, seu Collegij alumno-  
rum secularis? Cognoscens me statuti Collegij requi-  
sitas qualitates non habere, scienter togam consequi  
curavi, Collegium inij: Ut admitterer titulo paupertatis,  
bonis renunciaui, quæ possidebam cum recuperationis  
pacto: subornationibus vsus sum iniuste ad cathedra  
consecutionem, non quidem ad iniustam vim, seu  
vexationem propulsandam: Graue intuli bonis, quæ  
administro, damnum: In oppositionibus falsa, aut leuia  
quidem, queis Cathedram oppositores amiserunt, eis  
imputaui: Ut ad me allicerem auditores, alterius Ma-  
gistri aut oppositoris defectus falso euulgauit, aut veros  
celandos aperui: Ex oppositoribus Collegij minus di-  
gnum, & idoneum admisi, ut Nationis consulerem af-  
fectui, eo reiecto, cui ex iustitia toga debebatur: Cum  
scandalo foui Nationum discordias: affeclas prouoca-  
ui, ut contrariis, eorumque patronis iniustiam infer-  
rent: Aliquid contra iuramentum præstitum gessi, aut  
contra statuti periurij pœnam: Elegi ad togam indi-  
gnum planè: In animi præparatione adfui, ut vouerem  
contra aduersæ ditionis votum iustum, vel iniustum: Cu-  
raui fieri statuta bono communi aduersantia ob com-  
moditatem propriam: Capellæ secreta contra iura-  
mentum aperui toties.*

56.  
*Magistro-  
rum.*

*Quid si Magisterio fruuntur? Docturus alios nimis me  
desidem exhibui circa literarum studium, vnde gra-  
ue discipulis damnum obortum: In discipulorum  
conspectu scandalosè degi, prauis quidem actioni-  
bus meis in discipulorum effrænationem influentibus  
toties.*

*Quando*

Quandonam Scholasticus grauiter delinquit? Cum iuramento discursus alterius aut falsò, aut non cum bona fide confirmari: Postquam fui matriculæ addictus, iuramento exhibito Rectori non obtemperavi, cum sub pœna præstiti imperaret: Omnino ab studio recessi paternorum bonorum dissipator: Suffragium vendidi iustum: Iniuste suffragium adhibui non merito, aut merito quidem, sed plus merito relicto oppositore toties.

57.

Scholarum.

CAPVT VII.

De Peccatis grauibus Regiminis Vrbiũ.

Quenam sunt graua Prætoris, aut Magistratus crimina? Publica officia sine auctoritate vendidi: Magna munera à ministris Reipublicæ accepi: Indignis officia publica in damnum commune contuli: Deses nimium fui circa ministrorum correctionem, ne iniustitia pauperibus inferretur: Non præcaui aut assistentia, aut commissione, ne officinis publicis scandala, rixæ, homicidia exorirentur: Pretia ciborum non moderavi, aut corruptos cibos non reprobavi, graue quidem damnum illaturos: Carcerem non inuisi, vt grauis vexatio vinculis non adderetur ob lucrum Præpositi, peccatæque propulsarentur, ablegatis mulierculis, &c. Omisi etiam inuisere publica hospitia, vbi mulieres profligatæ assolent habitationem grauissimo incommodo collocare: Ex Vrbe non deturbavi vagos inferentes Reipublicæ nocumentum: Peccata publica non puniui, ludos prohibitos non propulsavi: Non consului vtilitati pauperum, dum curarem milites iuste distribui ita inter ciues, vt pauperes leuamine donarentur: Die festo actum iudicarium feci, pietate, aut necessitate minimè cogente: Pœnam civilem, aut criminalem, quam debebam imponere prætermisi: Contra iuramentum aliquid graue

58.

Magistratus.

270 *Moralis Theologiae Tract. II. Peccata,*  
 graue praestiti, aut omisi: In senatu non repressi eos,  
 qui propriae passioni, non iustitiae suffragabantur; nec  
 prohibui senatores propriis Urbium videntes, vexantes  
 pauperes, à publicis horreis frumentum auferentes, aut  
 non soluentes debitoribus: Haud curavi horrei publici  
 triticum pauperibus distribui: aut eos, graui oborto  
 incommodo, non breui temporis interstitio iudicatos  
 emisi; Non repressi, aut puniui famulos, seu ministros;  
 qui vel ingressum ad tribunal vendunt litiganti: Aduo-  
 catum egi ipsa in causa, cuius fui iudex: Reum interro-  
 gaui quod non poteram, nec reus debebat respondere:  
 Graui dubio oppressus doctos non adij: Assessorem ad-  
 hibui sine graui causa litigantium expensis: Praetextu  
 testimonij exquirendi, foeminam ad domum propriam,  
 ad usum prauum adduxi, seu ad illius domum diuerti:  
 In sententia ferenda aliquam ambiguum clausulam  
 consultò adieci, vnde graue incommodum alicui proue-  
 nit toties.

59. *Quosnam Senatores reos grauis criminis aestimas?* à Graues  
 Senato-  
 ris. ciuitatis leges nec calleo, nec custodio: Ad Curiam Re-  
 giam ad negotia mihi & Reipublicae communia contra  
 l. 22. tit. 3. lib. 7. recop. Reipublicae expensis me contuli:  
 Curam defensionis communi non impendi, vim poten-  
 tium non frangens, cum possem; vnde graua Vrbi in-  
 comoda obuenerè: Suffragium dedi iustitiae graui ter-  
 nocenti: Officia publica graui nocumento oborto, in-  
 dignis exhiberi curavi: Cum teneret, publica crimina  
 abolere neglexi: Consultò à Senatu abfui, cum Reipu-  
 blicae causa gereretur, ob huiusmodi quidem absentiam  
 graui malo exorto: Communibus in distributionibus  
 sumptuum, aut gabellarum aequitatem non seruaui, gra-  
 uiter hos aggrauans, vti illos possem subleuare: Reipu-  
 blicae bona in graui quantitate vsurpauì, retinui: Cum  
 ex officio deberem, non curavi de ponderum, de men-  
 surarum aequitate: Pretiam accepi pro publicorum  
 munerum assignatione, cum gratis deberem idoneos  
 Reipublicae ministros addicere: in suffragiis proferedis  
 iniustam

iniustam in re graui causam defendi, quia aduersarius Senator contrarium assererat: Magistratum impediui, ne flagitiosos supplicio afficeret, graui inde damno excitato: Effeci, aut permisi meos famulos potiores fori cibos emere, vt carius vendant, quam emptores à primo vendente acciperent: Senatus arcanum re in graui violari non fugi, vnde rursus Senatores non audent liberè suam mentem depromere: Accepta ad emendum triticum pecunia, non empfi: aut ex horreo publico triticum abstuli, nec restitui, cum pauperibus necessarium esset: Eleemosynas publicas pauperibus veris non erogauit, sed famulis, aut consanguineis haud pauperie laborantibus: Crimine venatorum, aut aliorum officialium grauia quidem dissimulaui, vt gratos mihi tributarios haberem: Cum consanguinei, aut amici causa iniusta in Senatu geritur, consulto à congregatione abstinaui, ne contradicere cogerer: Munia onerosa iis iniungitur, quos odio prosequer: Empfi publici muneris occasione pretio minori, quam æquum erat, & maiori vendidi: Grege prohibitis pascuis introduxi, graui damno oborto: Aliis propria onera, aut propinquorum graui iniuria impolui *toties.*

*Quando delinquit mortaliter Scriba Senatus?* Iuramentum de munere rectè gerendo, arcanoque custodiendo violauit: Plus pretij graui soluentium incommodo acquisiuit, quam ex taxa debebatur: Ignorauit constitutiones capitulares, regalia instrumenta bonæ negotiorum expeditioni necessaria: Mea incuria, seu iniquitate regij reditus, aut Reipublicæ grauius imminuuntur, cum traduntur emporibus: Suppressi petitiones inimici graui damno secuto vt perlegat amici codicillum: Tributarium aliquem aboleui à matricula, regij iniuria patrimonij: Non curauit, vt transgressores Constitutionum punirentur, quia amici, aut propinqui; constitutiones quidem operiendo, quas manifestaui, vt inimici supplicio afficerentur *toties.*

non illi, inuoluntate, aut inuoluntate  
CAP. VIII.  
270

60.

Scribe  
Senatus,

## CAPVT VIII.

*De Peccatis Mortalibus quorundam Ministeriorum  
Reipublica.*61.  
*Tutoris  
praxis.*

**T**utorum grauia expende peccata. In re graui iuramentum factum violauit: Inuentarium non illico bonorum pupilli construxi, graui damno accedente: Dedi pupillo plus nummorum, quàm ad recreationem iustam opus erat, sine iudicis auctoritate graui patrimonij iniuria: Non curauit pupillum bonis moribus educari: Decimam accipiens, debito tempore fructus non vendidi, graui incommodo exorto: aut vt proprio commodo consulerem, in tempus importunum fructus reseruauit: (quo tempore debeant venditioni exponi docet Molina tom. 1. disp. 224.) Reditus patrimonij luerationi non tradidi, vnde augeri deberent: aut debita liquida non comparauit: Bona alumni mihi propria empfi auctoritate, aut ad lucrum accepi rectitudine non seruata, iuxta communem æstimationem: Bonorum pupilli rationem cum solutione non exhibui, graui eius iniuria: Exegi ab alumno, dum sub mea potestate, vt mihi donaret graue aliquid bonum: Lites iniustas excitauit, ob indebitam bonorum acquisitionem toties.

62.  
*Testamē-  
tarij.*

*Quid de grauib. Testamentarij culpis?* Post annum distuli testamenti executionem: Curauit prius legata gratiosa impleri, deficiente fortasse pecunia ad debita soluenda: Legata gratiosa non solui, cum possem, cogens accepturos iniuste insumere, ob acquisitionem: Mea notabili negligentia vendita non fuere bona defuncti: Distuli planè emptionem, vt postea mihi minori pretio valerem acquirere: Mea iniuria fructus periire: Viduam & pupillos, cum deberem, ali non curauit: Pro Missis offerendis aliquid assignatæ elemosynæ abstuli seu Sacerdotis

Sacerdotis iniuria, seu defuncti, cum adfit periculum ne non integrè satisfiat obligationi: Cum deberem Paschatis v.g. instantia eleemolynam erogare, nimium distuli, proprium curans emolumentum, aut pauperibus graue incommodum afferens *toties*.

*Præpositi ararij quandonam lethaliter delinquant? Ut soluerem quod debebam, & moneta, qua eram obligatus, pretium exegi pro debito præstando nihil accipere debens, nisi mihi gratuito, & sine vlla exactione, aut obligationis respectu traderetur: Anticipata solutione, ab hoc recepi munus, dum alteri, cui debetur ideo suo tempore non solui. Solutionem vili effeci moneta, quam argentea debebam, haud præmij addito excessu: Usuram committens aliquid percepi, vt præstarem inducias debitori, cum ideo specialiter alteri creditori non possem debito tempore satisfacere: Cum nummi non sufficerent singulis creditoribus, haud solui vnicuique pro rata; sed vni, aut alteri solummodo in integrum aliorum iniuria, aut proprio commodo, accipiens scilicet pretio pro beneficio: Instrumenta seu literas decretæ pecuniæ reieci iniuste, aut admittere tardavi, graui incommodo creditoris *toties*.*

*De Regalis patrimoniij Administratore quid adiciis? Ministros idoneos, ac fideles non assignaui, graui quidem incommodo aut regalium prouentuum, aut agriculturalium, vel eorum, à quibus exiguntur: Ob assignationem horumce ministrorum mercedem accepi, ipsis pauperes expilaturis, vt pretium datum pro munere recipere valeant: Ab Ecclesiasticis exegi, haud seruata eorum immunitate.*

*De Portus sicci Præpositis adiciis. Mercium pretium ce- laui, vt cariores haberentur, accipiens quidem ab asportante pretium latrocinij: Vilipendi merces iniuste, vt minori pretio haberentur; aut cariores ostendi contra iustam æstimationem: In alia Regna prohibita asportari permisi, aut ad Regnum hoc transmitti, quod legibus grauibus inhibetur *toties*.*

63.

Præpositi  
ararij

64.

Admini-  
stratoris  
Regalis  
Patrimo-  
nij.

65.

Præposi-  
ti Portus  
sicci.

## CAPVT IX.

*De Peccatis mortalibus circa Medicinam.*66.  
*Medici  
praxis.*

**Q**uando Medicus mortaliter peccat? Sine sufficientia graues tentauit curare ægrotudines: Non præcedente studio, examine non adhibito, in graue discrimen ægrotantem induxi: Oblata grauis aut insolitæ ægrotudinis occasione, haud speciali studio operam impendi: Priusquam mihi uiderer ægrotudinem dignouisse, temerè remedia periculosa adhibui: Agnitò ægroti periculo, aut non adhibui necessariam curationem, aut non adfui ægrotanti opportunè, aut non permisi alium Medicum adhiberi, seu auaritia, seu iactantia, seu inimicitia: Alios Medicos vituperio affeci, uti eorum famam obnubilarem: Agnosceus ægroti periculum opportuno tempore non admonui, ut spirituali ille curationi operam impenderet: Curationem prolongari procurauit, ut quæstus accresceret: Medicamina ignota temerè adhibui, uitæ discrimine manifesto: Ægrotò suasi, malum aliquod intrinsecè exercere, ad ægrotudinem propulsandam, & ad foetum seu interficiendum, seu loco mouendum ante & post animationem: Ut pharmacopolam mihi conciliarem, curauit nimium pharmacorum insumi; pharmaca inutilia non reieci; aut pharmacopolium iniuicis publica auctoritate; iniuste peregi ministerium: Plures ægrotos curandos suscepi, quam poteram, cum adesset alius Medicus, qui succurreret, graui inde oborta ægri incommoditate: Facile sine necessitate edendi carnes, aut non ieiunandi veniam dedi: Mea culpabili incuria decessit ægrotus: Ægrotantem pauperem præcipue in periculo constitutum contempsi: Ex odio aut uindicta ægrotò debita medicamina non adhibui: Immaturè ab ægrotò vno discessi, ut alterum curandum susciperem, priorj constituto in eo periculo, ut

aut

*Exam. III. De Peccatis Mortalib. cunctis. 275*

aut diem suum obiret, aut diu infirmitas proferretur: Ob curationem exegi mercedem immoderatam, speciatim à paupere: Defendendæ, ac confirmandæ opinionis causa, audiens opportunius alterius Medici consilium, à propria sententia non cecidi, oborta inde magna ægroti incommoditate: Econtra facile me aliorum opinioni accommodaui, quam minimè securam in praxi cognoscebam: Falsò iuravi vulnus aliquod non esse lethale, vnde læso graue redundauit incommodum: Iurata statuta Medicorum violauit, aut obseruanda non agnoui: Curaturus foeminas ipse animo ægotauit: Corruptas mulierculas prostitui permisi, graui iuuentutis læsione toties.

*Græua Pharmacopole delicta recense.* Inscius & non examinatus munus exercui: Sine arte medicamina condidui: Melle in potionibus pro saccharo vsus sum: Vnum medicamentum pro alio contra Medici præscriptum, aut ex opinione, aut ex penuria cum damni grauis periculo adhibui: Medicamina ad non generandum, aut ad vtero mouendum dedi: Ignoto venena cum periculo grauis damni inferendi porrexi: Pharmaca damnificata, aut inutilia vendidi: Pondere aut mensura ementi graue intuli nocumentum: Medicum alexi, vt medicamina pretio immoderato taxaret vltra iustum valorem: Aquam naturalem pro medico herbarum aut florum succo ægotantis incommodo, pretij iniquitate reddidi: Aliter infirmos seduxi graui iniuria redundante: Pecuniam alteri commodaui ex pacto ad meum pharmacopolium accedendi: Grauius festos dies sine necessitate violauit toties.

*Chirurgi grauia crimina aperias.* Sine scientia, aut practica, aut examine vulneribus curandis dedi operam, graui erroris periculo: Medicum egi, quando necessariò erat ille consulendus, præcipuè si vulneris grauitas exigebat: Meo piaculo, seu lucri prætextu curationem prolongari effeci: Me immodestum grauius circa foeminarum curationem exhibui toties.

67.

Pharmacopole.

68.

Chirurgi.



69.  
*Tonsoris.*

*Quid de Tonsoribus?* Fœminæ venam abortus causa scidi: Sanguinem emitti feci, sine Medici, aut Chirugi consensu, non exigente angina, aut dolore lateris effrænato, aut alio casu repentino præsentaneam sanguinis emissionem requirente: Me immodestum ostendi, dum fœminis remedia adhiberem, vnde grauitè læsi castitatem: Chirugi munus ausus sum exercere nec examinatus, imo ignorans, haud magna necessitate: Pupillum arti ediscendæ deputatum pretio exhibito, non edocui, potiùs aliis ministeriis tanquam merè famulos addixi contra artificum vsu: Aliam, quam imperatus sum, venam scidi, dum grauitè obesse curationi scirem, aut timerem: Publicè diebus festis aperto ostio, (& non occultè ex necessitate aut vsu, barbam rasi, aut aliud seruile præstiti seu geri imperaui *toties.*

## CAPVT X.

*De Peccatis Militia.*70.  
*Ducis  
praxis.*

*Deus crimina grauia recenset.* Militum mortuorum, aut fugitiuorum stipendium mihi applicaui: Pro mercede effeci, vt milites vno in populo non diuersarentur, onere illo alteri iniustè imposito: Duplicatum, triplicatumque hospitium vni militi adscripsi; vt ille vna domo receptus reliqua hospitia pretio redimerent, quod ab ipsis recederet: Iniustè ciuitatem, seu populum quemlibet militibus dedi spoliandum: Furta, alias ve militum iniustas actiones dissimulaui: Plusquam duos famulos habui, qui regali mercede degerent: Chirugi, eum non adesset, aut Capellani absentis stipendia accepi *toties.*

71.  
*Militis.*

*Quid de Militum delictis?* Dans nomen signo, vt mercedem quotidie acciperem, accedente pugnandi occasione, fugi: Hospitantibus iniuriam intuli, eos expilando, coniugem aut filias ad turpia alliciendo, aut exigendo:  
A blasphem

A blasphemia graui, & periurio non abstinui: A ludis prohibitis non recessi: Permissos peruersè exercui, graui fociorū iniuria: Duplicem hospitio domum accipi, vt iniquo quæsiui darem operam: Bello iniusto operam nauaui: Mecum veritus non sum asportare meretrices toties.

C A P V T XI.

De Peccatis Mortalibus Agricola.

Quoniam modo grauius delinquit Agricola? Dies festos non custodiui, haud urgente necessitate: Cū adesset grauis necessitas mala fide ex ignorantia laboraui: Non ieiunaui quando Ecclesia imperauit, falsò mihi persuadens, ad ieiunium teneri, etiam si eodem die operi incumberem: Confirmationis Sacramentum contempsi: Non solui Decimas: Parocho graui in re non obtemperaui: Ligna, aut manipulos messis, in graui materia furripui: Sine auctoritate animantia gregis alieni necaui, grauius percutiendo, oborto proximi incommodo: Fundi alieni maceriem comminui, vnde fructus graue acciperent nocumentum: Fundum proprium propagaui communium bonorum iniuria, aut alienum conductum destruendo: Pecora messibus alienis addixi, ex grauis incommodi cognitione: Ob temporum incommoda, aut in blasphemiam, aut in stulta verba in elementa Dei opera prorupi: Maledictis affeci pecora, reputans falsò semper me lethaliter delinquere: Falsum testimonium contra proximum in materia graui protuli, siue simplici verbo, siue addito periurio: Alios ex inuidiæ, aut vindictæ affectu iniuste accusaui, vnde præter irrogatam iniuriam, necessum fuit accusato sumptus impendere: Superstitionibus operam dedi: Non impleui labore meo mercedis quantitatem, graui

72.  
Agricola  
praxis.

278 *Moralis Theologie Tract. II. Peccata,*  
proximi damno: Iustas gabellas, ac tributa non solum  
toties.

73.  
*Lacus  
vuarum  
præparati.*

Quia si Agricola lacui præsit, ubi vna exprimuntur? Sine  
utilitate aquam musto admiscui: Mustum deterius, seu  
aqua admistum, quod ex reliquis vuarum agricolæ fa-  
mulis assolet elici, musto bono addixi, ut vtrumque uti  
bonum æquali pretio venderem graui equidem damno  
emptori oborto: Cùm emptorem vino bono potassem,  
ut eligeret, postea deteriori admisceri curavi, ad quæ-  
stum iniustum comparandum: Mustum acidum, aut  
debile condimento lædenti præparavi in ementis iniu-  
riam, cui post breue temporis interstitium merces pe-  
riit, toties.

74.  
*Custodis  
agrorum.*

De agrorum custodibus quid adiciendum? Muneris mei  
obligationem communi incommodo nesciui: Iuramentum  
de munere fideliter exequendo violavi: Vi pecu-  
niam agricolarum, venatorum, aliorumve sine iudicis,  
auctoritate exegi: Accepi munera, ne munus rectè exe-  
rerem, graui exorta læsione: Læsores agrorum non ac-  
cusavi: Accusato reo, pro mercede exhibita, ab accusa-  
tione recessi: Iniuste ex odij affectu proximum inno-  
centem accusare veritus non sum: Communes montes  
ob questus spem comminui dissimulavi toties.

C A P U T XII.

De Peccatis Mortalibus Mercatorum.

75.  
*Mercato-  
ris praxis.*

Vndenam Mercatores peccato lethali illigantur? Venenum,  
aut prohibita quæque ex suspitione pravi vsus  
vendidi: In animi præparatione vixi, ut quodcumque  
pretium iniustum potuerim exquirere ab emptore, non  
præmitterem: Anticipata solutione empsi, quod tra-  
dendum erat postea ultra infimum pretium: Ultra su-  
premium vendidi, quod post tempus soluendum esset:  
Hostibus Christicolarum bellica vendidi instrumenta,  
munitionis

munitiones, &c. Mercium grauem occultum defectum non aperui: Ponderus, & mensuram grauer inminui: In preparatione animi sui leuiter saepe defraudare, vnde grauis Reipublicæ iniuria resultat: In emptorum iniuriam Monopolium iniustum constitui, non vendendas merces, nisi tali exhibito pretio: Merces sanctas mihi comparari, immoderato quaestu prohibito vendendas: Minori pretio ab eo, qui merces non agnouit empsi, & cariori vendidi ignoranti: Verisuram feci, vendendo pretio maiori soluendo in futurum, quod mox redemi exhibito pretio minori: Aliquid vendidi valoris deterioris pro alio, aut qualitatis, aut durationis & utilitatis: Merces vereres, exhalatas, & inutiles bonis admiscui, vt eodem pretio venderem vtraque: Inita societate, socios grauer læsi, infideliter gerendo ministerium: Societatis fictitiæ ini contractus palliata vitia: Iniuste assecurationes capitalis & lucri factæ sunt mea iniquitate: Iusta tributa defraudau: Tempore debito non solui graui damno creditoris, qui protestationem incommodi gessit: Mercibus solui, quod pecunia soluere debebam, contra creditoris voluntatem: Læso iure, aut consuetudine diebus festis empsi, & vendidi publice: Ecclesiã irreuerentia graui domum feci mercaturæ: Iurã falsò, me tanto pretio merces empsisse, quas credulus mercator eodem, aut maiori grauer quidem læsus acquirit: In concursu mercatorum ad aliquas merces comparandas licitatus sum fictè, vt alter affectus ad merces cariori pretio emeret: Dubitans de iustitia contractus ausus sum perficere: Prauis contractibus operam adhibui: Furtiuum comparari, aut dubius quidem non prius de venditionis iustitia periculante feci: Vendens ex commissione carius vendidi, quam imperarer, excessu pretij mihi asseruato: Quia iniusto quaestui indulgere curari, merces non sunt venditæ commissa, quæ postea aut periere, aut deteriores sunt effectæ toties.

Crimina lethalia exprime eorum, qui ad mercium consumptione rateris  
ne n mercium.

280 *Moralis Theologia Tract. II. Peccata,*  
*nem emptores quarunt, & alienas merces offerunt. Contractum*  
*vsurarium fieri curavi, eique opem tuli: Mercem mihi*  
*empfi, vnde non requisivi alium emptorem, qui pretio*  
*maiori acciperet: Affirmaui non adesse emptorem, qui*  
*è tanto pretio excederet, mihi graui excessu reservato:*  
*Iniustas versuras, quod Hispanicè exposuero Mohatras*  
*promoui: Cambiorum siccorum contractus excitaui*  
*toties.*

### CAPVT XIII.

#### *De Peccatis grauibus Artificum.*

77.  
*Argentarij pra-*  
*xis.*

**Q**uandonam delinquat *Argentarius*? *Æs vile pro auro,*  
*aut argento vendidi: Auro aut argento plus vilis*  
*æris admiscui, quàm ars exigit: Emptoribus non de-*  
*claravi admixtum, aut pretium non imminui: Ex furto*  
*mala fide aliquid empfi: Monetam conflaui; constam*  
*imminui effeci, ære sublato: Communem lapillum*  
*pro pretioso vendidi, aut pretiosum empfi pro vili:*  
*Gemmas super aurum non collocaui, sed super æs vile,*  
*dum eidem ponderi vtrumque erat addicendum: Deau-*  
*raui, aut argentaui contra legis præscriptum vilioris*  
*æris monetam: Aurum non debito valore elaborari*  
*effeci toties.*

78.  
*Bibliopole.*

*Bibliopole indica graues transgressiones. Libros alterius*  
*Regionis vbi fides non viget, cum periculo suspectæ do-*  
*ctrinæ asportauit, vendidi, aut venales exposui: Allatis*  
*è Regno extraneo libris, operis auctorem qui in Hispania*  
*edidit, impediui, quo minus volumina vendere valerent,*  
*aut imminui pretium effeci: Libros prohibitos*  
*vendi curavi; aut lasciuos tractatus, qui graue*  
*nocumentum afferre assolent; aut sine auctore*  
*librum vendendum assumpsi: Defectuofum librum*  
*pro integro tradidi, graui incommodo legentis: Ex-*  
*purgatorium librorum catalogorum nec habui, nec*  
*emendari*

*Exam. III. De Peccatis Mortalib. cunctis.* 28  
emendari libros iuxta illius præscriptum procuravi  
toties.

*Quid de Typographo?* Sine auctoritate indulgentias,  
aut deuotiones excusi: Librum ementita uerbe edidi, vnde auctori graue nocumentum exurgit, qui multiplicatis voluminibus sua non potest vendere: Mihi contra auctoris voluntatem aliqua volumina retinui, licet papyrum adhibuiffem: Papyrum bonum cum prauo commutauit: Vile atramentum mox periturum adhibui toties.

79.

Typogra-  
phi.

*De Pistoribus quidnam?* Amasiæ formam amanti tradidi: Viles colores post paruum interstitium mortu-  
ros apposui, prauo lino, inuiti præparatione: Nudas imagines occasionem scandali grauis expressi: Dies festos non ediscendi gratia, sed lucrandi feruuliter viola-  
ui toties.

80.

Pistoris.

*Quando nam grauiter delinquat, qui ludo chartarum mensam exponit?* Consultò admisi eos, qui dominium non habebant, vel mortaliter ludendo peccabant, quia amittebât, quod familiæ sumptui erat necessarium: vnde cogor legibus prohibentibus domos lusorias, comprehendere: Permissi vestes seu ludentis, seu vxoris adduci, vt nummorum loco deservirent: Immoderatè nimis pro lusoriis chartis, aut lucernis exegi: Mulierculas in prauum usum adduci permissi toties.

81.

Ludi  
chartarum  
Ministri.

*Quid de Histronibus?* Mecum amasiam aut publico scandalo, aut coniugis specie duxi: Permissi vxorem dona accipere cum inordinati affectus, & effectus periculo; aut cum adolescentibus aut viris procaciter admiscere sermones: Fœmina vestem virilem immodestè cum scandali grauis occasione prætuli: Versus recitauit, qui ex sese ad intemperantiam excitant: Cum recitabam amorum affectus ex corde loquebar: Hospites debita mercede grauiter defraudaui iter agens, aut in viribus permanens: Sine voluntate parentum huic muneri infami quidem incubui, dum in re tam graui obedi-  
re tenerer toties.

82.

Histrio-  
nis.

83.  
*Obstet-*  
*cis.*

*Obstetricum peccata lethalia recensetas. Sine sufficientia operam impendi: Baptismi formam ignoravi: Obortam difficultatem, quæ requirebat medicum, prætermisi: Secretum violavi, unde grauis infamia exorta: Puellis integritatis simulationem promittendo, mea securitate facilius illæ se violari permiserunt: Falsò iuravi de foeminae integritate iuridicè interrogata, grauibus inde obortis incommodis, quorum rea existo: Infantem vnum pro altero apposui: Pretium, quod ad infantis nutritionem accepi, defraudaui: Dissimulaui mortuum infantem, quem clam nutriendum acceperam, superstitem esse, ut adhuc ad nutritionem pecuniam acciperem: Occasione officij chartas amatorias foeminae alicui tradidi: Ad abortum remedia exhibui seu ante, seu post foetus animationem; vel ad non concipiendum: Infantem communi lapidi, aut alterius portæ cum iniuria apposui, quando proprii parentes eum & poterant, & debebant nutrire toties.*

84.  
*Reliqua-*  
*rum Ar-*  
*tium Me-*  
*chanica-*  
*rum.*

*Debitor cum sim sapientibus & insipientibus, sapientem quidem confessarum grauia commissa aliarum artium moneo, ut scita recolat; insipientem penitentem edoceo quæ quidem committit ignorans. Quid igitur de aliis mechanicis artibus adficiendum? Textor delinquit grauiter, si fila serica, linea, aut lana cum viliori commutat: Si telam pectini contra legem apponit: aut aliquid contra artem, graui oborto incommodo, præstat. Tonsor pannorum non æqualiter tundendo; aut bis tutudisse affirmando, cû non præstitit; aut cardis pilum extrahendo; gummumve graui oborto damno adiiciendo. Latomus seu Cementarius à mercenariis operis mercedem auferendo aut partem quidem, quam à Domino sibi exigit, ac si esset mercenario impendenda; aut domui exædificandæ materialia vetera corrupta adiiciendo, quorum, ut optimorum, pretium accipiunt; aut mercedis laborem non implendo; aut ruinæ domus causam dando, dum inutiliter reparationi incubuere. Faber lignarius vendendo ligna putrida pro sanis; aut opus alienum celsiori seu viliori,*

*Exam. III. De Peccatis Mortalib: cunctis. 283*  
 viliori, quam opus est, pretio taxando; iniuria quidem  
 vel domini, vel artificis; aut in domus euerfione spolia  
 furripiendo. *Sartor* iurando se tali die opus perfectum  
 daturum, quod scit minimè adimplendum; vel dubitans  
 aut plus materiæ exigendo, quam ad opus est necessa-  
 rium; aut aliquid momenti superans sine voluntate  
 Domini, retinendo; aut vestem perdendo; vt aliquid  
 materialium sibi vsurparet; aut dies festos sine graui  
 causa violando. *Cordarum, aut funium artifex* stuppam pro  
 canabi adiuiciendo, vnde funis illico abrumpitur. *Lucer-  
 narium faber* admiscendo linum ceræ excrementis vo-  
 ponderosius, opus pluris sine iustitia æstimeret; aut  
 seuum vel cicerum farinam ceræ iniiciendo; aut resu-  
 nam, seu therebentinam ceræ pallidæ apponendo velo-  
 cius consumendæ; aut plus lini quam ars exigit, in ce-  
 ræ, aut seui subtractionem adhibendo. *Coriorum curator*  
 extrahendo è lacu corium prius quam debet ex lege;  
 aut festa non custodiendo sine necessitate exceptis qui-  
 dem à solemnibus omnium Sanctorum vsque ad Resurre-  
 ctionem, ob solis beneficium; aut lantiscum adhiben-  
 do pro nautea. *Faber ferrarius* clauas efficiendo iis, quos  
 suspicatur, ad opus iniquum abufuros; aut rubra terra  
 æs operiendo, ne rupturæ vasis appareant. *Spatharius*  
 vendendo enses fractas, periculo quidem emptoris,  
 dum oborta pugnandi occasione, in partes diuiditur.  
*Calcetor veterinarius* Soleas ferreas etiam fractas figen-  
 do; aut festos dies sine exigente bestia itinere violan-  
 do grauiter. *Sutor* Soleas grossas findendo: corium  
 combustum pro forti dando; festos dies sine causa gra-  
 uiter, transgrediendo. *Custos ostij ciuitatis* permittendo,  
 merces prohibitas asportari, iuramento quidem fidelitatis  
 violato. *Caiipo* hircinas carnes pro arietinis traden-  
 do; aut vinum nouum pro veterè, seu aqua immixtum  
 dando; aut consultò famulas lasciuas habendo in ho-  
 spitium impudicitiam; vel ludos prohibitos permitten-  
 do; vel latrones fouendo; vel scienter ebrietate afficien-  
 do vinum propinando. *Cesaria* pisces siccos aspergendo;

28  
 dicitur  
 dicitur



speciali affectu acceptavi personas: Præses cum essem gymnasij non imperavi lites seruato ordine discuti, sed inuerti, graui litigantium iniuria: Vincetos sine iustitia, & satisfactione solui, vt pius, ac liberalis haberer: Ministros ad eò protexi, vt illi hoc munimine insolenter fegerent: Violenter sum vsus alicuius famulatu, quem mercedis loco ad commissiones immisi, aut sine necessitate custodem effeci, aut aliquod publicum ministerium iniunxi: Bullas Apostolicas extra casus expressos impediui: Epistolas commendatitias meis litigatoribus contra alios accommodaui, violans *legem 25. tit. 4. lib. 2. Recop.*

87. *Prætoris criminis.* De criminis Prætoris quid? Re in graui aut iuramentum emissum, aut Senatus violauit secretum: Processum ab Ordinario iudice abstraxi, prius quam competentia discuteretur: Appellationem articuli admisi, seu interlinealis sententiæ, quæ diffinitiuæ vim non habet: Iudicem, qui de officio processit ad me redditurum rationem aduocaui: Per me testes non vocaui ad examen; nec vincetos inuisi, vnde illis grauis molestia exorta: Aliquem torturæ addixi, non præmissa sententiâ, & eius notificatione; seu exemptum torqueri imperaui: Vinciri iussi eum, qui per procuratorem poterat respondere, graui ob id aut infamia, aut scandalo oborto: Relatores culpabiliter non audiui, vnde necessum fuit processum ad meam domum cum magna lites suspensione deferri: Munera accipi à litigatore contra *l. 56. tit. 5. lib. 2. Recop.* Vt familiares aut famulos meos alere possem, commissionem eis mercede iniusta permisi: Vincetum ab Ecclesia abstraxi sine causa: Processique ad probationem, prius quam ab Ordinario decerneretur, num Ecclesiæ frui deberet libertate *toties.*
88. *Fiscalis.* *Fiscalis quidnam?* Iuramentum in materia graui transgressus sum: Causas vindicta aut contentione persecutus sum, graui incommodo oborto: Illicitis medijs vsus sum ad caufarum exaggerationem: Ex amicitia causam, quam debebam, omisi, vel quam non debebam, accipi:

accepi: Singulis hebdomadibus simul cum Præfide & Prætoro non perlegi catalogum damnatorum ad triremes, vt eorum causæ concluderentur, ob id graui incommodo reis obuenero viso: Haud lites studere curavi, vnde causæ excidit efficacia: Cognoscens literas Apostolicas non esse contra Regalem patronatum curavi retineri: Munera, aut subornationem accepi contra l. 56. tit. 5. lib. 2. Recop. Aliquid contra Ecclesiasticam petij libertatem toties.

Quonammodo Aduocatus mortaliter peccet? Litigaturos seduxi, affirmans iustitiam esse manifestam, cum aut non aderat, aut dubia erat: Defendi litem iniustam, seu minus probabilem, quando minimè poteram, & debebam de minori probabilitate consulentem admonere: Ob studij defectum falsò de probabilitate causæ iudicavi, quam improbabilem omnino post studium reiicerem: Induxi partem ad pactum, cum nulla iustitia inniti cognoscerem, & nihil ab altero posset exigi nisi parum aliquid, quod gratis fortasse daretur in vexationis redemptionem: Plures causas, quam discutere poteram, suscepi, vnde lites notabiliter suspensæ fuere graui litigantium incommodo: Accepta iusta mercede aliquid vltèrius exegi scribenti ministro contra iustitiam; seu litigatorem coègi, vt informationem ex iure ille scriberet, quam alius minori pretio exararet: Permissi culpabiliter informationes contrariæ parti dari: Mercedem iniustam recepi, dum exaggerarem studij laborem; licet enim contra legem non deliqui nullam certam Aduocato portionem præscribentem, saltè ius naturale violavi: Litigatorem meum induxi ad scripturæ alicuius subtractionem, quam debebam manifestare; vel ad veritatis abnegationem; vel ad prolongationis termini petitionem sine necessitate, solummodo in litis suspensionem: Pactum cum litigatore feci, mihi dandam partem eorum, quæ accepturus erat ex litis victoria contra l. 2. tit. 16. lib. 3. Recop. A pauperibus mercedem exegi, cum deputatus essem eorum causis protegendis:

89.

Aduoca-

ti.

gendis: Iuravi relationes bene compactas esse, quas minimè videram: Leges, statuta, & ordinationes ignoravi, vnde graue incommodum litigatori: Pauperem ob mercedis defectum deserui, qui à causa iusta sine patrono cecidit: Multiplicavi ex quæstus iniusti affectu petitiones: Præsentavi falsos testes, aut instrumenta: Præuaricationem iniuriam, utrumque defendi litigatorem, aut publicè, aut secretò: Arcanum mei litigatoris alteri manifestavi, graui exorto incommodo: Suasi contractum vsurarium licitum esse; vel instrumenta huiusmodi dictavi *toties.*

90.  
*Relatoris.*

*Quandonam delinquant grauiter Relatores?* Ob studij defectum, vel incuriam malè recitavi, seu aliquid substantiale prætermisi: Mea occasione litigantium causæ suspensæ: Relationes extra domum scribi effeci, vnde contrarius possèt perlegere graui alterius incommodo: Falsò affirmavi instrumentales facultates originales à processu extractas esse, & in eodem transcriptas remanere: Partialis fui, plus conatus impendendo in explicanda vnus iustitia, quàm alterius, seu dicendi modo, seu de vno loquendo, quando iudices confabulabantur; de altero, quando intentis animis aderant: Sententiam meo litigatori manifestavi, priùs quàm euulgaretur; vnde possèt iudicem recusare, aut pactum contra alterum inire: Munera accepi etiam comestibilia, mercedis loco minimè donata: Mercedem pro labore nimiam exegi contra *l. 19. tit. 17. lib. 2. Recop.* Accepta iusta mercede rursum accepi contra *l. 24. tit. 17. lib. 2. Recop.* Foliorum regulas imminui, futuras planè triginta tres vnus cuiusque pagine *toties.*

91.  
*Secretarij.*

*De Secretariis quid adiciendum?* Iuramentum factum grauiter læsi: Arcanum violavi: Sententiam nondum euulgatam manifestavi: Munera prohibita accepi: Plus mercedis exegi, quam debebatur: Paginam triginta trium regularum, quarum singulæ decem verba, seu partes habere debent, imminui, graui oborta iniustitia: Instrumenta originaria processui addixi, cum transcribere deberem:

deberem: Diligenter processus, ac sententias non custodiui, sed litigatoribus sine iudicum præscripto tradidi: Negligens grauius fui circa causarum perfectionem, vnde illatum nocumentum: Processus taxatos iam Relatori, non commisi, vnde ille posset iniuste plus mercedis pro pagina diminuta exigere: Transcriptores non solui, vnde à litigatoribus illi rursus exegere: Haud frequenter officinæ adsum, testes ipse quæsiturus: Testimonia ad vnguem non transcripsi, graui inuersione, aut exaggeratione, aut diminutione superaddita: Mercedem exegi ob processorum custodiam, aut propter inquisitionem contra l. 17. tit. 20. lib. 2. Recop. Mercedem exquisiui quando ex l. 26. 21. 25. & aliis tit. 20. lib. 2. Recop. non poteram: Statuta, & leges, quas callere tenebar, ignoravi toties.

Tabellionis præterea crimina grauiora expendere. Iuramentum emissum in re graui transgressus sum: Sine sufficienti peritia me causis immisi, clausulis communibus scripturarum minimè cognitis, & sine literati consilio: Scripturas summam accepi, nec postea feci plenam, vt à partibus firmarentur: Addidi, aut detraxi aliquid magni ponderis in depositione testium; ministroque transcriptori examinationem commisi erroris periculo: Iudici coram tribunali non verè, & sine meditato inuolucro causam manifestavi, graui veritatis læsione: Culpabiliter non assistens tribunali mercedem exegi, vt processum ad domum iudicis reportarem: Diligenter protocola non custodiui, vnde postea grana exoriantur incommoda: Combussi, comminui, abscondi scripturam aliquam vtilem alicui, graui incommodo obuiente: Vexaui differens causarum cursus, vt pecunia iniuria redimeretur: Cum Officiali Præfecti egi informationes, aut vincendi aliquem mandata confinxi, sine iudicis auctoritate: Denunciatores confinxi, vt portionem subriperem denunciatoris: Iudici recens aduentanti, prauo zelo crimina enunciaui, vt nummos exquirerem, non vt delictis medicinam adhiberem: Muneris titulo iniustitia

92.

bellio-  
nis.

iniustitia operam nauavi, aut vindictam sumendo, aut illicita perpetrando: Præscriptam mei officij taxam grauius læsi: Permissi officiales meos solutionem accipere, quando ipse integram iam acceperam: Ob Scripturas quærendas nimium mercedis exquisiui, fingens non comparere, uti maiori pretio illa vexatio redimatur: Depositum litis accipiens, non illico suo tempore solui, vnde coactus Dominus, superflui sumptui operam dare: Pauperes desolatos non iuui, vnde periit eorum causa: Muneris publici occasione fructus meos maiori pretio, quàm æquum erat, vendidi, aut accepi minore: Extravrbem egrediens alicuius gratia executionis, alia negotia simul expediui, posteaque vniuscuiusque diei mercedem duplicatam, aut triplicatam accepi; quando proportionem seruata debebam sumptus imminuere: Prohibitorum contractuum instrumenta confeci: Testamentum alicuius scripsi, qui rationis vsu carebat: Testes falsos accepi: Vnius damno graui alterius prece aliquod testimonium necessarium non exhibui: Solemnitates necessarias ad scripturæ valorem ex ignorantia culpabili, aut malitia præterij: Necessitate non urgente solemnem diem iudicialis actibus grauius violau: Ex malitia causarum piarum legata non manifestau toties.

93.  
Procuratoris.

*Quid de Procuratore?* Litem iniustam procuravi: De pacto curavi, quando litigator meus à iustitia ceciderat: Suscepi plurius causarum procuracionem, quàm vtiliter possem: Plus mercedis, quàm iustum exquisiui: Iniuste reum veritatem suam abnegare: Curavi pacisci de tanta mercede, si victoriam reportarem contra constitutionem: Culpabili mea incuria causa destructa est: Ad incuriæ correctionem, transacto iam termino, diem inscriptionis immutavi: Processum accipiens, debito tempore non reddidi, vnde grauis iniuria alteri obuenit litigatori: Exhibente pecuniam litigatore ad iura soluenda, retinui quod Aduocato accommodandum accepi contra *l. 7. tit. 24. lib. 2. Recop.* Retinui pecuniam, quam mihi

mihī reus Relatori exhibendam dedit, vnde Relator rarfum mercedem à reo exegit: Nomine mei litigatoris iuravi sine speciali facultatis instrumento; aut sine particulari eius informatione inſcius, & cum periculo pejerandi, iuramentum emiſi: Lis periit, quia ipſe culpabiliter tribunali non adfui, futurum incommodum præuidendo, aut debendo timere *toties*.

*De Receptore quidnam?* Ex Cancellaria pluribus negotiis intentus egreſſus ſum integram pro ſingulis mercedem accipiens: Pluribus implicitis negotiis, non potui ſingulis ſatisfacere, vnde, tempore elapſo, litis probatio deſtruitur, ſeu cogitur litigator nouæ probationi operam, opeſque impendere: Scripturam multiplicauī ſine neceſſitate, vt quæſtus accreſceret; vnde ex Relatore & Tabellione ſumptus litigatoris increuit: Intra viginti dies probationes non tradidi ex culpabili incuria grauis damni occasione: Subornatione negotiorum aliquod acquiſiui, quod alteri Receptori debebatur: Effeci à litigatore alterum Receptorem recuſari, vt mihi negotium contingeret: Scripturas compulſoriis extraxi, multiplicato ſine neceſſitate litigatoris ſumptu: Aliquid momenti ex munere, & non loco mercedis accepi: Plus mercedis exegi, quàm eſt legis præſcripto taxatum: Inuerti teſtimoniorum ſubſtantialem ſenſum; aut aliquid addidi, quod alteri grauiter poterat obefſe: Diſtinctè non interrogauī, ſed confuſè, vnde teſtis non potuit veritatem manifeſtare: Secretum euulgaui ante iuridicam publicationem, vnde graue incommodum alteri litigatori cauſatur *toties*.

*Quid de Miniſtro Præſecti adiciendum?* Iuramentum de rectè obeundo munere in graui materia violauī: Accipiens mandatum ad alicuius comprehensionem, eum admonui, vt fugeret: Contra *l. 1. tit. 3. lib. 24. Recop.* Miſſus taxata mercede ad vnum negotium plura ſuſcepi integris expenſis: Miniſterij prætextu in hoſpitiis publicis rerum pretia imminui coëgi: Diſſimulaui ob quæſtum lenones, meretrices, carnifices, alioſque liberè aut ſcor-

94.

Recepto-  
ris.

95.

Lictoris.

292 *Moralis Theologie Tract. II. Peccata,*  
 tando, aut furando insolescere: Nocturna vigilia domos  
 inuasi, altercationibusque simulatis finxi me latrones  
 requirere, vt domestici pretio redimant vexationem:  
 Prætextu muneris grauem intuli iniuriam: Eos qui exe-  
 cutione erant affiendi, admonui, vt bona celari cura-  
 rent: Meretrices falsò de lenone addicta erat, impunè de-  
 gere permisi; & eam, quæ lenoni addicta erat, impunè de-  
 gere permisi: Vincum grauioribus vinculis illigari fe-  
 ci, vt pretio iniustam redimeret vexationem: Cum Ta-  
 bellione pacisci curauim de aliquo innocenti pro quæstu  
 vexando: Pignus iniuste extraxi: Auxilium adolescenti-  
 bus muliercularum domos ingressuris præstiti: Impunè  
 furaturos custodiui: Mercedem iniustam aut mihi, aut  
 Tabellionibus extraxi: Enses iniuste noctu abstuli: Con-  
 iuges noctu inueniens conclamaui esse concubinarios,  
 vt nummis exhibitis dimitterentur: Executionis iura ac-  
 cepti, antequam creditori fieret satis contra præscriptum  
*l. 7. tit. 12. lib. 4. Recop.* Citaturus aliquem, finxi non inue-  
 nisse, & iniuste exegi solutionem *toties.*

96. *Quid de carceris Præsede?* Mercedis nimium exquisiui,  
*Custodis* vincos expilans: Nummos accepi ex eo officio, quod  
*carceris.* gratis gerere debebam: Gessi quod sine licentia iudicis  
 non poteram, vt vincos ob debitum soluere, dum ex  
 venia illa solutio impediretur: Exquisiui à ministris tri-  
 butum, quòd illi vexationibus illatis à vincis exigunt:  
 Vincos permisi fugere, falsò probans, quod valida cu-  
 stodia detinerentur: Addidi sine necessitate vincula vin-  
 ctis, eosque ergastulo addixi, vt solutio pro nummis  
 commutari valeret: Permissi aliquem ibi foemina abuti:  
 Coegi vincos mihi sine mercede famulari: Apud carce-  
 rem cauponiam statui, vbi cibi, aut vinum prauum pre-  
 tio immoderato venderetur *toties.*

97. *Reus quandonam lethale peccatum committit?* Veritatem  
*Rei.* abnegauim, delicto semiplenè probato: Complices ini-  
 ste euulgauim, seu contra bonum commune abscondi:  
 Instrumenta mendacia præsentauim; seu aliquid eorum  
 graui oborto incommodo immutari feci: Dilationibus  
 superfluis

uperfluis vsus sum : Iudicem, Tabellionem vel Relatorem iniuste recusavi, vt temporis interstitia acquirerem, precipue iurans me haud ex malitia procedere : Testes causis mendacibus reprobaui : Complices delictum abnegare suasi, quod debebant aperire, vel ad huiusmodi iniustitiam induxi *toties*.

*Quid denique de Teste? Affirmaui, quod ignorabam, aut dubium pro certo protuli: Veritatem, quam operire tenebar, aperui: Me abscondi debens respondere, ne rogarer: Iudici iuste interroganti obedire nolui: Sciens propinquum aliquem aliquid surripuisse, ob propinquitatis gratiam, ferre nequiuu testimonium quod alius non potest ferre; nec curauu saltem proximo ablatum restitui: Cum tenebar testimonium ferre, pretium accepi, vt proferrem veritatem; nec reddidi acceptum: Contra Tridentini præscriptum matrimonio de præfenti non præmissis monitionibus interfui: De contractibus vsurariis reddidi testimonium: Etiam non rogatus testimonium non tuli, cum innocentem morti addicendum, aut ab infamæ, grauiusve damni periculo possem liberare *toties*.*

98.  
Testis.

---

C A P V T X V.

*De Peccatis Mortalibus coniugum.*

**Q**ueam peccata grauia possint committi, quando Matrimonium contrahitur? Requisita intentione, seu necessario consensu carui: Debitum finem grauiter inique non intendi: Impedimenta tam dirimentia, quam impedientia neglexi: sine Ordinarij dispensatione denunciationes prætermisi: Tempore prohibito graui scandalo oborto nuptiales benedictiones accepi: Sacramentum Matrimonij accepi peccato lethali pressus; vel non confessus, vel saltem non curans contritionis actum elicere *toties*.

99.  
Coniugâ  
praxis.



*Quænam autem crimina lethalia in usu Matrimony committuntur? Contra naturam habui copulam vel vas immutans, vel extra vas profundens: Situm mutavi cum euidenti profusionis seminis periculo: Accessi ad coniugem anafixæ affectu: Cogitavi me cum extranea tunc copulam inire aut nupta, aut soluta, &c. Rem habui cum foemina graui abortus periculo: Debitum abnegavi, causa minimè iusta intercedente: Adulteræ debitum solui, cum ideo à crimine non se expediret: Adulterium dissimulaui vxoris, aut consensum expressum exhibui: Domicilium commune fugi, à thoroque sine coniugis consensu recessi: Sacro in loco, abstracto periculo incontinentiæ coniugali commistioni operam dedi: Ob contemptum diei Communionis mei coniugis copulam inij: Cum pollutionis periculo impudicis tactibus vacavi: Sponsus de futuro osculis & amplexibus indulsi cum periculo pollutionis, aut desiderio ad copulam tunc illicitam procedendi *toties.**






TRACTATUS TERTIVS  
 LIBRI THEOLOGICÆ  
 MORALIS,  
 RESERANS SIGILLVM  
 TERTIVM, HOC EST,  
 Iusticiam.

*Vbi de iustitia & iure Materia, scilicet de  
 Dominio, de Restitutione, de contractibus  
 in communi, de contractibus gratuitis,  
 de lucro ex mutuo, quod est usura, de  
 emptione & venditione, de censibus, &  
 cambiis, de contractibus onerosis, de  
 contractibus vbi fortuna, & aliis enol-  
 uuntur.*

PROLVSIO.

**E**T cum aperuisset (pergit Ioannes) sigillum  
 tertium, ecce Equus niger, & qui sedebat super  
 illum habebat stateram, in manu sua, & audiri  
 quasi vocem: Bilibris tritici denario. Quis non  
 videat hic iustitiæ manu stateram gestantis imaginem,  
 T. 3. vii

296 *Moralis Theologia, Tract. III. Iustitia,*  
vbi cunctis ius suum impertiat? Profectò vt iustitiæ  
& iuris tractationem perficiam, placita meorum Do-  
ctorum exprimam præcipuè quidem *Suarij, Molinae, Lessij,*  
*Rebellij, Valentij, Meratij, Filliuty, Reginaldi, Gordonij, Salas,*  
*Laymanni, & Toleti.*



## EXAMEN PRIMVM

De iustitia & iure, circa Materiam de  
Dominio.

### CAPVT PRIMVM.

De iure, iustitia, & iniuria.

I.  
Ius.

**Q**uidnam est ius? Ius iustitiæ obiectum accipitur  
tribus modis. Primò pro iusto & æquo. Sec-  
undò pro lege. Tertio pro facultate ad ali-  
quid, quo pacto quis dicitur vt iure suo. Hic equidem  
sumitur prout est idem quod æquum, & medium inter  
excessum, & defectum. Profectò à iure dicta est iustitia,  
cuius obiectum est ius. *Quotuplex ius?* Multiplex planè.  
Diuiditur enim in ius *Naturale*, & *Positiuum*, Positiuum  
autem in *Diuinum*, & *Humanum*, Humanum verò in ius  
*Gentium*, *Ciuite*, & *Canonicum*. Porro iuris peritis etiam tri-  
plex est ius. Generale, & speciale: Publicum & priua-  
tum: Priuatum verò distinctum in ius naturale, gen-  
tium, & ciuile.

2.  
Iustitia.

*Quid est iustitia?* Constans & perfecta voluntas suum  
ius cuique tribuens, virtus vtique ad alterum, & solum  
inter æquales, reponitur inter *Morales*, & specialis vir-  
tus est. Hinc colligo inter patrem & filium non emanci-  
patum, inter Dominum & seruum, inter virum & vx-  
orem non esse iustitiam. *Circa quas actiones iustitia versatur?*  
*Circa internas in ordine ad alterum, & secundario*  
*passiones*

passiones moderatur, in voluntateque quasi in subiecto posita est, & habet medium rei, cum alia virtutes medium rationis habeant. *Quenam iustitia perfectio?* Theologicis virtutibus, & Religione, & Prudentia imperfectior est; reliquis vero prestantior. *Quotuplex est iustitia?* Dividitur in distributivam, & commutativam. Iustitiae distributivae materia est distributio praemiorum, munerum, dignitatum, officiorum, & beneficiorum, ceterorumque bonorum communium. Commutativae vero iustitiae materia duplex est, una comprehendit contractus, qui commutationes voluntariae sunt: altera delicta & quasi delicta, quae commutationes involuntariae censentur.

*Quid est iniustitia?* Violatio alieni iuris. *Quaeisnam modis alteri fit iniuria?* Duobus. Primo commissione; Secundo omissione. Iniustus est qui sciens, & volens iniustum facit: iniuriam non patitur nisi nolens. Nemo sibi ipsi, proprie loquendo, iniuriam facit; & potest quis iniuriam, iniustumve facere, & non esse qui iniuria afficiatur.

3.  
Iniuria.

CAPVT II.

*Quid sit Dominium, quotuplex, & in quaeisnam personis reperiatur.*

*Quid est Dominium?* Ius perfecte disponendi de re corporali, nisi lex obsistat, vel conventio prohibeat. Eius titulus est radix & origo, vnde Dominium oritur.

4.  
Dominium.

*Quotuplex Dominium, & Dominij titulus?* Titulus quidem Dominij duplex est, verus scilicet, & praesumptus siue coloratus. Dominium autem triplex est. Primum iurisdictionis. Secundum plenum & non plenum. Tertium directum, & vile.

*Quaeisnam in personis Dominium reperitur?* Solae res rationales

298 *Moral. Theologia Tract. III. Iustitia,*  
 nales capaces Domini sunt, vt Deus, Angeli respectu  
 suarum operationum, homines etiam pueri, & peccato-  
 res. *Filij-familias?* De peculio castrensi, vel quasi ca-  
 strensi Dominium habent; de aduentitio directum tan-  
 tum, de profectitio nullum. *Serui?* Non habent Domi-  
 nium absque consensu Domini, in quibusdam casibus  
 habent. *Quid de Domino Clericorum?* Eorum bona tri-  
 plicia, patrimonialia, quasi patrimonialia, & ex re Eccle-  
 siastica. De primis duobus verum Dominium habent.  
 De Ecclesiasticis quoad redditus, Domini sunt, etiam  
 eius partis, quæ congruæ sustentationi superest, sed  
 obligantur sub mortalis peccati reatu eam in pia opera  
 expendere secundum tutiorem sententiam. *Regulares*  
*capaces ne Domini sunt?* Professi minimè. Scio eos, qui  
 beneficiarij sunt, in pias causas fructus posse di-  
 spensare. Porro Superiores Regulares habent bono-  
 rum Religionis administrationem: rerum tamen stabi-  
 lium administrationem concedere non possunt, nisi of-  
 ficialibus ex Tridentino. *Homo quodnam Dominium habet?*  
 Rerum inferiorum Dominus est; non quidem naturali-  
 ter alterius Dominus, sed iure gentium. Nec suæ vitæ  
 est Dominus; honoris verò, & famæ Dominium habet.

### C A P V T III.

*De modo acquirendi Dominium rerum rationabi-  
 lium, & irrationabilium.*

5. *Quotnam modis hominum Dominium acquiritur?* Qua-  
 tuor, iure belli, iusta condemnatiōe, per emprio-  
 nem & venditionem, & natiuitatem. Porro capti in  
 bello iuste fugere possunt, si bellum iniustum fuerit.  
 Capti iure belli etiam possunt fugere recta ad suos, iure  
 postliminij. Ius Minorum se extendit ad omnes  
 seruorum operas, non ad vitam, nec mutilationem.

*Quos.*

Quot modis quis potest à seruitute liberari? Nouem. 1. Manumissione. 2. Alimentorum negatione. 3. Si ancilla ad fornicationem cogatur. 4. Seruus Iudæi aut Pagani, seu Hæretici liber est. 5. Mancipium à Iudæo circumcisum fit liberum. 6. Solutus suam ancillam habens concubinam vsque ad mortem, & de ea nil statuens, liberam facit. 7. Serua fit libera, si eam Dominus tradit libero ignoranti eius seruitutem. 8. Eadem est ratio, si quis seruum suum hæredem instituat, vel turorem relinquat filio suo. 9. Seruus denique adoptione à seruitute liberatur.

Quenam res sub Dominium veniunt primò occupantis? Primò feræ nisi sua natura mansuetæ sint. Quæ verò mansuefieri solent, tandiu manent sub potestate Dominorum, quandiu consuetudinem habent ex libera vagatione redeundi. Feræ Domino carentes fiunt primò occupantis; tandiu autem retinetur eorum Dominium, quandiu sub nostra custodia sunt. *Ab uno percussa, & ab altero capta?* Diuidenda est, si percutiens causa fuit, vt alius capiat. *Quid de venatione?* In publicis locis potest prohiberi in quibusdam casibus; reseruans autem ius venandi caueat damna. Clericis quidem ratione status prohibita est. *Licita ne columbaria?* Licita planè, nisi lege prohibeantur. *Quid de maris diuitiis?* Lapilli in maris littore sunt inuentoris. Derelicta etiam fiunt primò occupantis. Insulæ maris si in medio flumine natæ sint, communes sunt cum habentibus prædia ab vtraque fluminis parte; si autem alteri parti propinquoeres, erunt eorum, qui ab ea parte prædium possident. *Vacantia bona cuiusnam?* Ad fiscum deferuntur, nisi tanquam peregrini in hospitalibus moriantur, eorum enim bona mobilia vel hospitalium sunt, vel ab Episcopo in pias causas distribuenda. *Theaurus?* Equidem arte Magica inuentus ad fiscum pertinet post latam sententiam; bonis autem artibus, est inuentoris, si locus ipsius sit: si locus alienus, dimidium inuentoris est, dimidium Domini agri, si casu inuentus sit; si autem ex industria inuen-

6.  
Dominij  
acquirèdi  
irrationa-  
bilibium  
ratio.

300 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitia,*  
eius consensu Domini, totus est inuentoris, nisi aliud  
pactum sit initum. *Quid si agrum emam, in quo thesaurus*  
*adest? Acquiris tibi. At si publico in loco inueniatur*  
*thesaurus? Totus est inuentoris. Si in loco sacro? Dimi-*  
*dium inuentoris, & Prælati dimidium. Quid denique de*  
*Sylua cædua? Fas est communitati sub certis pœnis pro-*  
*hibere, ne cædatur. Si quis cædens deprehensus, pœnam*  
*teneretur soluere. Pascuorum quidem idem ius est quod*  
*Sylvæ cæduæ.*

---

#### C A P V T I V.

*De acquirendo Dominio iure civili, seu*  
*Præscriptione.*

7.  
*Præscri-*  
*ptio.*

**Q**uoniam modo iure civili Dominium acquiritur? Præcipue  
Præscriptione. Porro præscriptio est acquisitio  
Dominij per continuationem possessionis tempore à  
lege definito, bona fide accedente possessori. Certè du-  
bitans, an res sua sit, non habet bonam fidem, si posses-  
sionem inchoet cum eo dubio; at si continuet tantum,  
possessione cum bona fide supposita, simpliciter est in  
bona fide.

*Post possessionem existimo mihi non licere rem possidere ali-*  
*quam: num præscribo? Non continuas possessionem, ne-*  
*que præscriptionem. Ignorantia vincibilis sufficit ne ad bo-*  
*nam fidem? Inepta quidem est. Requiro tamen ad possiden-*  
*dam rem, num titulus præsumptus sit satis? Ita planè; qui*  
*tamen verus credatur ab eo, qui rem eo titulo possidet.*

*Quodnam tempus ad Præscriptionem requiritur? Res mobi-*  
*les corporales, si priuatorum sint, triennio præscribun-*  
*tur: immobiles decennio, inter præsentés, & duplo in-*  
*ter absentes. Iura, debita, & actiones, quæ inter immo-*  
*bilia computantur, præscribuntur contra priuatos eod-*  
*dem tempore, quo res immobiles, nisi quid contrarium*  
*sit peculiari iure sancitum. Immobiles contra Eccle-*  
*fiam*

fiam Romana inferiorem spatio quadraginta annorum præscribuntur: contra Romanam annis centum; contra Regulares priuilegiatos annis sexaginta. Bona Principis tanquam priuati eodem tempore, quo priuati bona, præscribuntur. Collectæ pro publica necessitate quadraginta annis. Ius imponendi uestigalia quadraginta annis cum titulo; sine titulo, tempore immemoriali. Quæ verò debentur in supremæ potestatis recognitionem, nullo tempore præscribi possunt. Contra leges ciuiles præscribitur annis decem. Contra Canonicas quadraginta, si consuetudo sit contra ius Ecclesiæ.

*Quid de Præscriptionis processu, & interruptione?* Procedit planè præscriptio, quando post inchoationem eius bona fide continuatur; Dormit cum postquam inchoata est aliquo tempore, cessat; interrumpitur autem cum postquam inchoata est, ita cessat, ut etiam si rursus incipiat, non continetur cum priore.

*Alios expendē modos, quibus Dominium iure ciuili acquiruntur.* Ministri iusti stipendij Dominium acquirunt pro officio, nil autem amplius in pretium accipere possunt, & si accipiant, tenentur restituere. *Quid si plus faciant, quam pro suo munere teneantur?* Possunt pro eo ultra proprium moderatum, & iustum pretium accipere. *Iudices delegati?* Possunt à litigantibus munera accipere in cibo & potu ita ut intra biduum, aut triduum consumi possint. Id etiam licet iis iudicibus, quibus stipendium constitutum non est. *Episcopi?* Possunt accipere expensas in victualibus, non autem in pecuniis. *Quid de muneribus contra legem datis?* Si solum ad redimendam vexationem collata sunt, tenentur qui ea accepere restituere: si dentur ex amicitia, vel gratitudine, vel gaudio rei bene gestæ, seclusa lege positua id prohibente, ministri illorum comparant Dominium; restituenda verò tantum sunt post sententiam. *Si pretium acceptum esse pro ferenda iusta sententia?* Danti restituendum est. *Quid si dantis animus fuit corrumpere iudicem?* Non conceditur illi actio ad repetendum.

8.

*Alij modi  
acquiren-  
di Domi-  
nium iure  
ciuili.*

Potest



*Potest ne quis pro opere virtutis, ad quod tenetur ex religione, vel alio præcepto nullo postulato pretio, pretium accipere? Minimè. Si autem ratio, vel iustitia postulet, vt pretio recompensetur, sumi potest, vt etiam pro opere supererogationis.*

*Quid de pretio pro re turpi accepto? Accepta ob turpem causam solo iure naturali spectato illicita non sunt, nec restituenda. Pactio pretij ob rem turpem illicita est, nec obligat; postquam facta est, obligationem inducit: sic accipi pretium potest ob iniustam sententiam datam, ob homicidium factum, ob meretricium, ob occultam etiam fornicationem. In quibusdam verò casibus, tenetur restituere, v.g. si acceperit meretrix à non potètibz alienare, vel fraude ac dolo quis horum extorserit; quando item occulta fornicatio puniretur in iudicio, actio illi in foro externo non conceditur.*

---

## CAPVT V.

*Praxis circa præfata ex Societatis IESV schola.*

9. *De Dominio v. ar. casus.* **D**ixisti quem Dominium famæ habere. Peccat ne sine causa sese infamando? Et si quisque Dominus est honoris sui, & famæ, non licet tamen hæc sine causa negligere. Ex causa autem hoc cum laude geritur. Vnde cum *Valentia* existimo hominem ex genere lethaliter delinquere se ipsum sine causa rationabili infamando.

*Dominium rei, que nullius fuit, acquiritur ne sine apprehensione? Non acquiri Saa affirmat. Addit in rebus spiritibus sufficere titulum habere.*

*Quidnam de præscriptione, & usucapione? Præscriptio dicitur immobilium, usucapio mobilium. Fit usucapio triennio etiam in rebus Ecclesiæ. Requiritur bona fides etiam in rem tradente. Non potest autem res sacra usucapi, aut prohibita alienari, nec res Ecclesiæ solemnitate*

tem in alienatione requirens : nec res pupilli , aut minoris, quæ potest seruari , scilicet quæ non consumitur. Non sufficit autem ad vsucapionem inchoandam , si quis rem possidere incipiat cum dubio , an sua sit : sed necessaria est bona fides , qua absque dubio credat rem suam esse. Ex Molina.

*Nocet ne hæredi mala fides defuncti ad præscriptionem?*  
Nocet planè ; non autem nocet habenti ab hærede. Saa sic.


*Præsumitur ne titulus consuetudine immemorabili?* Ita quidem. Sufficere autem & iustam credulitatem tituli ex errore facti Saa idem affirmat ex Couar.

*Soluit quis tributum aut pensionem per contractum promissam : quot annis præscribit?* Triginta annis non soluens sine mala fide. Quod si erat pactum non soluendi nisi petitam , negligente Domino petere, præscribit debitor secundùm legem communem præscriptionis. Molina sequor.

*Eligendi ius quot annis præscribitur?* Quadraginta etiam si vnus solummodo actus interueniat. Idem Molina.

*Quid de prohibitis alienari?* Affirmat idem Doctor, non præscribi ante triginta, vel quadraginta annos.

*Statutum tollens præscriptionem tollit ne eam, cuius initij non est memoria?* Saa, Non tollit.



EXAMEN II.

De iustitia & iure circa Materiam de Restitutione.

CAPVT PRIMVM.

*De Restitutionis necessitate.*



*Vidnam est Restitutio?* Iustitiæ commutatiuæ actus, quo redditur ad æqualitatem alteri, quod iniuste ab eo sublatum est.

IO.  
Restitu-  
tionis ne-  
cessitas.

Quotuplex

*Quotuplex Restitutio?* Duplex, vna, qua reuocantur omnia in statum pristinum: altera, qua tantum in aliquo particulari.

*Necessaria ne?* Ad salutem quidem necessaria est, & in præcepto, quod principaliter est negatiuum.

*Expende Restitutionis radices.* Tres planè sunt, ex re accepta, ex iniusta acceptione, & ex vtraque. Qui ex re accepta tantum, tenetur eam restituere si extet; si pretium eius habet, id tantum restituere debet, quo factus est ditior. Qui ex iniusta acceptione, tenetur in solidum ad totum damnum causatum, v.g. ad fructus rei, valorem eius, si non extaret, & similia. Qui verò ex vtraque, tenetur ad reddendam rem, ad damna secuta ex acceptione, & retentione iniusta, fructus & lucra, quæ cessassent.

## C A P V T II.

### *De persona qua debet restituere.*

II.  
*Persona restitu-  
tionis ob-  
noxia.*

**Q***uam personam restituere tenetur?* Omnis & solus is, qui contra specialem iustitiam commutatiuam peccauit.

*Oritur ne ex violatione charitatis obligatio restituendi?* Minime. Vnde pauper non habet ius in bona diuitis; & quamuis rei debitæ ex charitate æqua sit obligatio, & rei debitæ ex iustitia, tamen quia defectus charitatis iniuriosus non est, sed officiosus tantum, ideo eam violans ad damna secuta non tenetur.

*Quotnam personarum genera obligata sunt restitutioni?* Decem. Primum qui damnum infert. 2. Iubens. 3. Confultor. 4. Consentiens. 5. Laudator. 6. Receptor. 7. Participans. 8. Mutus. 9. Non obstant. 10. Non manifestans.

*Quando nam damnum inferens ad restitutionem teneatur?* Si non facit ex intentione, neque scienter, nullam subitæ restituendi obligationem. *Ex serui facto?* Si Dominus fuit in

in culpa tenetur: secus si absque culpa, saltem in interiori conscientia foro. *Supponitur ne mortalis culpa ad obligationem sub mortali restituendi?* Supponitur. Unde alium occidens in primo vel secundo motu, ad ullam restitutionem non tenetur. Profectò ex dolo, & culpa lata tantùm, tenetur quisque in conscientia; culpa verò lata ut obliget, mortalis esse debet. *Quid si occultè infero damnum?* Teneris resarcire. *Expensas verò, quas tertius innocens fecisset in carcere, exilio, &c.* Tenetur ne verus damnificator resarcire? Non nisi tempore delicti sciisset id damnum innocenti illi fore imputandum. *Quid si causa sine damni?* Causa cum qua ad damnum tenetur; qui verò iniusti operis causa nō est, minimè tenetur ad damnum.

*Quandonam cooperatores tenentur ad restitutionem?* Profectò cooperas minimè excusatur ex eo, quod alius eidem cooperatus erat. At si eodem modo damnum erat inferendum, etiam si nemo cooperatus fuisset, ad restitutionem non tenebitur. *Opus ne est ut sit causa sine qua non, ad restitutionis obligationem?* Minimè; satis est, fuisse causam cum qua damnum factum sit. *Tenetur ne in solidum quilibet ex cooperatores?* Ita planè, quando totius damni causa est: si partis tantùm, pro parte tenebitur. Unde milites quando ad idem indiuiduum cooperantur damnum, tenentur in solidum. Profectò principalis in actione iniusta lucratiua est ille, qui lucrum habet, vel mala fide consumpsit. In ea quæ lucratiua non est, primo loco restituere debet mandans, deinde mandatarius; tertio alij suo ordine: hoc probabiliter; at probabilius existimo, cum *Fillitio* & aliis ordinem inter secundarios non esse, sed omnes teneri pro rata. Cum autem plures in eodem genere cooperantes sunt, singuli in solidum tenentur. *Quid si vnus restituat?* Si sit is, qui rem mala fide accepit, locij ad nihil tenentur; si principalis, cæteri liberantur. Sic etiam si principali remissio fiat, non tenentur cæteri. Cùm plures eiusdem ordinis sunt, cæteri non liberantur; si damnum passus cedat minus principali non liberantur reliqui.

*Quid*

*Quid de Mandante?* Mandans planè efficax causa est damni. Porrò non iubens, sed ratum solummodo habens delictum iam factum, non tenetur ad restitutionem.

*Consulens quid?* Si consulens falsum consilium præbeat, satis est illud retractare: si verum, oportet etiam ut remoueat voluntatem eius, cui consuluit: vel efficiat, ut tertius admoneatur; postea si sequatur damnum, consulens non tenetur. *Paratus est quis furari centum aureos, consulo furari solum quinquaginta: teneor ne ad restitutionem?* Minimè; quia nulla per meum consilium irrogatur iniuria, potiùs quæ irroganda erat, imminuitur.

*Consentientis obligationem expendas.* Si ab eo pendeat damnum secutum, & consentiat ante damnum illatum, vel in ipso actu, tenetur restituere. Cum multi sunt consentientes, si omnium sententia requiratur, omnes tenentur: secus si tantùm certus numerus illorum; alij enim postea licet peccent, non tenentur.

*Laudatoris quænam obligatio?* Laudans quidem seu palpo directè damnum intendens ad restitutionem tenetur: indirectè autem, tunc tantùm, quando culpabiliter non aduertit.

*Receptatoris adnota iniustitiam.* Receptator formaliter ad restitutionem tenetur, non qui materialiter tantùm sine crimine recipit.

*Participans quid?* Si sponte concurrat, etiam obnoxius est restitutioni, secus si iusto metu.

*De nullo, aut non obstante vel non manifestante quidnam?* Si causa negatiua sunt tunc obligantur, cum ex officio tenentur, vel ex contractu loqui, obstare, aut manifestare: Secus si tantùm ex charitate.

*Suadeo alteri, ut non impediatur proximi damnum: teneor ne ad restitutionem?* Si tantùm ratione & precibus id geras, peccas grauius, sed ad restitutionem non teneris.

*Tenentur ne ad restitutionem custodes non denunciante?* Tenentur quidem ad damnum secutum, sed non ad pœnam

pœnam fisco soluendam, si reus denunciatus esset. Idem assero de teste reum in iudicio non manifestante.

*Confessarij pœnitentes ad restitutionem debitam non cogentes tenentur ne restituere? Probabile est non propterea teneri ad restitutionem, etiam non admonentes, quando tenentur.*

C A P U T III.

*De circumstantiis Restitutionis.*

**Q**uotnam Restitutionis circumstantiæ? Quatuor præcipuæ. Quid, Cui, Vbi, Quo ordine sit restituendum. *Circumstantiæ Restitutionis.*  
*Circumstantiam, Quid, expone.* Possessor bonæ fidei statim ac scit rem alienam esse, tenetur illam vero Domino restituere. Fructus extantes etiam sunt restituendi: *si consumpti sunt?* Tantùm restituendum id, in quo factus est ex iis ditior. *Si bona fide emit à fure, & alteri vendidit?* Restituat id, in quo ditior factus est. *Si res deterior fiat, aut destruat? Ad nihilum tenetur.* *Quid de male fidei possessore?* Malæ fidei possessor ultra rem ipsam, si extat, tenetur restituere valorem eius si consumpta esset, & periisset etiam casu fortuito; fructus item naturales, & industriales, (non autem si merè industriales fuerint) expensis tamen necessariis detractis. *Dubiæ autem fidei possessor ad quidnam tenetur?* Si ab initio ea sit, moralem diligentiam adhibere debet; ea facta, si adhuc suspensus manet, restituere debet; si autem probabiliter hæreat parti sibi favorabili, poterit retinere. Dubitatione autem adueniente post bonæ fidei possessionem, nihil officit.

*De circumstantia, Cui, differere.* Si Dominus certus est, & notus, ei restitutio facienda; si ignotus, dandum pauperibus post adhibitam diligentiam. Idem assero, si Dominus certus quidem sit, sed absens, & res modica. *Quid quando creditor incertus est, ut multi ex communitate? Vel*

308 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitia,*  
augendum tantundem est in pondere, vel descendendum in pretio, vel dandum pauperibus. *Si bona incerta sunt, v. g. inuenta?* Post diligentiam danda pauperibus sunt. *Possunt ne ab inuatore retineri?* Si pauper sit, non dubium: imò licet pauper non sit, probabile est, retinere posse; quia sua vitur fortuna. *Accepta pro turpi actu faciendo?* Danti restituenda, licet hic actionem repetendi illa non habeat, in poenam.

*Circa circumstantiam, Vbi, quidnam?* In loco vbi res est, reddenda est, si bona fide possessa sit; si mala, vbi inique est accepta; res autem debita ex contractu, restituenda vbi in ipso designatur.

*Quo ordine restituendum est?* Si non adest copia omnia mox restituendi, animus saltem habendus. Profectò ordo restituendi hic est. Si bona debitoris sufficiant, nullus ordo seruandus. Sin minus, priùs soluenda sunt debita certa, quàm incerta; inter certa autem præferenda res extans in specie aliis. Prius etiam id restituendum, cuius non fuit translatum Dominium. Iure communi primò soluendæ sunt moderatæ expensæ funeris, inuentarij, & pro adeunda hæreditate. Secundò, præferendi ij, quibus bona sunt hypothecata. Tertio, inter hypothecarios creditores præferendi priores tempore. Excipe septem casus, in quibus posterior tempore præfertur priori. 1. Est mutuantis ad refectionem, vel conseruationem rei. 2. Mutuantis pro re custodienda. 3. Hypothecæ dotalis. 4. Empti pecunia pupilli. 5. Mutui ad aliquid emendum. 6. Contrahentis cum filco. 7. Concedentis pecuniam ad militiam. Quartò Hypothecariis succedunt personales creditores, & inter hos prælationis priuilegium habens, deinde creditor titulo oneroso, postea titulo gratuito, denique hæredes, legatarij. *Inter debita ex delicto & contractus est ne vllus ordo?* Probabiliter assero cum *Fillutio*, & aliis nullum ordinem esse. *Habet ne pauper ius prælationis?* Minimè, nisi vel in extrema, vel saltem graui in necessitate constituat.

## CAPVT IV.

*Causas excusantes à restitutione recenseo.*

**Q**uam causam excusantes à restituendi obligatione? Multas subiiciam. Prima sit ex parte rei alienæ. Secunda ex parte debitoris. Tertia ex parte publicæ potestatis. 13.  
*Causa excusans à Restitutione.*  
 Quomodo quis ex parte rei alienæ excusatur? Si res amittatur absque culpa debitoris. Si per tertium fiat restitutio, & hic pro se retineat, tenetur debitor.

Quonammodo autem ex parte debitoris? Excusat ignorantia facti, & iuris, si probabilis sit. In dubio, an sit aliena, post diligentiam retineri potest. Inopia excusat, dum ea durat. Item impotentia, & necessitas grauis. *Quid in pari creditoris necessitate?* Minimè pressus graui necessitate excusaretur. Damnum animæ etiam præferendum restitutioni. Et detrimentum in rebus propriis non debitis. Notabilis item iactura decentiæ status. Compensatio etiam excusat, vt si solutio fiat creditori. Cessio in foro externo excusat: in conscientia minimè, nisi ex adiuncta necessitate; quod si ad pinguiorem fortunam venerit, tenebitur. *Valet ne confessio debitoris?* De iure communi valet, secus de iure particulari Sixti V. Remissio libera creditoris etiam excusat.

Quonammodo denique ex parte publicæ potestatis quis ab obligatione restituendi absoluitur? Excusatur iuris auctoritate, vt in præscriptione, & iudiciis.

## CAPVT V.

*De Restitutione in particulari.*

**A**D quidnam tenetur, qui proximum in bonis spiritualibus læsit? Qui fraude ad peccandum induxit? Retrahat à peccato, fraudem auferendo. *Prælati subditum ad culpam impellens?* 14.  
*Lesio in bonis spiritualibus.*



*impellens?* Ex iustitia curare debet emendationem. *Qui sine fraude induxit ad culpam?* Ad nihil ex iustitia tenetur. *Voluntariè quis deceptus est, vel fraude quidem; sed deinde voluntariè perseveravit; est ne in decipiente vlla restitutionis obligatio?* Nulla inducitur in decipiente obligatio, ad illius emendationem procurandam. *Docere verum teneor, & falsum docui: ad quid obligor?* Teneris veritatem docere. *Qui verò tantùm falsam doctrinam docuit, etiam si ex officio ad id non obligetur, tamen proximum tenetur ab errore reuocare. Retraxit quis nouitium à Religione ex iusta causa?* Ad nihilum tenetur. Imò etiam cum laude fieri id aliquando posset, v.g. si parentes in extrema necessitate constituti, aut in graui, esset subueniendum. *Qui verò non ex iusta causa, sed citra vim & fraudem, retraxit, debet ne aliquid Religioni?* Ad nihil Religioni tenetur ex iustitia; ex æquitate tamen hortari debet ad habitum resumendum. *Quid si fraus, vel metus intercessit?* Restituere tenetur in primam libertatem ingressurum, & Religioni spem temporalis commodi ab eo recipiendi. *Si professum retraxit absque fraude?* Reditum ex charitate persuadere debet. *Si autem cum fraude?* Tenetur Religioni restituere emolumentum temporale ad arbitrium boni viri, & damnum professio ipsi secutum ex fraude.

**15.** *Ad quidnam teneatur qui proximum in bonis nature læsit?*  
*Læso in bonis nature.* Tantùm pro temporali damno tenetur ad restitutionem; pro damno sensuum præcisè ad nihil tenetur; quia nullo est pretio æstimabile.

**16.** *Ad quid autem tenetur, qui proximum læsit in bonis que spiritualibus adnexa sunt? Impedit quis, v.g. habentem ius ad beneficium: ad quidnam teneatur?* Tenetur equidem restituere ad iuris æstimationem. *Dignum impediens à beneficio, ad quod ius non habebat; tenetur ne ad aliquid?* Si fraude impediuit, ad æstimationem spei tenebitur; citra fraudem autem tenetur ad nihil. *Procuravi minus digno. Digniori teneris ad æstimationem damni, si beneficium in concursu detur. Quis concurrens ad beneficium, se dignum putat; tenetur ne digniori renunciare?* Tantùm tenetur ex charitate;

charitate ; quia absolute dignus capax beneficii est. Sed in dubio num sit alter dignior, nec ex charitate tenebitur. Quod si beneficium simplex sit, etiam si cognoscat digniorem alterum, tenetur ad nihil. *Quid si Prælati indignum eligat?* Ecclesiæ restituat æstimationem damni. *Patronatu fruor : teneor ne digniorem præsentare?* Patrono quidem satis est, si dignum præsentet, instituendus tamen dignior, si Patronus nullas in fundatione conditiones apposuit. *Si adstrinxit ad patriam, consanguinitatem, & huiusmodi?* Satis est, si dignus præsentetur ; si plures sint, dignior eligendus. *Quid de resignante?* Debet equidem digno resignare. *In pluribus sit electio, & maior pars eligit indignum ; quid tunc?* Satis est omisso digniori, trahere alios ad dignum. *Si maior pars dignum velit, omisso digniori?* Nulla culpa illi adhærere, nisi per concursum faciendi esset electio ; tunc enim obligatio adesset restituendi damni æstimationem. Admonerim maiorem dignitatem haud ex sola scientia assumi debere, sed ex moribus simul. Vnde quis superans alium scientia minus dignus potest æstimari ; quia alter minor scientia, sed sufficiens, maior est modestia, &c. Colligo hinc ad examinatores spectare gradus scientiæ aperire, ad Prælatum autem, cui spiritualis cura, merita virtutis ponderare, ut digniorem, id est, qui scientia sufficiens virtute excellit, ( quando alij scientia superiores, inferiores sunt moribus ) beneficiis addicatur.

*Ad quidnam autem obligatur, qui proximum in bonis corporis læsit ? v. g. Index hominem in vita ledens ?* Tenetur ad restitutionem vitæ & damnorum, vitæ inquam, id est, debet id reddere, quo vita ex viri boni assignatione æstimari debet. *Quid de Teste lædente suo testimonio?* Si non legitime interrogatus lædat aliquem, ad vitæ, famæ, & damnorum restitutionem tenetur : Secus si legitime interrogatus sit ; debet enim veritatem aperire. *Proximum civis læsit in vita : ad quid tenetur ?* Ad expensas vulneris, & temporale damnum iuxta æstimationem utilitatis, quam allaturus fuisset, si vixisset ; detractis quidem, quæ pro

17.

Læsis in bonis corporis.

312 *Moralis Theologia Tract. III. Iustitia,*  
 suo victu, & vestitu consumpsisset; ad expensas fune-  
 ris, & damnum vite naturale non tenetur, si fit homo  
 liber. *Quis erat naturalis, aut iusta morte periturus, illum hostis*  
*præuenit: tenetur ne ad restitutionem?* Minimè; quia paruum  
 illud temporis interstitium vix pretio æstimabile. *Tenetur*  
*ne homicida, qui pœna mortis punitur, aliquid aliud restituere?*  
 Minimè. *Cuinam homicida tenetur?* Tantùm hæredibus, qui  
 reputantur vna persona cum defuncto, vt sunt parentes,  
 filij, & vxor: aliis non tenetur. *Quinam præterea homicida*  
*à restitutione liberatur?* Si occisus morti proximus remit-  
 tat, vel erat iuste occidendus, vel prouocauit in duello,  
 vel inuasor fuit, & cum moderamine occisus, ad nihil  
 tenetur homicida. *Ad quidnam tenetur lædens in membrorum*  
*integritate, vel summitate?* Ad expensas in curatione vulne-  
 ris, & ad æstimationem spei lucrandi, & damni secuti.  
 Pro cicatrice relicta nihil restituendum, si fit percussus  
 homo liber. *Est quis in libertate.* Tenetur in primum sta-  
 tum restituere. *Qui virginem violauit?* Si consentientem  
 ad nihil ex iustitia tenetur, ex charitate, & pietate teneri  
 potest: si vi vel fraude corruptus, tenetur ad damna secuta,  
 vel coniugium si promissit; si verò decenter nupta  
 sit, ad nihil tenetur. *Quid si corruptam violauit?* Tenetur  
 pro iniuria veniam petere, & secuta damna resarcire. *Ad*  
*quidnam tenetur adulter?* Si partus non sit secutus, ad ni-  
 hil tenetur; si sequatur, tenetur, tenetur primò alere à  
 tertio anno vsque ad pubertatem; deinde ad restituend-  
 dam legitimis filiis hæreditatem; multòque magis, si  
 illegitimum marito supponi suauit. Adultera autem  
 tenetur quantum potest, procurare, ne legitimi hæredes  
 aliquo damno afficiantur.

18. *Ad quidnam tenetur, qui proximum læsit in bonis fame &*  
*læso in honoris?* Fama quidem per detractionem læditur, quæ est  
 bonis fa- alienæ famæ occulta, & iniusta violatio. *Quot modis lædi*  
 ma. *potest fama?* Duobus. Primò imponendo falsum crimen  
 proximo. Secundò occultum crimen quantumuis ver-  
 rum manifestando. *Quanta materia debet esse, ad inducendam*  
*restitutionis obligationem?* Grauis quidem, & defectus  
 moralis,

moralis, hoc est vitium voluntarium; nam defectus naturalis non inducit. Debet præterea esse speciale peccatum. *Si crimen sit publicum?* Nulla est obligatio restituendi; solum enim occultum crimen manifestare iniustitia est. *Est ne fama cum periculo vite mee restituenda?* Non, nisi læso idem periculum immineret; aut magnum Reipublicæ damnum. *Si fama verbis non potest restitui, debeo pecuniâ compensare?* De iustitiâ non, ex charitate debes, vel si ad id condemneris à iudice. *Refert quis alterius peccata, quandoam tenetur restituere?* Si ea ratione refert, ut audientes induci merito possint ad cogitandum malum graue de proximo tenetur ex iustitiâ ad restitutionem. Si putet audientes ex propria leuitate, non ex vi relationis (quæ ad tam graue iudicium non inducit ex se) credituros, ad charitatem pertinet tacere. Si verò prudenter existimet, nullam inde orituram infamiam, nec peccat grauius, nisi qualitas criminis valde grauis esset, nec ad restitutionem consequenter tenetur. *Obligatur ne detractoris auditor?* Non nisi detrahentem inducat vel ad prosequendam detractionem exciter. *De infamia proximi delictatur.* Contra charitatem delinquit. *Pluribus quis proximi delictum aut immediatè, aut mediatè manifestauit.* Per se, vel per alium coram omnibus retractare debet. *Qui falsum dixit?* Dicat se esse mentitum. *Qui verum occultum propagauit?* Vel dicat perperam se fuisse locutum, vel mendacem fuisse (cum indirecta affirmatione, quia omnis homo mendax,) vel laudet in iis in quibus detraxit. *Qui retulit ex aliis audita?* Dicat vel se esse mentitum, vel retulisse leuiter, & pro falsis reputare. *Quot sunt causæ, quibus potest quis ab obligatione restitutionis fame liberari?* Multæ. Prima, quidem, si interueniat remissio. 2. Si sit impossibilis restitutio. 3. Si non potest fieri sine propriæ famæ præstantioris iactura. 4. Si bona fide putauit crimen publicum esse, & verum. 5. Si prudenter iudicet infamiam extinctam esse. 6. Si ex restitutione quod iam est oblivioni traditum rursus reuiuiscere timeatur non sine nouo proximi dedecore. *Quid si honor omissione ledatur?*

314 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitia,*  
Restitui debet vel petitione veniæ, vel honorifica salu-  
ratione, vel inuitatione ad mensam, honorificum locum  
exhibendo.

19. *Iam verò ad quidnam obligatur, qui proximum in bonis læsit*  
*Læsit in* *externis, v.g. fur?* Hic equidem debet mox reddere, quod  
*bonis ex-* *furatus est. Quousque alienam rem detinet vno pecca-*  
*ternis.* *to continuo peccat: interrumpitur ratione impotén-*  
*tiæ, distractionis notabili tempore, & contrarij propo-*  
*fiti. Qui aliena re vitur?* Continuat vnum peccatum.  
Augetur culpa per vsum quando Dominus ægrè latu-  
rus talem vsum censetur. *Potest ne vis debitori inferri?* Mi-  
nimè, nisi res propria apud illum extaret in pro-  
pria specie, & aliter non posset recuperari. *Tene-*  
*tur ne ad restitutionem filius de bonis paternis occultè*  
*sumens?* Ita equidem, si sit notabilis materia, & non  
habeat causam excusantem. Materia profus crescit  
aut minuitur iuxta paternas diuitias. Communiter  
tres aureos *F.lliutius* pro notabili materia assignat, quæ  
filium obliget ad restitutionem. Id quod de vxore surri-  
piente de mariti bonis affirmarim. *Quanam est obligatio*  
*inseverentis damnum in re in dies crescente, vt in segete, pullisque*  
*animalium?* Tenetur ad æstimationem damni, prudentis  
arbitrio. *Proiicit quis in tempestate alienas merces propriis par-*  
*cens.* Tenetur pro sua parte ad restitutionem; si autem  
nullas proprias haberet, ad nihil teneretur.

---

## CAPVT VI.

*Praxis circa premissa ex Societatis*  
*IESV schola.*

20.  
*De Resti-*  
*tutione*  
*rerum*  
*vaij ca-*  
*sus.*

**T**enetur ne restituere non impediens damnum alterius?  
Teneri asserit *Saa*, cum ex officio deberet, v.g. iu-  
dex, pater, tutor; nisi ob periculum rerum suarum omit-  
tat, quas præferre debeat alienis.

An Medicus & Aduocatus teneantur ad restitutionem ex negligentia, quæ causa fuit damni grauis iis, quorum salutem, aut causam agebant? Proculdubio tenentur; quia illorum incuria iniuriam proximo irrogauit. Cur ergo asseruisti Confessarium non teneri ad restitutionem cum damnum dedit ei cui restituendum erat, non monendo pœnitentem restituere? Quia Confessor agit pœnitentis causam, uti Medicus aut Aduocatus ægri & litigatoris; causam autem eius cui restituendum erat non agit. Scio Nauarrum Confessarium obligare ad restitutionem, si ex crassa ignorantia dixit, ne restitueret.

Qui agrum alienum mala fide possedit, tenetur etiam de fructibus, quos Dominus alioquin percepisset, deductis expensis: rogo, num idem sit de lucro ex aliena pecunia? Minimè, nisi fortè Dominus tantundem ex ea fuisset lucraturus. Sic Saa ex Salone.

Quis aliquid accepit, ut malum faceret: tenetur ne, si non fecit restituere? Tenetur ex Molina; secus si fecit.

Sine vi aut fraude impediuit quis liberam donationem, aut collationem beneficij, aut curauit mutari testamentum: num restituere teneatur? Minimè, si ad beneficium nondum ius acquisitum erat, nec ad testamenti donationem. Sic Saa, adiciens alios meritò istum teneri affirmare, quia contra iustitiam faciens læsit. Toletum lege.

Non potest quis restituere rem minoris ordinis sine damno maioris. v.g. pecuniam sine honoris iactura: tenetur ne? Minimè ex Saa & aliis; quia famæ notabilis excessus minimè pecunia comparandus.

An restituere tenetur, qui non potest sine maiori multo damno suo, quàm sit damnum creditoris? Ex Toletio negatiuè respondendo.

Quid si apud me debitum sine culpa periit? Si ob iniustam moram periit, teneris damna restituere; secus si apud Dominum sic fuisset periturum. Saa, docet ex Nauarro.

Tulit quis quod si petiisset, ei datum fuisset voluntariè: tenetur ne restituere? Idem Saa non teneri affirmauit.

*Meretrix vſitatis mendacii multa extorſit : obligatur ad reſtituendum ? Importunis mulierum blânditiis, non communibus extorta reſtituenda aiebat Caietanus. Docet Nauarrus ſi fraude uſa eſſet, fingens ſe virginem, aut à viro Principe tantùm cognitam, teneri ad reſtitutionem. Ego cum Saa aſſero non teneri reſtituere quod extorſit vſitatis mendacii ; quia ſi vſitata, iam tam ab omnibus cognita, vt dans, voluntariè dediffe videatur.*

*Scio me Antonio debere centum aureos, diligenter inquirò, nec inuenio : num poſſim bona illa pauperibus diſtribuere ? Si res non magni ponderis fuit, pauperibus debitoris arbitrio diſtribuatur ; ſi autem magni ſit ponderis exiſtimo cum Toletò iudicis auctoritate diſtribuendam ; ne ſcilicet comparente poſtmodum creditore reddere cogar.*

*Dirui domum vicinam, per quam incendium ad meam erat peruenturum : teneor ne reſtituere ? Non, ſi aliter occurrere propriæ domus damno non poteras.*

*Scio Petrum prodigum quæcunquè bona eſſe diſſipaturum : poſſum ne debitum eius inopiæ, aut hæredibus ſeruare ? Quidam non admittunt aſſerentes omnino reſtituendum, & cuiſcunquè abutenti rebus ſuis modò fiat ſine proximi iniuria. Aſt ego cum Emanuele aſſerim talem aſſeruationem eo motiuo iuſtam & laudabilem.*

*Dubito vtri duorum debeam ; certus me alteri eorum debere : quidnam mihi præſtandum ? Da vtri que dimidium. Sic idem Saa ex Soto.*

*Mihi culpa leiſi depositum aut commodatum : num teneor reddere ? Ex Toletò negatiuè reſpondendum.*

*In debitis eiſdem ordinis, quodnam prius ſoluendum ? Reſpondet Leſſius cæteris paribus ſoluenda priora ; alioquã maiori damno prius occurrendum.*

*Mala fide rem ſurtiuam quis emit : num reſtituere teneatur ? Licet ſtatutum concedere videatur, vt res ſic emptæ emptoris ſit : nullo ſtatuto poſſe huiuſmodi emptorem à reſtitutione liberari puto.*

*Premiſſa diligentia dubius hæreo, an res mea ſit : poſſum ne eã*  
viti?

uti? Imo & distrahere, paratus quidem ad reddendum pretium Domino, si innotuerit. Sanchez ita.

Negotiationi pecuniam expositam à mercatore furatus quis est: ad quidnam tenetur? Molina affirmat teneri non solum pecuniam ablatam, sed etiam lucrum cessans restituere.

Possessor bonæ fidei inæqualiter dubitat, magis que inclinatur in eam partem, ut credat rem, quam possidet, esse alienam: tenetur ne illam restituere? Non; quia nullæ illi occurrunt rationes, quæ sufficiant ad assensum generandum; quare in illo dubio melior conditio possidentis. Sic Vasquez. Postea verus Dominus comparet: tenetur ne restitutionem facere? Non tenetur, nisi vel res ipsa adhuc extet, vel in quantum ex ea factus est ditior, sicut quilibet possessor bonæ fidei. Ex eodem Vasquez, & aliis.

Quis dum capit rem possidere titulo emptionis, vel donationis dubitabat an esset furtiva: num teneatur? Restituere tenetur, vel saltem diuidere rem huiusmodi. Sic Castro Palaus. Quod si tamen acceperat à possessore bonæ fidei, & adhibuit diligentiam, ut dubium suum deponeret, potest retinere; quia succedit in locum possidentis, à quo illam acceperat venditione, vel donatione. Ab eodem meo Castro accipi.

Dubito, num res furtiva sit, & illam emo, ut postea vero Domino restituam: possum ne inde deducere pretium pro ea solutionem? Affirmat Sanchez posse, modò fuerit iustum, & Dominus rei non fuisset sine expensis recuperaturus; tunc enim utiliter rem Domini gessit.

Possessor bonæ fidei quis est, postea autem dubitans an res esset aliena, neglexit inquirere, vnde iam factus est impotens verum Dominum inuenire: num restituere teneatur? Ex Castro Palaus puto probabiliter, non teneri; quia dubitans, an res sit aliena nec ne, dubitat an illa negligentia alicui damnum intulerit.

Impedit quis fraude, aut mendaciis, ne alicuius bona ob crimen fisco addicantur: tenetur ne ad restitutionem? Vasquez asserit non teneri; quia hæc proscriptio bonorum est  
pœna



pœna criminis; pœna autem non debetur ante sententiam saltem criminis declaratoriam, imo nec ante sententiam constitutivam pœnæ. Idem dicendum de testibus, qui falso testimonio impediunt sententiam, & consequenter confiscationem.

*Dubitas, an tuo consilio, seu culpa secutum sit damnum: teneris ne ad restitutionem? Docet Henriquez non teneri, quia in dubio, præsertim in materia iustitiæ melior est possidentis conditio.*

*Impedio, ne quis consequatur hæreditatem, officium, aut beneficium: quandonam teneor ad restitutionem? Teneris ex Vasquez quando vi, vel fraude impedis. Non teneris ex Lessio, quando precibus, blanditiis, aut muneribus impedisti; quia preces, blanditiæ, & munera non repugnant libertati, unde nulli irrogatur iniuria. Hinc qui per mendacium impediuit, ne Petrus eleemosynam Ioanni impenderet, dicens illum non esse pauperem, ad restitutionem teneretur.*

*Scio alterum meo nomine damnum illaturum, v.g. inimicum occisurum, non prohibeo: rogo, num ad restitutionem adstringar? Teneris planè, si alter sciebat suam voluntatem tibi esse notam, nec illi contradici; illa enim taciturnitas tua approbatio iudicatur, per quam ille mouetur ad damnum inferendum. Sin autem ignorabat suam voluntatem esse tibi notam, te restituere non teneri *Rebellus* affirmat. Nunquam autem (vri *Vasquez* docet) teneris ex ratihabitione eius, quod te ignorante, gestum est.*

*Bona fide rem meam furi vendidi, & pecunias illas furtivas vel cum meis commiscui, vel consumpsi, postea comparet verus pecuniarum furtivarum Dominus: rogo, an ad restitutionem teneor? Te non teneri *Laymanus* asserit; quia neque ratione iniustæ acceptionis (cum bona fide acceperis,) neque ratione rei acceptæ (cum vel illas furtivas pecunias consumpsisti, vel bona fide cum tuis commiscendo illarum acquisisti dominium,) neque etiam factus es ditior, cum rem tuam iusto pretio vendideris.*

*Multis civibus illatum est damnum, per minutas scilicet venditiones*

venditiones iniustas olei, panis, vini, &c. Cuinam illa restituenda furta minuta? Danda non pauperibus, sed ipsis ciuibus minoris vendendo, aut maiori mensura, donec ad æqualitatem damni veniatur, docet *Molina*. Ego autem cum *Vasquez* & aliis affirmo probabiliter posse dari pauperibus, præcipuè si eiusdem sint ciuitatis. Tunc equidem etiam Bullæ Compositionis locum esse certum est.

*Confessario dedi pecunias meo creditori restituendas, & post elapsum tempus scio Confessarium non restituisse: teneor ne denuò restituere? Cum Lessio* affirmo non teneri; quia cum non tenereris cum infamia restituere, fecisti quod potuisti: creditor autem illo satisfaciendi modo non potest rationabiliter non esse contentus.

*Qui cessit bonis tenetur, si postea ad pinguiorem fortunam accedat restituere. Hoc certum: rogo ulterius, an cedens bonis, tuta conscientia possit sibi, & familiæ suæ, ne indecorè uiuat necessaria retinere? Cum Lessio* assero posse; quod quidem est verum, licet debita, pro quibus cedit, sint ex iniustitia, & notorio delicto contracta, quamuis tunc non possit tantum quantum aliàs sibi retinere.

*Compositionis Bullæ beneficio debitis incertis satisfeci, comparuit postea verus Dominus: teneor ne aliquid restituere? Nihil: quia hæc compositio æquiualeat præscriptioni. Addit Henriquez* Episcopos posse huiusmodi Compositionis Bullas pro Dioccesibus concedere. Non vidi huiusmodi potestatem mandari exequutioni.

*Testis legitimè interrogatus tacendo, quod de proximi nobilitate sciebat, causa extitit infamiæ: num teneatur restituere? Tenetur uti Saa* asserit, nisi tacuisset damni proprii timore iusto, qui etiam post occasionem iudicij perseveret.

*Petrus Ioannem infamauit, obiit sine satisfactione adhibita: requiro, num hæres eius teneatur satisfacere? Lessius* putat non quidem famæ restitutionem ab hærede faciendam, sed damnorum tantum profectorum ex infamia.

*Quis alium falso testimonio in vitæ periculum coniecit: tenetur*

21.  
De Resti-  
tutione  
famæ.

320 *Moral. Theologia Tract. III. Iustitia,*  
netur ne cum etiam cum proprio vitæ periculo liberare? Tene-  
tur, si scienter id gessit; at si sine culpa debet retractare,  
si possit sine magno sui periculo. Quod si retractatio  
non esset profutura, non teneretur. Ex *Valentia* col-  
legi.

*Famam quis graviter alterius læsit, sed graviter ab eodem  
fuit læsus in fama: ad quid tenetur? Si tantundem est læ-  
sus ab eo, quem læsit, tenetur ad nihili; si inæqualitas  
adeft considerabilis, de partis satisfactione curetur. Toletus  
sequor.*

*Videt quis aliquem puniri per errorem, pro eo, quod ipse gessit,  
& tacet: num ad aliquam famæ proximi deperditæ restitutio-  
nem teneatur? Saa ex Navarro respondet non teneri. Ad-  
diderim, nisi sine graui periculo aut infamiæ, aut  
corporalis pœnæ possit proximum innocentem li-  
berare.*

*Quis accusatorem suum non potentem probare, vocavit ca-  
lumniatorem: num restituere teneatur? Ex eodem assero non  
teneri; quia huiusmodi accusatores calumniatores in  
iure vocantur.*


*Qui læsum honorem, aut famam non potest restituere, tenetur  
ne aliter compensare? Toletus docet pecunia, aut alia re  
compensare debere. Ego cum Saa & alijs existimo tam  
pretiosam gemmam haud pecunia compensabilem. Un-  
de qui non potest restituere famam, tenetur ad nihil.  
Petat ille veniam, & sufficit. Addiderim tamen virum il-  
lustrem longè inferioris hominis debere pecunia abla-  
tum honorem compensare, si aliter non possit, aut pro  
Superiori nobilitate non debeat.*

*Num sit peccatum mortale cum onere restituendi quem se-  
ipsum infamare? In re valde graui affirmo, cum falsò sibi  
delictum imputavit. Imò cum se verum dicendo infam-  
mat potest mortale esse ex scandalo, vel damno secuto;  
alioquin solùm veniale est. Quid si tormentorum timore se  
& alios infamat, & periculo mortis exponit? Nec videtur  
condemnandus peccati, nec obligandus ad restitutio-  
nem. Licet ne peccatum meum prode, cum alteri imputavi  
videat*

video? Licet, sed non teneris. Potes etiam tacere, cum crimen tibi imponitur, quod alius gessit. Ex *Molina, Saa,* & aliis.

Debetur restitutio famæ cuidam personæ bene de Republica merita, potest ne hæc huiusmodi restitutionem remittere? Potest; quia quilibet famæ aut honoris est Dominus, dummodo Reipublicæ ipsius fama non lædatur. Si tamen remittat, infamator ab obligatione iustitiæ liberabitur. *Saa.*

Qui famam læsit alienam, tenetur ne cum suo maiori damno quam alteri dedit, restituere? Tenetur, ut *Valentia* docet. Addit famosi libelli auctorem teneri per contrarium libellum restituere. *Toletus* autem affirmat lædentem famam interdum cum periculo vitæ debere restitutioni operam dare, ut si Regni, aut Reipublicæ fama sit restituenda.



EXAMEN III.

De iustitia, circa Materiam de Contractibus  
in communi.

CAPVT PRIMVM.

De Contractuum essentia, & varietate. Vbi de  
Promissione.

**Q**uid Contractus? Est actus externus inter duos vel plures ex consensu ipsorum, vtrò citròque obligationem pariens saltem in foro conscientia, modò non sit irritus iure naturæ vel positio. 22.  
Contra-  
ctus.

Quotuplex est contractus? Multiplex quidem. Alius *Onerosus*, per quem onus imponitur. Alius *Lucretius* seu *Gratuitus*, quo aliquid promittitur, vel traditur absque pretio vel mercede, qualis est commodatum, Mutuum, Precarium, Depositum, vel Testamentum. Alius fit in grauiam

322 *Moralis Theologia Tract. III. Iustitia,*  
 gratiam recipientis tantum, vt Mutuum. Alius in gra-  
 tiam tradentis tantum, vt contingit in deposito ple-  
 rumque. Alius fit in gratiam & bonum vtriusque, vt  
 Emptio, Permutatio, Pignus. Alius est simplex & absolu-  
 tus, & alius conditionalis. Alius licitus & alius illicitus.  
 Alius perpetuus, alius temporalis. Alius *Nominatus*, seu  
 qui proprium habet nomen, vt emptio & venditio.  
 Alius *Innominatus*, qui proprio caret nomine. Cuius  
 equidem innominati contractus quatuor sunt species.  
 1. *Do vt des.* v.g. si tradas Antonio panem, vt ipse tibi vi-  
 num largiatur. 2. *Facio vt des.* v.g. si seruias Petro, vt ipse  
 te doceat. 3. *Do vt facias.* v.g. si labores pro Ioanne, vt  
 ipse det tibi panem. 4. *Facio vt facias.* v. g. si Franciscus  
 laboret pro te, & tu pro illo laborem impendas. Alius  
 dicitur contractus *Bonæ fidei*, in quo iudex iudicat ex  
 æquo & bono, non ex rigore legis, & iuris scripti. Alius  
 dicitur *Stricti iuris*, in quo iudex iudicat ex rigore legis  
 & pactionis adstrictus ad verba, qualis est Donatio, Af-  
 securatio, &c. Alij contractus perficiuntur re ipsa, alij  
 verbis, & requirunt certam verborum formam, qualis  
 est stipulatio. Alij solo consensu perficiuntur exterius  
 vtriusque explicato, qualis est venditio. Alius dicitur  
*Pactum nudum*, quod in sola conuentione consistit; &  
 alius contractus *Vestitus*, qui maiorem habet firmitatem,  
 & robur, quàm habeat nudum pactum. Vestitur autem  
 multipliciter. 1. *Re ipsa*, vt si ex altera parte sit adimple-  
 tus. 2. *Verbis*, accedente forma stipulationis. 3. *scri-  
 ptura*, vt si quis sibi satisfactum esse fatetur. 4. *Iuramento*  
 & specifico nomine contractus, vt sunt contractus no-  
 minati in suo genere perfecti. Alij denique *Quasi contra-  
 ctus* nominantur. Hi sunt Tutela, cura, negotia gesta, &  
 alia quæ fiunt ex aliquo officio, sed non consurgunt ex  
 vero contractu.

23.  
 Promif-  
 sio.

*Quinam consensus ad contractum requiritur?* Necessarius  
 est consensus liber, promissorius expressus externo  
 signo, formalis, vel virtualis.

*Quid est promissio, quæ necessaria est contractus?* Deliberata,  
 &

& spontanea fidei obligatio facta alicui, de re aliqua bona, & possibili.

*Sunt ne iure positiuo aliquæ irritæ Promissiones?* Ita plañe, vt quæ præbent occasionem peccandi, quæ libertatem disponendi de rebus suis tollunt, & similes.

*Obligat ne interna Promissio?* Deo quidem facta obligat; quia & cognoscit, & acceptat; homini autem minime; quia non agnoscens non potest acceptare.

*Externa autem obligat ne ante acceptationem?* Minimè nec iure naturali, nec positiuo. Excipe aliquas priuilegiatas promissiones, v.g. factam ciuitati ad reparationem, factam vniuersitati, vel Ecclesiæ, aut Hospitali. Hæc enim etiam si non acceptentur obligationem ob commune bonum inducunt.

*Obligat ne Promissio externa acceptata, sub mortali?* Si fit rei notabilis, obligat; & datur ei de iure Canonico actio.

*Obligatur ne, qui non habet propositum promittendi, sed utitur promissoriis verbis ad firmum propositum significandum?* Non obligatur nisi ratione damni.

*Obligat Promissio acceptata de re illicita?* Minimè; quia nec huiusmodi res potuit promitti, nec acceptari.

*Quid si causa ob quam promissio facta est non subsistat: aut si rerum, vel personarum mutetur status?* Si arbitrio prudentis status ille mutatus illum euentum non comprehendat, & si causa non subsit, non obligat acceptata promissio.

*Contractus ex graui metu factus est ne irritus?* Non est irritus quidem ipso iure: irritari tamen potest ab eo, qui passus est metum. *Quid si leuis sit metus?* Etiam ex leui, potest in conscientiæ foro irritari. Idem affirmo in distractibus & remissionibus contractuum, & in reuerentiali metu, si minæ coniunctæ sint, aut grauis offensionis timor. Id quod locum habet etiam suo modo in importunis precibus, quæ alia via repelli non possunt.

C A P U T II.

*Quinam possint, aut non possint contrahere; & de restitutione ex contractu.*

24.  
Contra-  
beus.

**Q**uinam possunt contrahere? Contrahere generaliter possunt qui bonorum administrationem habent.

*Possunt ne minores?* Non possunt sine curatoribus, cum illis possunt sicut & Pupilli cum Tutoribus. Profectò absque curatoribus obligantur naturaliter, & in conscientia, aliquibus casibus exceptis: possunt tamen beneficio restitutionis in integrum obligationem elidere.

*Possunt ne contrahere Filij, familias?* Possunt de bonis Castrensibus vel quasi Castrensibus; non de aduentitiis, vel profectitiis. Si tamen contrahant & puberes sint, obligantur, & datur aduersus eos actio, nisi tanquam minores lesi vrantur restitutionis beneficio. *In seruis?* Non oritur ciuilis obligatio, sed tantum naturalis.

*Num qui ipso iure bonis priuati sunt contrahere possint?* Possunt quidem ante latam sententiam; quia Dominium bonorum suorum retinent, sed infectum, & affectum ea qualitate, vt post sententiam omnes contractus rescindantur, à die commissi criminis.

*Quid de contrahendi potestate Clericorum dicendum est?* De patrimonialibus, & quasi patrimonialibus contrahere possunt. In Beneficialibus autem de parte necessaria ad congruam sustentationem, possunt: de alia validi quidem contractus sunt, sed delinquant, si in vsus non pios expenderit. Porro immobilia Ecclesiae bona alienare non possunt, vt neque mobilia pretiosa quae possunt asseruari.

*Obligatur ne Monasterium ex contractu Religiosi?* Minimè obligatur ex contractu facto vltra traditam facultatem, & potest illum ratum non habere. Religiosus tamen qui  
sic

sic contrahit, ob periculum alterius peccat grauiter, si graue periculum sit.

*Iam verò queisnam personis restitutio in integrum ex contractibus conceditur?* Porro restitutio in integrum non habet locum, quando contractus omnino irritus est. Si Minor læsus sit, gaudet priuilegio restitutionis, & durat vsque ad vigesimum nonum annum. Competit autem illis de omnibus contractibus in minoritate factis. Aliis quoque conceditur, scilicet Ecclesiæ, Piiis locis, Communitati, Principibus supremis, Vniuersitati studiorum, Rusticis, & Mulieribus.

*Quandonam quis læsus dicitur?* Quando res vendita infra iustum pretium vel non debito tempore, vel facta donatio sine rationabili causa est.

*Possunt ne fructus percepti repeti?* Possunt quidem in contractu gratuito; in oneroso non, nisi quando iusto pretio res fuisset vendita.

---

### C A P V T III.

#### *De contractus obligatione.*

**Q***uidnam est obligatio?* Vinculum, quo adstringimur ad aliquid dandum, vel faciendum, quæ quidem in honestate morali, & in necessitate fundatur.

25.  
Obligatio  
contractus.

*Quotuplex obligatio?* Duplex ex charitate, & ex iustitia. Iustitiæ autem obligatio vel est naturalis tantum, vel ciuilis tantum, vel mixta ex vtraque. Oritur quidem ex contractu, vel quasi: & ex delicto vel quasi.

*Obligat ne omnis contractus?* Obligat quidem in foro conscientiæ: Iure positiuo aliqui irriti esse possunt. Obligatio autem ex contractu vel est in foro ciuili, vel in foro Ecclesiastico.

*Pactum obligat ne in vtroque foro?* Obligat; nudum non parit obligationem in ciuili, sed tantum exceptionem, & ius compensandi in foro conscientiæ; parit autem





316 *Moralis Theologia Tract. III. Iustitia,*  
obligationem in Ecclesiastico; at nudum pactum iura-  
tum etiam in civili obligationem parit. Porro obligatio  
hæc triplex habet fundamentum veritatem, præsum-  
ptionem, & pœnam. *Quando fundatur in præsumptione obli-*  
*gat ne in conscientia?* Non, si à parte rei veritas non re-  
spondeat. Præsumptio autem est, vel quod lex non assi-  
stat actui, vel quod etiam illi resistat. *Quid si fundetur in*  
*pœna?* Non obligat ante sententiam condemnatoriam  
criminis, & executoriam iudicis, si pœna corporalis sit.

*Quid est Actio?* Ius prosequendi aliquid in iudicio,  
quod sibi debetur. Duplex quidem est, realis, & perso-  
nalis; illa sequitur ipsam rem, hæc personam non  
egreditur.

26.  
Eiictio.

*Quid est Eiictio?* Ablatio rei habitæ emptione, vel alio  
contractu, interposito iudicis decreto. Habet locum in  
contractibus onerosis, vt emptione, permutatione, solu-  
tione debiti, diuisione hæreditatis, diuisione rei com-  
munis, promissione dotis, & aliis onerosis contractibus.  
Non in lucratiuis, excepta donatione, quæ à promissio-  
ne incipiat, modò animus donantis talis fuerit, vt in  
euentu, quo res non esset sua, tantundem dare voluerit.  
Conuenio efficere potest, vt locum habeat etiam in lu-  
cratiuis, sicuti vt locum etiam non habeat in onerosis.  
Profectò Eiictio multis in casibus locum non habet in  
venditione. *Quandonam igitur non tenetur de Eiictione*  
*venditor?* Primo, si mota lite emptori non fiat vendi-  
tori denunciatio illius ab emptore. 2. Si in contra-  
ctu contra cautum fuerit. 3. Si emptor lata sententia  
contra eum, non appellauit ab ea, absente venditore.  
4. Quando sententia iniusta. 5. Quando emptor per-  
mittit litem motam illi iudici, ad quem non pertinet.  
6. Quando emptor sciebat rem esse alienam, nisi aliter  
conuentum. 7. Quando emptor rem emptam præscri-  
bere potuit. 8. Quando sua culpa amisit. 9. Si em-  
ptor hæreditatem vendidisset: tunc enim si res aliqua  
in particulari hæreditate euincatur, non tenebitur  
hæres de euictio ne.

## CAPVT IV.

## De dolo in contractibus.

**Q**uid est dolus? Latè sumptus est executio solertiæ 27.  
 aliquid agendo, vel òmittendo, vnde alius rectè, *Dolus in*  
 aut non rectè in aliquo decipiatur. Profectò dolus ma- *contractibus*  
 lus est fallacia ad fallendum adhibita.

*Quotuplex dolus in contractibus?* Multiplex quidem.  
 Vnus circa substantiam, alter circa accidentia. Alius  
 dans causam contractui, alius incidens in contractum.  
 Vnus ex proposito, alter absque voluntate contra-  
 hentium.

*Quando nam dolus lædit contractum?* Si fit circa substan-  
 tiam, iure naturali contractus est irritus; si circa acci-  
 dentia validus, modò dolus non det causam contractui.

*Quid si det causam?* Non est irritus iure naturæ, quando  
 non est contra substantiam, nec iure positiuo, vt proba-  
 bilius iudico; irritari tamen potest. Profectò si in con-  
 tractum incidat, non irritat, sed est in facultate decipien-  
 tis, an velit stare, & resarcire pretium, an rescindere. Si  
 proueniat à parte, & non sit contra substantiam, irritari  
 potest; si à tertio, absolutè validus est: rescindi ta-  
 men potest errore patefacto, si gratuitus sit, si onerosus,  
 qui deceptus est, re integra, non tenetur implere: re  
 non integra, tantum agi potest ad diminutionem pre-  
 tij iuxta valorem rei cum illo defectu. Idem si dolus à  
 se ipso proueniat. Porrò simulatus etiam multis modis  
 esse potest.

## CAPVT V.

*De culpa in contractibus, casu fortuito, & aliis  
accidentibus.*

28. *Culpa in contractibus.* **Q**uid est culpa? Theologis peccatum, Iurisperitis de-  
quatio ab æquo & bono, quod communiter fit.  
Strictè autem sumpta, deuiatio est à bono, quod homi-  
nis diligentia prævideri potuit: seu omisso diligentia, quæ potuit ab homine adhiberi, ex inconsideratione  
proueniens.

*Quotuplex culpa hæc?* Triplex, lata, leuis, & leuissima.  
Prima est omisso diligentia communis, secunda homi-  
nis diligentis omisso, tertia omisso hominis diligentis-  
simi. Profectò contrahentes, iure naturali tenentur ex  
dolo, & ex culpa lata: Iure positiuo, si contractus sint  
in bonum tantum recipientis, tenentur ex lata, leui, &  
leuissima: Si tantum in bonum dantis, ex lata tantum:  
Si in bonum vtriusque ex lata, & leui.

29. *Casus fortuitus.* **Q**uid est casus fortuitus? Inopinatus euentus rei, quem  
humana prouidentia prævidere non potest, aut im-  
pedire.

*Tenetur ne in contractibus aliquis de casu fortuito?* Nemo  
tenetur regulariter. Porro in tribus casibus teneri po-  
test. Primus, quando culpa præcessit casum, debet au-  
tem esse talis, ut ea quis obligetur ex contractu, & casus  
ex illa contingat. Secundus, quando quis esset in mora,  
& post moram casus contingat. Tertius, si pactum inter-  
cedat de casu fortuito, requiritur autem expressio casus  
fortuiti, non enim satis est ad omnem casum obligari.  
Cum autem expressus est, adhuc teneri non potest, si  
culpa aduersarij casus contingat, si factò aduersarij in-  
cidat quis in casum fortuitum. Cum denique res trahi-  
tur alteri æstimata, non propterea sequitur, eum teneri  
de casu fortuito; nam propter alios fines assolet æsti-  
matio fieri.

*Quenam*

Quenam alia accidentia contractibus assolent accidere, quibus dicuntur non purè celebrari? Iam aperio. Primum accidens est, si fiant in diem, promittatur videlicet aliquid solvendum in diem, & tempus futurum; siue autem dies appositae certa sit, siue non, mortuo contrahente ante diem, transmittitur creditum ad hæredes. Secundum si addatur conditio, suspensio videlicet dispositionis; & quidem stando in solo iure naturæ, non impleta conditione vim contractus non habet. Si conditio sit possibilis, & contra substantiam contractus, aliquando illum viciat, ut cum resistit initio actus impediendo consensum; aliquando habetur pro non adiecta, si verò non sit contra substantiam, servanda est in utroque foro. *Conditio nunquam nubendi?* Habetur pro non adiecta, in favorem matrimonij. *Conditio contrahendi cum aliqua?* Valida est, si modo licitè fieri possit. *Conditio, si Religionem ingrediatur?* Etiam valida est. *Conditio, si casè vixerit?* Si appositae sit à marito, vel consanguineo eius, significat statum viduitatis; si ab extraneo, vel consanguineo viduæ, non prohibet secundas nuptias, significat enim illicitæ libidinis prohibitionem. *Conditio, si nupsert, relinquo ducenta: si non nupsert, & religionem ingrediatur, centum?* Intuitu boni finis, valere potest. Si quid tamen donaretur alicui, vel legaretur simpliciter sub conditione nuptiarum, dato quod Religionem ingrediatur, totum Monasterio debetur. Tertium præterea accidens est modus, qui quidem moderatio quædam est adiecta dispositioni, vel executioni. Si impossibilis sit, habetur pro non adiecto; si possibilis, tunc si censeatur tanquam causa finalis, dispositio nulla est, modo non impleto; si tantum tanquam causa impulsiva, valet etiam si non impleatur. Quartum, est causa, id scilicet, propter quod tanquam præsens, vel præteritum dispositio fit. Si causa subsistat, & dispositio facta est ob eam finaliter, non valet. Quintum, est demonstratio, hoc est appositio signi alicuius ad rem ostendendam; si constat de voluntate testatoris, in conscientia illi standum est; regulariter tamen

30.  
Alia acci-  
dentia in  
cōtractu.

C A P V T VI.

*Praxis circa praefata ex Societatis*  
I E S V *schola.*

31. **I**N magna annone penuria licet ne à Turcis, & infidelibus  
De con- **L**emere frumenta aliòsque cum illis inire contractus? Mercibus  
tractibus permutandis, licet; quia tempore necessitatis com-  
in com- mercium cum infidelibus non censetur prohibitum, uti  
muni va- Suarez asseruit.  
rij casus.

*Pœna conuentionalis contractuum debetur ne in conscientia ante iudicis sententiam? Non, auctore Vasquez, si debitor non sit in mora culpabili, vel si non sit pœna moderata.*

*Promisit pupillus, vel minor viginti & quinque annis contractu inuito, se soluturum: num teneatur? Minimè, sed certè exceptione legis ciuilibis se potest defendere, dummodo contractum iuramento non obfirmarit. Quid si pupillus soluit, non debens, creditori? potest ne creditor in foro conscientie rem illam retinere? Potest, donec beneficio legis ciuilibis ab eo reperatur. Quid si pupillus, aut eius nomine tutor rem aliquam indebitè solutam reperere velint, & propter negligentiam iudicis recuperare non possint? Compensationem aliquam seu clam, seu palam facere non prohibentur. Omnia ex Laymano.*

*Est ne validus contractus, in quo ius naturale seruatw, etiam si desit iuris humani solemnitas? Ita planè, nisi lex ita irriter contractum, ut etiam dominij translationem impediatur, ut à pupillo. Cui tamen iudex rem illam attribuerit per sententiam, licitè illam retinebit. Molina sic.*

*Certum est contractum minoris iuramento validari, ut dixisti: rogo, num ad huiusmodi contractum iuramento firmatum etas pubertatis requiratur? Quidam requirunt. Ego autem cum Sanchez deli capacem esse solummodò requiro.*

*Maior*

*Maior cum minori contractum inii, sine tutoris auctoritate: num uterque obligatur? Maiorem solummodo obligari docet Saa, minori que integrum esse, non velle stare contractui.*

*Contractus initur communiter, Reipublicæ quidem utilis, sed de eius valore ob aliquem defectum dubitatur: num annullandus? Condemnari, ex eodem Doctore, non debet, nisi aperte constet esse illicitum; cum præsertim Respublica ex potestate, quam habet in bona communia credenda sit supplere, si quid tali desit contractui.*

*Cum quis dolo inducitur ad contractum spirituales, vel Religionem, vel Matrimonium, tenetur ne implere? Tenetur: (uti Saa cum Sylvestro affirmat) nisi dolus eiusmodi fit, ut eo etiam prudens decipi posset; tunc enim putandum defuisse omnino voluntatem contrahendi. Porro in temporalibus esse contractum inualidum existimo, si ei dolus causam dedit, uti supra.*

*Desuit contractui consensus: potest ne post tempus adhiberi? Potest, & consequenter contractum validare.*

*In contractus instrumento non exprimitur omnia necessaria adhibita fuisse contractui: num validus habendus? Profecto tempus longum facit præsumi ei omnia necessaria adhibita.*


*Pactum contra bonos mores est ne validum? Minimè etiam si iuramento muniatur. Imò existimo cum Saa pactum contra bonos mores haud iuramento firmari.*

*Expende quæso, quandonam Promissio obliget, quandonam minimè obligare videatur. Obligat quidem promissio, nisi res sint ira mutata, ut si cogitasses ita futurum non promississes. Aut si non habuisti animum te obligandi, sed solum proposuisti facere. Vix autem quis promittentium obligari intendit, nisi iuret, aut instrumentum stabiliat. Itaque cum dicunt: *Faciam*, intelligunt, se facturos, nisi mutantur; volunt enim libertate frui. Qui autem animum habet promittendi, hoc ipso se obligat. Si tamen promissionem non implet ex causa, quæ sibi rationabilis videtur, non peccat mortaliter, nisi alioquin*

32.

De Promissione.

332 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitia,*  
sequeretur scandalum, aut graue proximi damnum;  
tunc enim qui promisit, etiam de damno tenetur, quo  
solo quidam asserunt promissionem ex iustitia obliga-  
re: alioqui solum ex fidelitate, & sine restituendi obli-  
gatione. Potest & quis promissum negare ei, qui quod  
sibi promisit, non praestat. Item cum sibi est pernicio-  
sum praestare; aut ei, cui promisit, inutile; aut is per in-  
gratitudinem fiat indignus; aut si est promissio vi ex-  
torta, & non firmata iuramento; aut si non est accepta,  
aut est de re illicita, aut donatio lege prohibita, v.g. Si-  
moniaci, aut de soluenda usura; aut si promissum sit  
(secundum quosdam) ei, qui sit denunciatus excommu-  
nicatus. Omnia ex *Molina*, & aliis.



#### EXAMEN IV.

De iustitia & iure circa Materiam de Contactibus  
gratuitis, scilicet Deposito, Donatione,  
Testamentis, Commodato, Precario,  
& Mutuo.

#### CAPVT PRIMVM.

##### *De Contractu Depositum.*

33. *Depositum.* **Q**uid est *Depositum*? Quo aliquid alicui traditur cu-  
stodiendum; vt illud integrum restituat.

*Quotuplex Depositum?* Triplex, Iudiciale, Ne-  
cessitatis, & ad custodiendum. Iudiciale quidem, quan-  
do debitor deponit pecuniam, quam creditor recu-  
sat acceptare; aut quando lis pendet de re aliqua, &  
interim ea deponitur apud aliquem, donec liti finis im-  
ponatur. Necessitatis autem, & ad custodiendum est,  
quando res aliqua aut necessitatis casu, vt contingit in  
domus conflagratione, aut Domino rei operante  
aliquid

aliquid apud confidentem hominem deponitur, ut custodiatur. Unde dominium depositi manet apud deponentem.

*Quinam possint deponere?* Omnes rei administrationem, aut possessionem habentes. *Quinam autem possunt esse Depositarij?* Omnes qui iudicio rationis pollent. *Num pupilli?* Possunt ex licentia tutoris. *An Religiosi?* Etiam ex Prælatorum licentia.

*Quenam res deponuntur?* Regulariter res mobiles deponi assolent.

*Quandonam & ubi reddendum Depositum?* Statim ac petitur. Idque in loco, ubi reperitur, nisi culpa depositarij fuisset in alium translatum, tunc enim in suum locum tenetur reducere. Profectò deponentes præferendi sunt aliis creditoribus si depositum penes publicum depositarium factum est. Deponentes autem omnes æqualiter admittuntur.

*Potest ne Depositarius uti re deposita?* Aliquando potest. v.g. si pecunia non sit obsignata; si sit ex iis, quæ consistunt in pondere & mensura; si bona fide credat Dominum consentire.

---

## C A P V T II.

### *De contractu Donationis.*

**Q***uid est Donatio?* Contractus, quo gratis, & liberaliter aliquid in alterum confertur, nullo ad id iure cogente. Perfecta quidem est, quando res traditur. 34. *Donatio.*

*Quenam est materia Donationis?* Omnia quæcunque in humanum veniunt commercium. Res aliena donari non potest. Omnia bona simpliciter non possunt donari; debet enim remanere testandi facultas.

*Quinam potest donatio fieri?* Cuilibet, etiam ignorantem, & absentem.

*Quinam verò donare possunt?* Ij soli, qui Dominium habent,



334 *Moral. Theologia Tract. III. Inſtitia,*  
habent, & adminiſtrationem cum alienandi facultate.  
Non poteſt quidem Prodigus, cui datus ſit curator à  
Magiſtratu; nec Minor ſine curatoris conſenſu; nec  
Filius-familias niſi de bonis Caſtrenſibus. Vxor quidem  
de parafernaliſibus, & propria induſtria acquiſitis poteſt;  
de bonis autem communibus minimè, niſi vir irrationa-  
biliter eſſet inuitus. *Poſſunt ne ſerui?* Si propria bona ha-  
beant, poſſunt facere donationem; de aliis non, niſi ex  
præſumpta dominorum voluntate. *Quid de clericis?*  
Beneficiarij quidem de congrua ſuſtentatione liberè  
poſſunt donare: de ea, quæ ſupereſt, minimè niſi in  
pios vſus. Id quod de Regularibus beneficiariis affirmo.  
*Num poſſint Regulares donare?* Supremam habentes admi-  
niſtrationem eleemoſynas facere poſſunt iuxta conſue-  
tudinem, & ſtatuta Religionis, moderatè etiam donare  
pro adminiſtrationis ratione. Inferiorem autem habens  
adminiſtrationem etiam competentes eleemoſynas fa-  
cere poteſt; ſi verò diſſipet, inualida donatio eſt. Sub-  
diti verò nil donare poſſunt niſi ex beneplacito indubi-  
tatè præſumpto ſuorum Superiorum. Circa ius nouum  
Clementis VIII. plura cum de Religioſo ſtatu.

*Donationis ſpecies indica, ac primum de ea quæ fit cum inſi-  
nuatione: quidnam eſt inſinuatio?* Quædam manifeſtatio;  
qua donans declarat iudici in ſcriptis, ſe liberè tantam  
ſummam alteri donare, & iudex ſuo conſenſu illam ap-  
probat. *Quandonam huiusmodi inſinuatio requiritur?* Ad do-  
nationem excedentem quingentos ſolidos, id eſt quin-  
gentos nummos aureos, alioquin donatio inualida eſt  
quò ad exceſſum; etiam ſi donatio ſit tantummodo ta-  
cita & præſumpta niſi firmetur iuramento, vel fiat cau-  
ſæ piæ, vel niſi fiat Principi abſoluto. *Si verò ponatur  
clauſula, qua dicat, ſe tot facere donationes quot fuerint ſumma  
intra quingentos aureos: valet ne?* Non quidem efficit, quò  
minus donatio inualida ſit. Nec remiſſio debiti ultra  
prædictam ſummam valet. In conſcientia tamen retine-  
ri poteſt exceſſus, donec in iudicio repetatur à donato-  
re. *Num in antidotali neceſſaria inſinuatio eſt?* Minimè, ficue  
nec

nec in reciproca nec in donatione causa mortis, nec ad  
pias causas, nec in renunciacione iuris sperati, nec  
donatione facta à Principe.

*Quid de Donatione remuneratoria?* Multiplex esse potest.  
Eam potest facere qui suorum bonorum administratio-  
nem habet. Prælatus etiam Regularis & Beneficiarius  
possunt. Nec censetur donatio simpliciter, cum sit ob  
causam, seruitia nimirum, & beneficia recepta.

*De omnium bonorum Donatione quidnam?* Profectò om-  
nium bonorum donatio inualida censetur. Valet autem  
si reseruetur vsusfructus, aut si causa mortis fiat, aut si  
iuramento firmetur

*Donationem causa mortis expendi.* Pluribus modis fit.  
Iuxta suum initium potius est contractus inter vi-  
uos: secundum effectum & stabilitatem plus ad vlti-  
mam voluntatem accedit.

*Censetur equidem inter viuos, quænam?* Si ponatur condi-  
tio, vt non reuocetur, donatio inter viuos censetur. Inter  
patrem & filium non emancipatum donatio esse non  
potest communiter, in quibusdam casibus potest. Inter  
conjuges autem donatio nulla est, nisi morte aut iura-  
mento confirmetur; in quibusdam tamen casibus non  
est prohibita.

*Quænam est Donatio propter Nuptias?* Quæ fit, cum ipsæ  
Nuptiæ fiunt. Ante Nuptias, quæ donantur, si matrimo-  
nium fiat, acquiruntur integrè donatario; si non fiat ex  
culpa donantis, acquiruntur eodem modo donatario:  
si ex culpa donatarij, restituenda donanti suut. *Quid de  
missis muneribus ab sponso ad sponsam?* Non sunt eius nisi  
matrimonium sequatur.

*Quænam dicitur Donatio pura?* Ea in qua nec dies, nec  
conditio, nec modus apponitur, in quo implenda sit,  
ideoque statim soluenda.

*Donatio in diem quæ?* Quæ non inducit obligationem  
nisi vt soluatur in diem statutum; si dies incerta est,  
habet vim conditionis; si certa, intelligitur de tali die  
proximè futuro.

*De donatione conditionali quid? Si conditio sit impossibilis, habetur pro non adiecta, si reuocabilis sit, vt in donatione causa mortis: in aliis non reuocabilibus efficit eam inualidam. Donatur mulieri aliquid spe inducendi eam ad malum: num est restituendum, si malum non sequatur? Profectò ea conditio non sequuta minimè inducit obligationem restitutionis; quia etiam ad fœminam alliciendam ad libidinem debebat donans ostentare se sine spe retributionis munera obtulisse.*

*Quonam modo potest donatio reuocari? Porro ex mera voluntate donatoris reuocari non potest; potest verò ob donatarij ingratitudinem. Ob causas alias æquè graues potest in foro conscientia, at in externo non admitteretur reuocatio. Quid si clausula apponatur, vt reuocari non possit ob ingratitudinem? Non valet, nisi iuramento stabilatur. Profectò si sit donatio ex causa, ob ingratitudinem non reuocatur. Non habens liberos donat extraneo, post donationem filij ei nascuntur: valet ne prima donatio? Ipso iure rescinditur. Certè si donans cogitasset de filiis, cum donauit, valida esset donatio, saltem viuente patre. Fit donatio vni filio, & postea alij nascuntur: reuocatur ne? Ita planè; quia inofficiosa est, idque etiam si iuramento obfirmata esset. Quid de facta extraneo ab habente filios? Reuocatur in totum, si re & animo inofficiosa fuit; si re tantùm, reuocatur solùm quoad incrementum transcendens legitimas filiorum; respectu ascendentium etiam potest esse inofficiosa donatio.*

---

### C A P V T III.

#### *De Testamentis & legatis.*

25. *Q*uid est Testamentum? Iusta sententia voluntatis nostræ de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum directa hæredis institutione. *Differt ne à Codicillo? Differt hac vltima conditione; quia in Codicillo non instituitur*

*Testamentum & legatum.*

instituitur hæres. Prætereà in solemnitate, satis enim ad Codicillum quinque testes adhibentur, cum ad Testamentum septem requirantur.

*Quid legatum?* Legatum planè est donatio quædam à defuncto relicta & ab hærede præstanda.

*Ad Testamentum clausum quotnam testes requiruntur?* Septem, scilicet mares, liberi, rogati, præter alias solemnitates. Iis deficientibus in foro conscientie valet non in exteriori, ideoque hæres ab intestato tenetur restituere hæreditatem, si sciat talem fuisse testatoris voluntatem; imò cogi posset ad id, si vel fateatur de voluntate testatoris, vel nolit iurare oblato iuramento. Ad pias autem causas valet sine solemnitate, etiam in foro exteriori; satis enim duo testes sunt: in conscientia verò nec testes necessarij. In alijs autem contractibus probabilius est non valere absque debita solemnitate, si irriti à iure decernantur.

*Quinam possunt testari?* Omnes, qui prohibiti à iure non sunt, ut impuberes, Religiosi, criminosi intestabiles facti. Filij familias de Castrensibus & quasi, possunt, non de alijs, nisi de consensu patris. Beneficarij de patrimonio & alijs sua industria congregatis, vel ex substractis è congrua sustentatione.

*Quinam autem possunt heredes institui?* Omnes lege non prohibiti, Communitates etiam, naturales filij, non autem spurij, licèt his alimenta debeantur.

*Est ne reuocabile Testamentum?* Ita equidem vsque ad mortem, validumque secundum, etiam si primum iuratum fuisset non reuocandum.

---

## C A P V T I V.

### De contractu Commodati.

**Q**uidnam est Commodatum? Gratuita concessio alicuius rei quoad solum usum, eumque certum, ac determinatum.

36.  
Commo-  
datum.

Quenam

*Quenam sunt commodati substantialia conditiones? Hæc quidem. Vt tradatur: Vt dominium remaneat penes commodantem: Vt reddatur in eadem specie: Vt commodetur gratis: Vt detur ad aliquem specialem usum.*

*Exprime commodati materiam. Res mobiles, & immobili- les, quæ usu non consumuntur.*

*Recense commodantis obligationes. Monere de rei commo- data vitio: Extraordinarias expensas in rei commodata reparacionem soluere: Ante completum tempus non repetere, nisi aliquis grauis casus acciderit.*

*Iam commodatarij obligationes aperi. Non debet vti re commodata nisi ad usum conuentum: Restituat suo tempore eandem in specie non factam sua culpa dete- riorem: Seruet ea cura, qua rem suam: Damna ex sua culpa secuta compenset. Tenetur verò culpa lata, leui, & leuissima. Denique si commodatarius fuerit in mora ad omnia damna tenetur.*

## C A P V T V.

### *De contractu Precarij.*

37. *Precarij.* **Q***uid est Precarium? Quod precibus petenti conce- ditur ad usum tandiu quandiu qui concessit non reuocauerit.*

*Recole materiam, & substantialia Precarij. Materia eadem, quæ Commodati. Substantialia, traditio rei, & libertas reuocandi, quandiu libuerit concedenti. Pactum, ne possit reposcere, nullum est. Obligationes eadem ferè quæ in commodato.*

*Quandonam finitur? Morte eius, cui fuerat concessum: voluntate concedentis: tempore præstituto: & alienatione rei precario concessæ. Si tempus præstitutum non sit? Censetur concessum quousque non reuocetur. Si conce- datur ad beneplacitum? Morte concedentis finitur.*

*Oritur*

*Oritur ne ex Precario alio?* Tantum oritur, quando datum sit expressa conditione, ut redderetur, quando concedens repeteret. Profecto Precariae sunt multis modis, & quinto quoque anno reuocantur.

C A P V T VI.

De contractu Mutui.

**Q**uid Mutuum? Quo quis alteri rem suam tradit ad usum, ut statim fiat accipientis, & restituat postea tantundem eiusdem rationis, & qualitatis. 38. *Мутуум.*

*Quanam Mutui materia?* Res vsu consumptibilis, ut pecunia, &c.

*Quidnam pertinet ad Mutuum?* Profecto rei traditio: ut sit ex numero rerum, quae mutuo dari possunt: Ut gratis tradatur.

*Quonammodo res mutuo accepta reddenda est?* In eadem qualitate, & bonitate intrinseca.

*Indica Mutui diuisiones.* Diuiditur multipliciter, tum ex parte rei, quae traditur, in rem quae consistat in numero, vel pondere, vel mensura: tum ex parte modi, in expressum, & tacitum: tum aliis modis secundum Iurisperitos.

*Quinam mutuo dare possunt?* Omnes, quibus libera suarum rerum administratio non est interdicta. *Filiusfamilias accipiens mutuum tenetur ne in foro externo ad restitutionem?* Si accepit absque patris consensu, non tenetur ob *Senat. Consul. Macedonian.* At in foro conscientiae tenebitur. *Ecclesia aut ciuitas tenentur ne de mutuo?* Ita quidem, quatenus mutuum versum sit in earum utilitatem. *An Minor teneatur soluere mutuum suo nomine à curatore acceptum?* Minimè, nisi creditor probet fuisse in utilitatem minoris conuersum. *Vitiatur res mutuata, nec usque ad constitutum tempus reddenda est: tenetur ne mutuator de vitio monere?*

340 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitia,*  
Proculdubio tenetur. Quod si nec moneat, nec suo tem-  
pore reddat, tenetur ad damna.

*Qualis reddenda res mutuata? Debet mutuatarius rem  
eandem in specie reddere, in quantitate, in bonitate  
saltem intrinseca, & in omni euentu, etiam si casu for-  
tuito perierit.*

---

## C A P V T VII.

*Praxis circa praefata ex Societatis  
IESV schola.*

39. *De depo-  
sito varij  
casus.* **D**epositarius frumenti, vini, seu aliarum rerum usu consum-  
ptibilem eas alienat, seu consumit delinquit ne? Non  
peccat saltem grauiter, modò certus sit, se tantundem  
eiusdem generis, ac bonitatis pretio habiturum, cum  
Dominus repetierit; quia tunc talis alienatio in nullius  
damnum cedit.

*Perit deposita res penes depositarium: tenetur ne in con-  
scientia eam reddere? Non tenetur nisi ex culpa graui &  
lata; non autem ex leuissima, & leui, nisi aliter sit inter  
contrahentes conuentum. Sic Fillutius, & Lessius.*

*Potest ne Thesaurarius vel procurator Principis, Domino in-  
scio, cum ipsius pecuniis in suum commodum negotiari? Potest  
ex doctrina Lessij, modò nullum incommodum, aut pe-  
riculum Domino obuenciat.*

*Dubitat depositarius, an res sua culpa perierit: tenetur ne re-  
stituere? Affermat Sanchez non teneri; quia in dubio non  
praesumitur delictum.*

*Mittitur depositum per hominem fidelem habitum, ad Domi-  
num, portans sibi retinuit: cuiam perit? Perit Domino; quia  
depositarius egit, quod Dominus rei non poterat ratio-  
nabiliter impugnare. Molina sic.*

*Depositarius quoniammodo obligatur ad rei depositae custo-  
diam in periculo? Si deposita est apud te causa solius de-  
ponentis, in periculo postponenda sunt tuis omnibus: si  
verò*

verò causa vtriusque, tuis æqualibus : si autem tua causa solum, tuis pretiosioribus. Profectò offerre aliena periculo pro tuis non potes : sed tamen seruare tua neglectis alienis, eo modo quo dictum est, potes, si ea simul cum tuis seruare non potes. Saa cum Syl. sic asseruit.

Potest ne depositum retineri pro debito ? Potest ex eodem Saa, quidquid sit de foro externo, in foro conscientie retineri.

Deponentis omnia bona sunt Fisco adiudicata : rogo num depositum dandum Fisco, an deponenti ? Dandum deponenti crediderim cum Saa quod ad forum attinet conscientie, nisi id iudex prohibuisset.

Depositarius reddit familiari deponentis depositum, quod Domini nomine petiit : num rursus teneatur, si familiaris retinuit sibi, restituere ? Non uti Saa idem asserit ; quia non leuiter credidit Domini nomine repeti. Addit autem non liberari depositarium, si rem pretiosam dedit leuiter credens signum aliquod afferenti.

An donatio facta per metum ad id incussum valida sit ? Non, nisi iuramento firmetur. Tenetur, quidem quia iurauit dare ; sed alter tenetur restituere ; quia dare per metum coegit. Sic ex Lopez Saa.

Valet ne donatio coniugi facta ? Valere respondet Molina, si fiat ob causam piam, vel honestam : aut si donans non sit sic pauperior : (non sit autem qui non acquirit cum possit) aut accipiens non sit ditior : aut si remuneratoria : aut fiat in tempus soluti matrimonij : aut causa mortis : aut condonando promissam dorem : aut sit confirmata iuramento de non reuocando : aut post rem datam donans moriatur : aut in Religione nihil possidente profiteatur. An donatio inter sponsos de futuro valeat ? Valet, asserente Molina, nisi fiat in tempus futuri matrimonij : tunc enim potest reuocari. Quid de donatis vxori à consanguineis viri ? Putat Saa vxoris esse in foro conscientie. Facta donatio propter nuptias, scilicet facta ab sponso, dum contrahitur, aut quasi contrahitur matrimonium, cuiusnam est matrimonio soluto ? Ad virum

40.

De donatione.



342 *Moralis Theologia Tract. III. Iustitia,*  
redit, auctore Molina, cuius etiam sunt fructus matri-  
monio durante.

*Quisnam in casibus pater potest donare filio?* Respondet  
idem Molina donare posse propter nuptias, & cuncti ad  
bellum, & emancipato, & remunerando, & ad alimenta,  
& ad honorem acquirendum, & studij causa, & vsum-  
fructum bonorum filij ipsius, & aliis in casibus. Addit  
Ddctor patris donationem conualescere emancipatione,  
& patris morte; vnde fructus percepti à tempore do-  
nationis filij sunt.

*Potest ne donatio ante acceptationem reuocari?* Potest (au-  
thore Saa) etiam si facta fuerit cum scriptura & testi-  
bus. Addo posse Notarium pro absente acceptare, &  
quemque idem posse in donatione pro causa pia. Opor-  
tet verò vt donans indicet absenti, & non sufficit, vt  
alius faciat sine eius mandato. *Quid si ille praesens tacet?*  
Censetur proculdubio acceptare.

*Donatio quae non fit causa mortis potest ne reuocari?* Si non  
fiat causa mortis, censetur facta inter viuos, nec potest  
reuocari nisi ob donatarij ingratitude, vti Saa ex  
Covar. asseruit.

*Potest ne Rex donationem suam, aut praecessoris reuocare?*  
Potest, si Regnum insigniter, seu enormiter laedatur.  
Sic Saa.

*Facta est donatio cum damno creditorum, & intra annum  
creditores non petunt illius donationis rescissionem: rogo, num  
donatarius ad restitutionem teneatur?* Respondeo ex Molina  
non teneri, nisi sciens & prudens impulisset donato-  
rem ad donationem in fraudem creditorum facien-  
dam.

41. *Executor Testamenti statutus tenetur ne illud officium acce-  
ptare?* Minimè, etiam si consanguineus sit, nec posse ad  
hoc à iudice cogi docet Sanchez. Quo in casu assero Epi-  
scopum testamenti fieri executorem.

*Potest ne Episcopus legatum pium in melius, aut aequale com-  
mutare?* Posse Vasquez iudicat, maximè cum haeredum  
consensu. Quo in casu Episcopus minimè, auctore me,  
voluntatem

De Te-  
stamen-  
tis, & le-  
gatis.

voluntatem testatoris infringit, sed interpretatur. Scio tamen *Molinam* contrarium probabile reputare.

*Relinquitur Antonio legatum sub conditione hac: si non nupsit, vel si Religionem non ingrediat: potest ne legatarius in foro interiori, & exteriori legatum accipere, etiam si has non impleat conditiones? Potest ex Sanchez sententia. Cùm enim hæ conditiones merito à iure reprobentur, & pro non appositis habeantur: non tenetur Antonius eas in conscientia seruare; quippe voluntas testatoris secundùm ius est accipienda, & ubi ab eo deficit, non seruanda.*

*Sunt ne legata in rigore literæ interpretanda? Locus ex Sanchez autoritate ampliationi datur. Vnde legatum pro fabrica templi potest expendi pro ornamentis, & aliis cultui diuino necessariis. Legatum distribuendum quotannis, potest simul totum dari. v.g. alicui hospitali, vel Monasterio. Legatum dandum naturalibus alicuius loci, potest dari iis, qui ibi decennio habitauerunt, licet aliunde sint oriundi, nisi de animo inibi non manendi perpetuò constet.*

*Expone quandonam testamentum sine iuris apposita solemnitate validum sit? Respondeo ex Molina, Saa & aliis, in testamento parentum etiam cœcorum inter liberos & horum descendentes etiam per fœminam sufficere suam voluntatem declarare coram duobus testibus; etiam non rogatis, etiam fœminis; in testamento autem apertè scripto quinque testes, vel tres cum Notario sufficere; matris testamentum inter filios naturales & spurios minùs solemne valere; patris testamentum inter liberos ab eo solo scriptum, aut subscriptum validum esse etiam quoad pia legata; cùm difficile est in testamento clauso habere septem testes, sufficere quinque, item si fiat ab eo qui communiter ruri habitat; sufficere testari coram Principe & duobus testibus; sufficere duos testes, si coram eis hæres promisit testatori, se eius voluntatem seruaturum; testamentum coram Prælato & duobus testibus validum esse saltem in terris*

344 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitia,*  
Ecclesiae subiectis, & rebus fori Ecclesiastici, & ad pias  
causas; testamentum minus solemne valere ut codicil-  
lum, si habet requisita ad codicillum, & testator dixit se  
velle, ut valeret meliori modo quo posset, quod omnes  
et si non dicant; communiter tamen volunt: ad codi-  
cillum autem quinque testes sufficere etiam non roga-  
tos, etiam foeminas, quod si fiat inter liberos, aut milites  
in bello sufficere duo; in codicillo autem caeci sicut in  
testamento septem testes cum Tabellione vel altero  
eius loco requiri; codicillum denique etiam factum  
ante testamentum valere.

*Quinam non possunt esse testes in testamentum?* Nec ser-  
uus, nec haeres, nec is, in cuius haeres est potestate, ut pa-  
ter, auus. Nec incapax testamenti testatoris, ut spurius;  
nec haereticus, nec intestabilis iure; nec foemina nisi in  
quibusdam casibus, ut tempore pestis. Ex *Saa* & aliis.

*Iuravit quis non reuocaturum testamentum, quod nihilominus  
reuocauit: rogo num valeat reuocatio, & an periurij crimine sit  
reus?* Valere reuocationem certum est: esse periurum  
etiam assero communiter, nisi testamentum esset ini-  
quum. Scio *Saa* ex *Salone* docere etiam testamentum  
iustum sed tamen imperfectum, dum iusta causa reuo-  
candi intercedit, sine periurio posse reuocari.

42.  
De com-  
modato  
aut Pre-  
cario.

*Potest ne commodatum ad certum usum repeti?* Non posse  
ait *Molina*, etiam superueniente necessitate, si commo-  
datarius aliunde fuisset habiturus, nisi tu commo-  
dasses.

*Commodo rem vitiosam: teneor ne de damno secuto?* Tene-  
ris si scienter commodasti, & commodatarium non ad-  
monuisti. Sic *Molina*.

*An commodatarius teneatur de culpa leui, an solum de gra-  
ui?* Quidam aiunt non teneri in conscientia nisi de cul-  
pa mortali. Ego existimo teneri in totum de graui cul-  
pa, in partem de leui.

43.  
De Mu-  
tuo.

*An licitum commodato uti ad alium usum, aut diutius  
quam voluit commodans?* Furtum esse *Molina* asserit.

*Circa Mutuum denique, qui dat mutuum potest ne pacisci  
cum*

cum mutuuario, ut statim sibi lucrum reddat ex illo mutuo. Possit, Lessio fauente, affirmo duobus modis. Primo, mutuando v.g. centum aureos ea lege, ut statim mutuarius reddat nouem ratione lucri cessantis ex nonaginta vno, quos ipse retinet; quod facere potest sine vlura; quia nihil est aliud, quam mutuare nonaginta vnum cum lucro, & alios nouem sine lucro, qui tamen statim sunt reddendi ad soluendum lucrum proueniens ex nonaginta vno, quos mutuarius mutuos accepit. In quo quidem contractu mutuarius non magis grauatur, quam si solutio lucri differretur. Secundus modus est, si mutuans non accipiat illud lucrum cessans ex illa pecuniæ summa, sed in oleo, frumento, hordeo, &c. Vti Salas & Azor adnotarunt.

Potest ne mutuans aliquid amplius propter verum, & graue periculum amittendi debiti exigere? Possit Salas docet; quia hoc ad indemnitate[m] mutuantis pertinet.

Mutuanti notabile aliquod damnum emergit ex mutuo dato, ante quam mutuarius sit in mora soluendi: rogo, num teneatur mutuarius illud damnum resarcire? Non teneri asserit Lessius; qui mutuum cum hoc onere, & pacto non accepit.

An possit mutuans percipere lucrum cessans ex mutuo, si aliunde alio lucro compensatur? Non posse Molina ait. Ego addiderim, nisi aliud lucrum aliunde proueniens nouæ mutuantis industriæ magis deberetur, quam mutui occasione.

Nouit quis pecuniæ valorem breui minuendum: potest ne illam alteri mutuare cum pacto, ut eam sibi restituat iuxta presentem illius pecuniæ valorem? Potest ex Reginaldo; quia nunc tantum do, quantum postea sum accepturus.

Licet ne aliquid accipere pro obligatione mutuandi? Licet Toletus ait, non tamen ratione periculi, cui pecunia mutuo data exponitur. At Lessius etiam huiusmodi periculi ratione licitum esse affirmat.


An mutuare liceat cum pacto remutuandi? Affirmo cum Saa non licere; obligare enim ad aliquid pecunia

346 *Moral. Theologia Tract. III. Iustitia,*  
nia æstimabile ob mutuam, vsura est.

*Licitum ne mutare alteri cum pacto, vt priuatam iniuriam tibi condonet? Licitum docet Lessius. Item si exigat iustam aliquam satisfactionem pro fama, vel honore violato, potes eum obligare ratione mutui vt condonet, pacto quidem amicitia, iustitia minimè.*

*Quod tibi à mutuario gratis donatur, etiam cum petisti, potes ne retinere? Possum; solùm enim prohibetur, quod ratione mutui velut debitum datur. Molina sic.*

*Quonam modo mutuum frumentum, aut pecunia reddenda? Ex Molina respondeo frumentum mutuum eadem mensura reddendum, aut pretium, quo valet tempore, quo redditur: etiam si reddatur in loco, vbi plus valet, aut tempore, quo plus valet, repetatur; quando scilicet non est tempus redditioni præfixum. At mutuatæ pecuniæ debet recipi valor temporis, quo data est, scilicet tot nummi, quot v.g. aureus acceptus tunc valebat. Porro pactum de recipiendo pro frumento quantum valet tempore, quo datur, est non mutui, sed venditionis. Lessius addit, si certum est, vel probabilius rem tempore traditionis valituram plus quàm modo valeat, non posse te obligare ad parem mensuram reddendam, sed ad eam tantùm, quæ adæquat pretium rei à te traditæ. Posse autem te id facere, si dubium sit vtrum valebit plus, an minoris; quin & maiorem te posse exigere, si certum, vel saltem probabilius valiturum minoris. Plura mox.*




## EXAMEN V.

De Iuſtitia & iure, circa eandem Materiam de  
contractibus Gratuitis, nempe de Vſura  
ex Mutui contractu.

## CAPVT PRIMVM.

*Quid, & quotuplex Vſura?*

 *Vidnam eſt Vſura?* Lucrum proueniens ex mutuo, 44.  
vi mutui. Ob amicitiam enim vel gratitudinem *Vſura.*  
mutuo dare non eſt vſura, nec etiam ob turpem  
amicitiam, nec vt ſoluatur debitum. Porrò hæreſis eſſet  
dicere vſuram non eſſe peccatum. Iure naturali prohibi-  
ta quidem eſt: in veteri lege permiſſa in recompen-  
ſationem bonorum, quæ iuſtè poterant Iudæi à Genti-  
bus vicinis auferre: in nouo Teſtamento iure diuino  
prohibetur: & quamuis iure ciuili permiſſa fuerit, iure  
tamen Canonico prohibita eſt.

*Quotuplex vſura?* Triplex. Prima diſtinguitur in Pa-  
ctiōnalem, & Exactionalem. Secunda in formalem ſiue  
apertam, & virtualem, ſiue palliatam. Tertia in Realem,  
& Mentalem. Realis quidem eſt lucrum, quod accipitur  
ex pacto expreſſo, vel tacito; Mentalis, lucrum ex mu-  
tuo abſque expreſſo, vel tacito pacto.

*Intenditur ( vt de vſura Mentali ordiamur ) lucrum ex mu-  
tuo tanquam debitum ex iuſtitia: eſt ne vſura? Ita planè; ac  
ſi tanquam ex beneuolentia, ſeu gratitudine nequā-  
quam. Porrò ex mutuo immediatè lucrum intendere  
non licet nec principaliter, nec minùs principaliter:  
ac verò lucrum intentum medià beneuolentia, non eſt  
vſura.*

*Datur à mutuuario lucrum, ad quod mutuans illum excitavit, ad remunerationem lucri: num sit usura? Fateor cum Filliatio periculosam rem esse. Si tamen solùm intendat mutuans lucrum ex liberalitate mutuatrij, non esset usura.*

*Venio ad usuram Realem, ac primò expende, quæso, quidnam sentiendum de Pactis in mutuo ratione ipsius actionis mutuandi. Hæ regulæ seruandæ sunt. 1. Obligationes, quæ à mutuatore requiruntur pro assecuratione rei mutuatæ, nec continent lucrum, licitæ sunt. 2. Vbi interuenit mutuum lucrum ex illo, & pactum illud recipiendi ex mutuo: ibi est usura formalis. 3. Pacta obligantia, ex iustitia ad dandum aliquid pecunia æstimabile ultra sortem, ex vi mutui, sunt illicita. Hinc pactum, vt mutuarius teneatur facere aliquem contractum cum mutuante, vel præstare munus à lingua, ab obsequio, à manu, vel facere aliquid turpe pretio æstimabile: vel dare officium, priuilegium, exemptionem ab aliquo onere, vel vt dimidium recipiat in mercibus, vel vt tempore messis reddat triticum pretio currenti, & similia usuraria sunt. 4. Pactum vt remittatur iniuria licitum est, quando iniusta vindicta exigeretur: secus si iusta: sicut etiam illicitum, vt remittat pœnam à iudice, ob iniuriam, imponendam. 5. Idem affirmo de pacto vt remuneret, vel emat in officina mutuantis, nisi inducatur tantùm obligatio gratitudinis, vel pactum fiat, vt reddatur mutuum, quando desinet officinam frequentare. 6. Idem etiam de pacto vt conferat officium, vel beneficium; si enim inducat solam obligationem ex amicitia, vel gratitudine, licitum est; secus si ex iustitia obligationem addat. 7. Pactum, vt restituatur in eadem mensura, etiamsi pretium creuerit, licitum est, quando æquè dubium erat; si probabilius autem erat, quod plus valiturum, non licet, nisi eò usque fuisset seruaturus: si probabilius quod minus, exigere etiam potest.*

*Quid dicendum de Pactis in mutuo ratione damni emergentis,*

gentis, aut lucri cessantis? *Damnum emergens quidnam?* Est detrimentum, quod quis patitur in rebus, quas habet, vel quæ ipsi debentur, idque ob mutuū alteri factum. Duplex est, Immediatum, & Mediatum: Intrinsecum & Extrinsecum. *Potest ne solui aliquid ultra sortem vi damni emergentis?* Potest planè, siue cogatur mutuare, siue spontè det, siue sit in mora mutuatarius, siue non sit; *Quanam, vt iustè fiat, conditiones requiruntur?* Tres. Prima, vt mutuū sit verè causa damni. Secunda, vt de illo mutuatarius moneatur. Tertia, vt relinquatur in sua potestate facere pactum de periculo damni, vel de damno. *Licitum ne pactum, vt soluatur lucrum, si suo tempore mutuū non fuerit restitutum?* Licitum est.

*Quid est lucrum cessans?* Utilitas vel æstimatio utilitatis acquirendæ, si mutuū factum non esset. Pactumque de eo est licitum modò adsint hæ conditiones: Vt mutuū sit verè causa cessationis lucri: Vt exigatur tantum, quantum valet illa spes lucri, deductis expensis: Vt conuenienti tempore exigatur, non autem statim dato mutuo; nisi in casu Examine 4. appposito.

*Tenetur ne mutuatarius antè moram ad damnum emergens, aut lucrum cessans?* Minimè, nisi pactum fiat; post moram autem ad vtrumque tenetur; idque etiam si mutuanus accipiat ad vsuram, ob negotiationem.

*Expendas, obsecro, num sint alij tituli connexi cum actione mutuandi, ex quibus accipi possit aliquid ultra sortem?* Plures sunt. Primus, ratione donationis, si vera ea interueniat; neque enim præsumenda est, nisi constet. Secundus, ratione eius quod aliàs erat debitum, modò debitum fuerit ex iustitia, non ex sola charitate. Tertius, ratione oneris mutuandi. Quartus, ratione periculi, sortis, & molestiæ, in pecunia recuperanda. Quintus, ratione carentiæ pecuniæ, modò simul cum ea cesset mutuando aliquod lucrum, vel aliquod damnum impendeat. Sextus, ratione fideiussionis. Septimus, ratione pœnæ conuentionalis, modò non imponatur in fraudem vsuræ, si moderata, & mora notabilis sit. *Quid si bona fide contractum*



350 *Moral. Theolog. Tract. III. In iustitia,*  
*tractum usurarium feci?* Ratione lucri cessantis retinere  
potes tantum, quantum lucratus fuisses iusto contra-  
ctu, modò intenderis dare omni eo meliori titulo quo  
potes: siue expressè talem intentionem habueris, siue  
virtute & implicitè.

---

## C A P V T II.

### *De usurarum restitutione.*

45. *Usura* **N** *Um usura Mentalis restituenda est?* Etiam restitui de-  
*restitutio.* bet, si ex parte vtriusque animus deprauatus sit,  
vel ex parte mutuatarij dantis inuoluntariè; si mu-  
tuans accipiat usuraria intentione, dum putat ita dedisse  
mutuatarium, tenetur restituere; at vt cognouerit ex  
gratitudine dedisse, potest retinere.

*Quid de usura Reali?* Restituendum equidem multò  
magis acceptum per realem usuram, quæcumque res  
sit, siue in se, si extet; siue in valore si non extet; dam-  
num item illatum, & lucrum cessans; expensæ etiam,  
quas mutuans in recuperanda re sua fecisset; officium  
præterea temporale receptum ex mutuo.

*Num bona emptia ex usuris possint alienari?* Possunt qui-  
dem, si habeat usurarius alia, vnde restituat; si non ha-  
beat, & alienauit cum rei propriæ diminutione, restitu-  
tioni obnoxia sunt.

*Bona ex usura perierunt: num ex bonis propriis debeat fieri  
restitutio?* Bona quidem propria, deficientibus aliis, &  
remanente obligatione restituendi, etiam restituenda  
sunt. Porro immediatum lucrum, quod accipitur vl-  
tra sortem sine controuersia reddendum: mediatum  
autem nequaquam, nisi ex re fructifera factum esset.

*Num sint usurarij inualidi contractus?* Inualidi sunt con-  
tractus facti ex usuris, ita vt qui scienter acceperunt, re-  
stituere teneantur. Validi autem sunt facti ex rebus em-  
ptis per usuras, modò eo tempore usurarius non ma-  
neat

neat impotens; si maneat, tunc si is qui accepit vfurarium, induxit, tenetur ad restitutionem: si non induxit, non tenetur, nisi res titulo gratuito esset alienata. Contractus per vltimam voluntatem inuvalidi sunt, si testator non sit soluendo: validi verò contractus circa res vitæ necessarias.

*Num hæres ad defuncti vsuras teneatur?* Tenetur planè, si relicta sibi satis sint ad soluenda debita, & ad portionem hæredibus iure debitam. Si vero hæres succedat etiam in crimine vfurarij, tenetur in solidum ex persona etiam propria tanquam cooperato vfurarum, quæ ab ipso essent acceptæ post mortem. *Quid si cooperato non sit?* Tenetur solum pro portionibus hæreditariis, non autem vltra hæreditatis vires.

*Ad quidnam cooperatores vsuræ tenentur?* Profectò cooperatores, qui se tenent ex parte mutuatoarij, non tenentur ad restitutionem: secus qui se tenent ex parte mutuantis, & sunt efficax vfurarum causa, vt consultores: dantes pecunias illi ad vsurâs exercendas: conscientes instrumenta, suppressa vsura. Ministri principales vfurarij tenentur in eius defectum; minus principales autem, vt famuli recipientes pignora, numerantes pecuniam, referentes in libros, non tenentur. Proxenetæ etiam, qui se ex parte vfurarij tenent. Aduocati consulentes vsuras etiam tenentur. Famuli verò pecunias custodientes regulariter non tenentur ad restitutionem.

*Quidnam de accipientibus ad vsuras dicendum;* Mutuum petere ab vfurario ex causa, non est peccatum. Porrò ille nec tempore necessitatis induci potest ad vsuras exercendas; sed tantum à peiori malo auerti, proponendo quod minus est. Soluens vsuras non delinquit, nec indirectè præbendo materiam ad vsuram. Ergo petere licet. Minimè licet petere absque necessitate. Imò vtilitas, & commoditas etiam excusant à peccato in petendo. Mutuum verò petere pro illicito opere probabilius tantum esse peccatum veniale.

*Quæstionem*

*Quaenam pœnis usurarij subduntur?* Notorij tantum subiciuntur pœnis, siue sint tales per euidentiã facti, siue per euidentiã iuris, siue per propriam confessionem extra iudiciũ coram Sacerdote & testibus. Non autem satis est vt notorius usurarius quis habeatur, vt laboret infamia.

*Pœnas recense usurariorum.* Prima est infamia, quæ quidem per pœnitentiã tollitur. Secunda, irregularitas. Tertia, suspensio ferenda. Quarta, depositio ab officio & beneficio item ferenda. Quinta, amissio usurarum. Sexta, exclusio ab Eucharistia. Septima, obligationes usurarij minimè recipiendæ. Octaua, priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Prohibentur etiam domus alienigenis usurariis locari. Communitates item non facere statuta, quibus usuræ permittantur, sub excommunicatione ipso iure lata prohibentur.

*Quonammodo sese Confessarius cum usurario gereve debeat?* Cum notorio se gerat sicuti cum aliis publicis peccatoribus; nisi enim restituat, si potest: vel cautionem det, non est absoluendus; si mors vrgeat, nec possit aliud agere, satis est propositum faciendi, cum soluendi promissione. Cum occulto autem, satis est si promittat restituere, vt possit absolui: nisi aliàs promississet, & non soluisset, tunc enim, si potest, restitutio præmittenda.

### C A P V T III.

#### *De Montibus pietatis.*

46. *Quidnam Mons pietatis?* Summa est pecuniæ, vel alterius rei mutabilis deputatæ ad subueniendum per mutuum necessitatibus pauperum.

*Mons pietatis.*

*Eius leges expende?* Tres sunt. Prima, vt pecunia data indigentibus sit in determinata quantitate, & ad certum tempus. Secunda, vt si non reddatur suo tempore, pignora

ignora vendantur. Tertia, ut mutuarius aliquid det in singulos menses vel annos pro Montis expensis.

*Licitus ne est pietatis Mons?* Imo & laudabilis ita, ut contrarium dicere, esset erroneum, uti præcipue ex Bulla Leonis X. constat, licitus etiam est cum tribus illis conditionibus. Attamen laudabiliorem illum Montem assero ita institutum, ut aliunde & non à mutuuario solvantur expensæ.

*Montis pietatis mixti conditiones & iustitiam assigna.* Mons pietatis mixtus continet pecuniam partim ex eleemosynis, partim ex contributionibus particularium, qui deponunt pecunias suas in Monte, ad augendum illum, & recipiunt quinque, vel sex pro centum in singulos annos. *Potest ne aliquid ex illo recipi?* Si solus depositi intercedat contractus, clarum est, nihil posse ex illo recipi. Si transeat in mutuum, aliquid recipi poterit ratione damni emergentis aut lucri cessantis. Ex parte verò Montis, si expensæ moderatæ sint, nec superent eas, quas ipse Mons facit, non est Mons propterea usurarius. Nec etiam ex parte eius, quod à mutuariis recipit, ut se seruet indemnem.

*De Montibus Romæ constitutis differe.* Alij sunt Montes Romæ ad instar censuum fundati in redditibus, distributi in multa loca, quorum singula constant centum aureis. Duplices sunt; quidam vacabiles, alij non vacabiles. Porro utriusque liciti, cum sint census quidam.

C A P V T I V.

*Praxis circa præfata ex Societatis  
IESU schola.*

**B**ona fide quis celebravit usurarium contractum quem  
um cognovit iniquum, alium iustum celebravit: po-  
test ne aliquid lucri retinere? Quidam probabile ex  
sæ affirmat posse illum tantum lucri retinere quan-  
tum

47.

De Re-  
stitutione  
varij ca-  
sus.

354 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitia,*  
tum per contractum licitum acquiuisissent si licite ab  
initio contractus iniretur.

*An Chirographa immatura minori pretio possint emi? v. g.*  
*ius ad centum aureos soluendos intra annum possit nunc emi no-*  
*naginta & sex aureis? Probabile assero posse; quia pecu-*  
*nia praesens pluris aestimatur, quam futura. Scio tamen*  
*probabiliorem contrariam Lessij sententiam.*

*Est ne usurarius contractus, quo quis rei venditae fructus sibi*  
*seruat, donec solvatur pretium? Ex sententia Sanchez assero*  
*usurarium non esse, quamvis neque emptor sit in mora*  
*soluendi, neque venditor ex pretio statim soluto aliquid*  
*esset lucraturus.*

*Quantum potest exigi à mutuataro ratione lucri cessantis?*  
Hanc ex doctrina Lessij regulam expono. Ut qui mutuatur,  
tantum remittat ex lucro cessante, quantum ipse daret  
alteri, qui ipsum redderet securum de toto sperato lu-  
cro, in se ipso suscipiens omne periculum. v. g. si quis  
speraret lucrum quindecim pro centum & libenter da-  
ret quinque pro assecuratione, debet tantum accipere  
decem pro lucro cessante.

*Est ne hic contractus usurarius? Do tibi mutuo centum au-*  
*reos, ut mihi vicissim mutues centum modios tritici. Affirmat*  
*Laymanus usurarium non esse; quia hæc obligatio impo-*  
*sita mutuataro parum est onerosa.*

*Erit ne usura, si mutuans deducat in pactum: vt mutuarius*  
*statim emat, vendat, remutuet, &c. Idem Layman liberat ab*  
*usura; quia ita mutuans nullam, causa mutui, imponit*  
*obligationem pretio aestimabilem, cum mutuarius*  
*non maneat in posterum ad aliquid obligatus, neque*  
*amittat suam libertatem vendendi, emendi, vel mutuandi*  
*in posterum. Ego quidem si libertas adstringatur usura-*  
*rium esse pactum affirmo; si non illigatur cum Laymano*  
*sentio.*

*An sit usura aliquod donum, vel munus à mutuataro accipe-*  
*re, ad quod dandum fuit excitatus à mutuante? Ex Molina*  
*placito negatiue respondeo; quia illud munus vi*  
*mutui non exigitur, neque ex debito iustitiae, cum*  
*nullum*

nullum interuenerit pactum, sed tantum ex gratitudine.

*Potest ne quis sumere mutuum ab usurario sub usuris non tantum ad necessaria, sed etiam ad superflua, v.g. conuiuia, torneamenta, &c. iuxta exigentiam status? Potest; (vti asserit Sanchez) quia non videtur malitiæ usurarij cooperari. Imò etiam si ad vana, & omnino inutilia dictam pecuniam peteret, solum veniali crimine foedaretur.*


*Usurarius qui nulla alia habet bona nisi restitutioni obnoxia, si donet, aut in dotem det, est ne obligatus soluere? Toletus asserit non teneri; quia usurarum non transfertur dominium.*

*Bona fide quis accepit aliquid tanquam donatum, comperit autem postea esse datum pro mutuo: quid præstandum? Ex Toletio respondeo teneri restituere, quantum factus est locupletior, nisi præscripsisset.*

*Tenetur ne restituere Notarius, qui facit instrumentum usurarij manifesti contra formam cap. Quamquam de usuris, l. 6. Respondet Molina negatiuè; quia huiusmodi instrumentum est ipso iure nullum. Addit neque ad restitutionem teneri inducens foenerarium ad foenerandum in gratiam foenerarij indigentis.*

*Plures heredes usurarij tenentur ne in integrum restituere? Ex Molina respondeo solum pro rata teneri, scilicet qui est ex dimidio hæres, dimidium debiti: qui ex tertio, tertiam partem; etiam si alij non restituant. Si quæ tamen res mutuatarij eadem superest, eam restituere tenetur quicumque habet, ex eiusdem Doctoris sententia.*

*Iuravit quis non repetere usuras: tenetur ne? Poterit Ecclesiæ denunciare, & ipsa cogere restitui. Quid si iurauit non denunciare? Non tenet iuramentum; quia de re illicita. Sic Saa.*



## EXAMEN VI.

De iustitia & iure, circa materiam primam de  
contractibus onerosis, scilicet de  
Emptione & Venditione,

## CAPVT PRIMVM.

*Quid, quotuplex venditio, & circa quas res  
versetur.*

48.  
Venditio.

**C**ontractuum onerosorum primus est emptio. Quidnā est?  
Permutatio quædam, hoc est, vicaria præstatio  
vnius pro alio; quæ in iis consistit, quæ vendi  
possunt: & tunc perfecta censetur, quando vtraque ex  
parte facta est traditio.

Quamam igitur contractus est emptio & venditio? Emptio  
quidem contractus est, qui consensu perficitur pretij  
pro merce: venditio autem mercis pro pretio. Est in  
vtriusque contrahentis bonum, & per illum dominium  
transfertur. Si duobus vendatur, debetur primo; nisi se-  
cundo tradatur.

Quid arrha operatur? Si discedit emptor à contractu,  
illam amittit venditori. Si venditor, eam reddit, & tan-  
tundem de suis bonis amittit emptori.

Quotuplex venditio? Multiplex. Prima Naturalis, qua  
necessaria ad sustentationem sui, familiæque emuntur;  
quæ quidem licita est. Secunda Artificialis, qua res per  
industriam commutata venditur; etiam hæc ex se bo-  
na, & licita Ecclesiasticis. Tertia Negotiatio, qua res  
emuntur eo animo, vt non mutata, carius vendantur ob  
lucrum; res est ex se indifferens, & si debite fiat, mora-  
liter bona, & Reipublicæ utilis. Ex circumstantiis potest  
vitiari,

vitari, & Clericis prohibita est, si sint in Sacris vt Beneficij: Religiosis verò, etiam si in Sacris non sint, vetita est, vt quæ personam tantam minimè deceat. Per alios equidem probabile est, Clericos scandalo excluso posse negotiari; alioqui Clericus negotiator immunitatis à tributis, & vectigalibus amittit priuilegium.

*Ex quæsiſnam rebus emptio & venditio potest illicita reddi?*  
 Ex multis. Primò, ex rebus, quæ vendi non possunt, vt sunt spiritualia, sacra quædam, publicæ res, homo liber, & similia. *Potest ne vendi res aliena?* Potest inter ignorantes; secus inter scientes. Porro nec inter ignorantes vendi potest ad effectum, vt eam Dominus vindicare non possit: ideòque consultum est venditori, vt inuenito emptore contractum rescindant. *Dubitat emptor rem esse furtiuam. Tenetur non emere. Si bona fide emit, & postea resciat esse furtiuam?* Tenetur Domino reddere, aut venditori ad pretium recuperandum. *Officia temporalia?* Ex natura rei vendi possunt: iure tamen humano prohibetur tum Ciuili, tum Canonico; nec quidem expedit huiusmodi officia vendi ob plurima mala, quæ inde possunt oriri. *Res propria ementis vendi ne potest?* Minimè, & venditio est nulla, vbi vel non est conuentio in pretio, vel non in re vendita, vel si error sit in substantia rei venditæ. Secundò, illicita redditur venditio ex personis, vel quia iis prohibita est, vt Ecclesiasticis: vel quia malè vendant, tum ex affectu inordinato ad lucrum, tum ex mendacijs & periurijs in re vendenda; vel quia iure communi prohibentur, v.g. Iudicibus emere præter necessaria: tutoribus res minorum, &c. Tertio denique illicita fit ex loco Sacro, vt si in Ecclesia fiat.

## C A P V T II.

*De Naturali, ac legali iusto pretio rerum.*

49.

**Q**uotuplex rei pretium. Duplex, naturale, & legale. Naturale quidem est pretium quod res habet

Naturale  
 ac legale  
 pretium.



358 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitia,*  
habet lege seclusa positiva, dependenter quidem ex ho-  
minum aestimatione.

*Quotuplex est Naturale pretium?* Triplex, supremum,  
medium, & infimum. Omnia quidem iusta.

*Vndenam eius iustitia desumitur?* Ex hominum aestima-  
tione. Ex variis circumstantiis, v. g. penuria, vel copia  
mercium, emptorum, aut venditorum, & pecuniae. Et  
ex modo vendendi, sub hasta, in officina, in discessu,  
minutatim. Non aestimatur autem ex rei nobilitate, &  
praestantia: ex usu tantum, v. g. quanti res empta sit, &  
vbi vendatur, & quot labores inlumpti.

*Sunt res quae nec naturale nec legale pretium habent: quanti  
vendendae?* Vendi possunt quanti Dominus volet, & in-  
ter contrahentes conuenerit ex probabili sententia;  
probabilius tamen ex Filiutio & aliis assero id aesti-  
mandum esse ex hominum peritorum arbitrio.

*Quanam efficere possunt maius pretium?* Officium mer-  
catoris, lucrum cessans, aut damnum emergens, admista  
donatio, & temporis instantia.

*Quanam minus?* Vilius quidem, quam alioqui valeret  
res, emi potest, si parum utilis emptori sit, si emptor quaeratur, si merces multae multique venditores, si donatio  
miscetur.

*Licet ne mercatori occulte diminutione mercis excessum pre-  
tij, quo vendere poterat supra infimum, compensare?* Mini-  
me; quia iam iusto pretio emptor ius in rem ac-  
quisiuit.

*Quandonam pretium aestimandum est iustum?* Profecto  
contractus tempore. Vnde sciens ex futura mercium  
copia eas viliores futuras, currenti pretio emere po-  
test. Econtra autem praevidens annonae penuriam emere  
potest tempore abundantiae currenti pretio: ut de-  
inde penuriae tempore multo minori pretio diuendat.  
*Quid se venditor legem diminuendo pretio sciver, ante eius  
promulgationem?* Non posset cum aliorum damno  
plus frumenti vendere, quam alioqui fuisset vendi-  
turus.

*Quodnam*

*Quodnam legale pretium? Quod publica lege taxatur. Quod quidem ita statui debet, vt rationale sit, & intra iusti naturalis limites. Num illud transgredi liceat? Minime, eodem manente rerum statu, & supposito, quod iustum sit. Quid si iniustum esset? Liceret v. g. artifici vendenti res, quæ in pondere vel mensura consistunt, tantum de pondere, vel mensura detrahere, quantum satis est ad iustum pretium.*

*Potest ne Respublica, aut Princeps minori pretio triticum taxare, quàm esset infimum naturale? Potest, ante eius pretij constitutionem; non tamen minori, quàm naturale iustum sit in ipsa constitutione. Non autem debet Princeps pretium taxans iustum naturale transgredi. Triticum certè taxari potest, non reliqua, ex quibus eius pretium minime pendet. Si triticum melius sit, quàm commune? Legale pretium transgredi licet, modò excessus in bonitate notabilis sit. Si defectus in bonitate sit etiam notabilis? Tenetur in pretio descendere, si pretium naturale non attingat preciam lege taxatum.*

*Num tempore sterilitatis taxa seruanda sit? Ita planè, si eo tempore facta sit; si verò tempore abundantie assero probabile, posse non seruari.*

*Naturale pretium non attingit pretium lege taxatum, aut merx vendenda, v. g. si frumentum cariosum esset, aut puridum: rogo, num tunc lex esset seruanda? Legale pretium seruandum non est, sed descendendum quidem iusti naturalis proportionem.*

*An externi ad taxam teneantur? Non solent teneri; quia pro iis taxari non solet.*

*Num Clerici teneantur? Ita planè, communis boni gratia.*

*Diuersa pretia taxata sunt: an liceat vendere in vno loco iuxta taxam alterius? Non, nisi eo transportanda merx esset.*

## CAPVT III.

*De venditionibus in particulari.*

50. *Venditio.* **Q**uid dicendum de Venditione, quae anticipata, vel dilata solutione fit? Certum quidem est, licere vilius emere anticipatè: intra iustum saltem infimum; & carius vendere credito, modò supremum seu rigorosum non excedatur. Item ob lucrum cessans, vel damnum emergens licitum esse affirmo emere infra iustum, & vendere plus iusto, prudentis arbitrio. Nec non ratione fraudis, v.g. si venditor merces, vel emptor pecuniam non tradat. Idem dicendum ratione modi vendendi: iuxta quæ anticipata lanarum emptio in Hispania, & alibi similibus rerum, diiudicanda erit.

*Num minus emi possit debitum acerbum, seu non maturum?* Potest, ob periculum illud non habendi: sicut ob lucrum cessans, vel damnum emergens. Si hæc desint, absolūtè non licet.

*Possunt ne Chirographa minus emi, quam id quod debetur?* Possunt ex variis causis. Illam seligo, quia pretio illo æstimabilis est carentia præsens pecuniæ. Vnde qui gratia apud Principem valet emere creditum priuati hominis potest dimidio minoris. Item mercator à paupere milite credita minoris emit, quàm sunt ea, quæ debentur.

*An debitor requisitus à creditore vt anticipatè soluat, possit soluere minus?* Ita planè. Non tamen vendi creditum potest, cum debitor soluendo non esset.

*Creditum vendi ne potest maiori pretio, quàm sit de presenti, si tempore solutionis credatur plus valiturum?* Potest, si venditor in id tempus seruaturus esset. Item ob lucrum cessans, damnum emergens, ob periculum, & molestias potest minùs soluere qui anticipatè pecuniam exhibet.

*Differas, quæso, de venditione rei aliquo vitio affectæ. Vitium hoc*

hoc triplex esse potest. In substantia : In quantitate : In qualitate. Idque vitium aut patens, aut occultum. *Vitium quidem occultum est, cognitum à venditore, & ab emptore ignoratum.* Redditur nullus contractus, vel venditor debet reddere emptori, quantum erat minus rem empturus. *Uterque occultum vitium rei ignorauit.* Validus est contractus; sed emptor habet actionem aduersus venditorem quanto minoris. *Uterque cognouit.* Valida venditio est in foro conscientie, sed venditor tenetur excessum ultra iustum rigorosum reddere. *Venditor ignorat, & dicit, se nolle de illo teneri.* Validus est contractus, & ad nihil venditor tenetur. *Vitium rei constat, nec venditor scit emptorem ignorare tale vitium.* Venditio est valida, etsi pretium æquale sit rei ad nihil venditor obligatur. *Occultum est vitium, sed tamen non reddit rem notabiliter minus utilem ad usum, propter quem emitur.* Satis est minuere pretium. v.g. si seruus duræ tantum sit conditionis : si sutor calceos ex debiliore parte conficiat : si mercator pannum venderet non admodum bene contextum, sed tamen qui duraturus conuenienti sit tempore. *Res vitiosa manifestè est, nec eo vitio notabiliter inutilis futura.* Potest vitium, quod ob incuriam ignorat emptor, non manifestari : etiamsi emptor non esset empturus, si sciisset. *Res cum aliis admixta est, v.g. hordeum cum modica portione auene.* Si minus bona non sit ad usum propter quem emitur : & vel diminutio valoris tam exigua sit, vt homines communiter parum de ea curent, potest admixtio non manifestari. Idem assero, si admixtio ea tantum de causa fiat, vt venditor se indemnem seruet absque emptoris damno. *Multi res simul venduntur, & una earum vitiosa est; sed adeo ita sunt omnes inter se connexæ, vt non possint à vitiosa separari?* Quoad omnes quidem contractus soluitur. Si tamen ita non sint connexæ, redhibenda tantum est illa, quæ reperitur vitiosa, reddito pretio. *Si mixtio nocere potest?* Facienda non est, alioqui venditor & peccat, & tenetur restituere damna secuta.

De Venditione sub hasta quid? Fit quidem sub hasta venditio

362 *Moralis Theologiæ Tract. III. Iustitia,*  
ditio earum rerum, quæ certum pretium taxatum non  
habent. Iustum autem illud est, quod tali modo venden-  
di reperitur, quodque medietatem iusti non excedat, vel  
deficiat ab ea. Fraudes omnes vitandæ tum ex parte ven-  
ditorum, tum ex parte emptorum, tum ex parte iudi-  
cum. Si quæ fiant, restitutionis sequitur obligatio.

*De Proxena, siue mediatore tuum placitum exprime.* Ven-  
dens ille rem ultra certum pretium æstimatum à Domi-  
no mercium, tenetur excessum etiam ei reddere: nisi in  
pacto sit, ut ultra acceptum pretium sibi retineat: tunc  
enim poterit retinere si excessus rigorosum pretium  
non excedat. *Quid in dubio?* Non licet nisi de volun-  
tate Domini interpretatiua, modò sit coniectura proba-  
bilis. Porrò pretium laboris Proxena non nisi ex pacto  
potest recipere. *Mediator iussus vendere aliquo loco, ubi non  
possit accipere pro merce nisi decem, v. g. morali adhibita diligen-  
tia: si alio loco distantiori vendat duodecim: potest ne lucrum  
illud sibi retinere?* Potest planè; quia lucrum indu-  
striæ est.

*De nonnullis aliis venditionibus differamus. Quidnam ven-  
ditio ad corpus?* Venditio quidem ad corpus dicitur,  
cùm sit simul mentio rei, & quantitatis illius tanquam  
signi, & demonstrationis: v. g. vendo tale prædium,  
quod est decem iugerum. Eius id proprium, ut censeatur  
vendita, etiam si mensuram esse maiorem reperiatur:  
solui tamen incrementum pretij debet, pro maioris  
quantitatis ratione.

*An licita sit venditio cum pacto de retrouendendo?* Licita  
est, tam si fiat in fauorem venditoris, quàm si in empto-  
ris fauorem, si sola rei natura spectetur: & si ob pericu-  
lum palliandi vsuras, vitanda sit; utrobique iustum pre-  
tium intercedere debet, quod minus iusto debet esse,  
cùm pactum est in fauorem venditoris: & maius iusto,  
cùm est in emptoris fauorem. *In fauorem vtriusque licitum  
ne?* Ita quidem; sed varium esse potest eiusmodi pa-  
ctum, nam & idem pretium solui potest in retractu, ut  
accidit in censibus, & diuersum ab eo: Fructus medij  
tempo

temporis, quando dissoluitur, pertinent ad emptorem, si retractus fiat pro eodem pretio: si diuerso, ad venditorem, qui rem redimit.

*De factis fieri solitis in venditione aliquid annexæ.* Pactum legis commissoria venditioni apponi solet: per quod, si intra certum tempus emptor pretium non soluerit, res inempta est. Pactum autem adiectionis in diem est, quando ea ratione aliquid venditur, vt si alius intra definitum tempus maius pretium offerat, vel meliorem conditionem, res non vendita fit. Venditio denique cum pacto conditionali tunc est, quando ita res venditur, vt si conditio impleta non fuerit, irrita sit venditio; quo in casu fructus ante conditionem ad venditorem pertinent: ea impleta, ad emptorem.

---

C A P V T I V.

*De aliis pertinentibus ad venditionem.*

**D**E periculo & comodo rei venditæ quid? Post traditionem quidem res vendita perit emptori. Venditione facta, non tradita re, fructus pendentes debentur emptori. Qui nascuntur, vel crescunt post venditionem sunt etiam emptoris, si hic soluit, & obtulit pretium, & venditor est in mora. Si autem pretium solutum non sit, fructus sunt venditoris, iure communi; at probabilius reputo esse emptoris soluto interesse venditori ob pretium non solutum, nisi venditor habuisset fidem de pretio, & concessisset dilationem. *Hinc requiro: cui nam debeantur naturales, aut industriales rei venditæ nondum collecti?* Debentur emptori, etiam si venditor dominium pro maiori anni parte habuerit. *In venditione cum pacto de retrouendendo, pendentes fructus ad quemnam pertinent?* Debentur venditori retrahenti, quando ad rem redimendam pretium offert. *Quid in censibus cum pacto de retrouendendo?* Si venditor redimat ante tempus destinatum solutioni

51.

*Alia de venditione.*

*364 Moral. Theologia Tract. III. Iustitia,*  
 census soluet pro rata temporis. *Fructus nati post venditionem cwinam?* Solutio pretio debentur emptori: etiam si res non sit tradita. *Fructus autem percepti post venditionem, quæ iuris beneficio rescindi potest?* Si rescinditur, restituen- di, nisi bona fide consumpti, & inde consumens non sit factus ditior. *Venditio ultra vel citra dimidium iusti pretij valida est ita vt in potestate emptoris sit, vel rescindere contra- ctum, vel supplere defectum pretij: eligit stare: quid tunc?* Sup- pleuit defectum, & fructus retinebit. *Quid si venditio irri- ta sit propter dolum dantem causam contractui?* Tunc electio esset venditoris, & teneretur emptor omnes fructus re- stituere etiam consumptos propter malam fidem. *Ven- ditur res cum pacto legis commissoriae aut adiectionis in diem.* Resoluta venditione, ex pactis illis fructus omnes resti- tuendi sunt venditori; non resoluta autem emptori. *Fructus rei vendita sub conditione?* Si conditio non existat, emptori non debentur: imo si pendente conditione res ei tradita fuerit, tenetur fructus perceptos resti- tuere.

*Emptio & venditio eiusdem rei reciproca, diuerso pretio, est ne contra iustitiam?* Non, si venditio & emptio semper in- tra latitudinem iusti pretij sit facta. At si mercator eo fine vendat, vt statim emat minoris ab eo, cui vendide- rat, sapit vsuram, sæpèque potest contra charitatem ac- cidere, vnde meritò reprehendendam duxi.

*Vendidit quis rem alienam bona fide.* Si factus esset ex ea ditior tenetur Domino lucrum reddere; si non est factus ditior, & mala fide vendidit, tunc ad re- stitutionem pretij, vel eius æstimationem tenetur, si Domino restituere eam poterat: si non poterat, & res per alienationem non est difficilius recuperationis, ad nihil tenetur.

*Quenam res simul vendi censentur?* Hæc planè. Vendito castro aut villa, etiam ius patronatus vendi censetur. Idem censeo de hæreditate, in qua patronatus ius est. Vendito fundo, venditur simul oratorium, si ad illud per solum fundum ducatur via. In venditione castri eius includi

includitur iurisdictionio. Vendito fundo, fructus pendentes simul vendi censentur. Venditis iumentis, aut nauibus, lacrum inde emptori præstabitur. Vendita silua cædua, glandes solùm pèdentes veneunt. Vendita equa, vèditus cèsetur pullus, si à matre nõ possit sine interitu separari.

*Quid si res vna duobus in solidum vendatur?* Secundus emptor priori præferatur, si illi res tradita; neque obstat, quod Ecclesia, vel persona Ecclesiastica sit, vel prior contractus iuramento firmatus. Si emptor secundus mala fide agat contra eum, res euinci potest. Emptor primus præferendus illi, qui rem postea dono accepit. Primus emptor cum hypotheca præfertur secundo, non obstante traditione.

*Quidnam est Monopolium?* Cum vnus vel pauci efficiunt, vt ipsi soli aliquod genus mercium vendant eo pretio, quo ipsi voluerint. *Num contra iustitiam Monopolium?* Si fiat conuentio, & non vendatur minùs, pretium tamen intra iustum sit, non est contra iustitiam, nisi fraude vel minis alios impedirent: At est contra charitatem. Si pretium sit contra iustum, peccant etiam contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem augmenti supra iustum. *Quid si supprimant merces, donec pretium accrescat?* Excusari possunt quidem ab iniustitia speciali, non tamen à legali & contra publicam vtilitatem, sicuti, neque à peccato contra charitatem. *Si autem impediunt, ne aliunde asportentur merces?* Si id faciant fraude, vel minis, ad restitutionem tenentur tum Reipublicæ, tum aliis mercatoribus.

*Quanam sunt venditoris obligationes?* Rem debet tradere emptori, si ipse Dominus fuerit rei quam vendit; si non est Dominus, tradat causã, & ius vsucapionis. Debet monere de vicio occulto, quando tale est, vt eius vsus noxius & periculosus sit, vel reddat rem inutilem ad eum vsum ob quem emitur; si est manifestum, non cogitur venditor emptorem admonere. Debet rescindere venditionem vi factam. Pretium debet esse iustum. De euictione tenetur.

*Quanam*



*Quoniam autem Emptoris obligationes sunt?* Integrum pretium praefinito tempore soluere debet. Qui emit praedium in quo scit latere thesaurum, iustum pretium soluit, si tantum det, quanti à nescientibus aestimatur. Supplere debet pretium, si dedit minus infimo iusto. Venditorem debet admonere de iusto pretio, si fortè ob ignorantiam minoris vendat. Damna item venditoris refarcire ob moram vel culpam in facienda pretij solutione tenetur.

*Quidnam est Retractus?* Quando quis privilegio, aut alia ratione legitima extraxit rem alteri venditam pretio, quo empta est. Habet locum in Emptione & Venditione, in censu, locatione, & conductione, in Emphyteusi, & similibus. Fructus, ab emptione perfecta retractantis sunt.

*Quid de Dissolutione?* Dissolui potest contrario consensu contrahentium etiam post traditionem. Porrò in dissolutione non debetur gabella.

*Si venditio fiat animo donandi?* Donatio erit, si fiat animo non recipiendi pretium; si animo remittendi pretium emptori, & vendendi, erit venditio.

## CAPVT V.

*Praxis circa praefata ex Societatis  
IESV schola.*

§ 2.  
De Em-  
ptione.

**A**lios impedit quis, ne merces ab iis emat, qui eas portant, sed eas ipse emit anticipatè ita ut alij postea cogantur eas de manibus ipsius carius emere: obligatur ne is ad restitutionem? Rebellus obligari docet, licet Molina & alij eum posse excusari affirmet.

Licet ne vendere pannum credità pecunià pretio supremo seu rigoroso, & postea illum statim numerata pecunià emere pretio infimo? Cum Molina posse fieri assero, modò id non fiat ex pacto.

Sartor

*Examen V I. De Emptione & vend. 367*

*Sartor pro aliis emit pannum; potest ne sibi retinere partem pretij quæ ipsi à mercatore remittitur? Ex Filiutio affirmo posse, modò agat fideliter; quia nulli fit iniuria.*

*Emit quis rogatus à venditore: potest ne emere minoris? Imò multò minoris; quia (vti Lessius) merces vlroneæ pro tertia parte, aut etiam pro medietate vilescunt. Est enim (cum Salas loquor) signum copiæ mercium, & paucitatis emptorum.*

*In fascie herbarum vel olerum, quæ vulgò venduntur ad cibum inuenitur magna virtutis herba ignota, potest ne emi pretio currenti? Molina affirmatiuè respondet adiciens, si lapidariis esset ignota virtus alicuius lapidis pretiosi, posse eum, qui nouit illius virtutem communi pretio emere; quia in vtroque casu primus cognoscens est quasi primus inuentor rei pretiosæ, fortunæque possessor.*

*Hæc Chirographa seu debita spem habent exiguam solutionis: possunt ne exiguo pretio emi? Possunt (ait Molina) tamen si emptor integram sit obtenturus solutionem; hoc enim industriæ, & bonæ fortunæ dandum.*

*Bona fide à fure rem emi, quam maiori deinde pretio vendidi: teneor ne Domino restituere illud plus, quo factus sum ditior? Cum Laymano sentio, non teneri; quia fructu fruor industriæ; modò pretium quo ipse emerat, iustum, etsi infimum, fuerit.*

*Bona etiam fide rem emi à fure, postea de furto certior sum factus: possunne tuta conscientia rem reddere non Domino, sed furi, & pretium meum recipere? Potes, nisi speres te facile posse illud pretium à Domino recipere, si illi suam rem restituas: tunc enim debes ipsi tradere, ne à fure retineatur. Sic Vasquez & alij.*

*Quid minoris iusto pretio emptum est: restituendum ne totum? Solùm teste Molina restituendum quod defuit iusto pretio, non autem res ipsa vel fructus.*

*Emis res pretio vilissimo: præsumendum ne falli venditorem? Minimè (ait Molina) sed potiùs præsumendum venditorem donare quod iusto pretio deest.*

*Vilius emi, quia à venditore necessitate coactò: teneor ne restituere?*

368 *Moralis Theologia Tract. III. Iustitia,*  
*situere?* Molina asserit licet vilis emere qui emit in  
gratiam venditoris, aut merces expositas à coacto ali-  
qua necessitate; quia iniuria non est, quod hic & nunc  
gratia reputatur.

*Possum ne caram venditionem mihi factam ante solutionem*  
*in alium transferre?* Potes; quia volenti tale damnum pa-  
ti non fit iniuria. Sic *Saa*.

*Bona fide alienum & emi, & vendidi: teneor ne vili, appa-*  
*rente vero Domino?* Nec Domino te, emptorem ve teneri  
ad satisfactionem, nisi in quantum facti estis ditiores  
*Saa* ex quibusdam affirmat. Ast ego cum *Toledo* assero Do-  
minum rei debere indemnem seruari. Vnde æquum esse,  
vt tu & emptor tuus Domino dimidium pretium  
soluatis.

§ 3. *Gemmae, canes, falcones, picturae, multa que iis similia non ha-*  
*De ven-* *bent pretium taxatum: quanti igitur vendi poterunt?* Quanti  
*ditione.* venditor voluerit, & quantum emptor sciens & pru-  
dens dare consenserit; quia cum hæc tantum ad curio-  
sitate, & delicias comparentur, iustum eorum pre-  
tium non aliter determinatur, quam ementis & ven-  
dentis æstimatione, modò fraus non adsit. Sic *Regi-*  
*naldus*.

*Sub hasta quis vendidit duplo maiori pretio, quam valebat:*  
*vel pretium factum est ad dimidium iusto minus: tenetur aut*  
*venditor aut emptor ad ullam restitutionem?* Negatiuè *Gor-*  
*donus* asserit; quia in primo casu nulla fraus, aut ne-  
cessitas subest: in secundo autem in his sub hasta ven-  
ditionibus tenet prouerbium: Res tanti valet, quanti  
vendi potest.

*Fruentum est taxatum pretio rationabili, & moderato: te-*  
*netur ne tempore magnæ sterilitatis quis suum frumentum ven-*  
*dere pretio, quod abundantia tempore fuerat taxatum?* Non  
teneri *Molina* docet; quia taxa non tempus magnæ, sed  
mediocris inopiæ, ac sterilitatis respicit.

*Merces meæ bonitate aliis longè præstant: possunt ne vendi*  
*ultra pretium lege taxatum?* *Molina* & *Reginaldus* vendi  
posse docent. Non tamen licet seponere fructus, carnes,  
piscēs

pisces meliores, & hos vendere pretio maiori, deteriores autem pretio taxato. Vnde facientes id ad restitutionem ex *Filius* sententia tenentur.

*Vino generoso quis miscet aquam ea tamen moderatione, ut non sit deterius, quam vinum quod passim eodem pretio taxato venditur: potest ne eodem vendi? Potest Lessius ait; quia generositas specialis vini cum aqua mixti exæquat communis qualitatem.*

*Licet ne aliquid exigere supra iustum pretium ratione periculi fortiuscui exponitur is, qui credito vendit? Ex Lessio assero licere; quia exponere sese huic periculo est pretio æstimabile.*

*Mercator potest ne vendere merces pretio isto, quod per monopolium aliorum creuit, licet ipse non exercuerit monopolium? Rebellus ait non posse, quia pretium illud ex se est iniustum. Reginaldus probabile esse affirmat posse illo vendere pretio, quod tunc iam currens est. Turrianus autem monopolium etiam contra iustitiam esse, si mercatores conspirent, ut nullus vendat nisi pretio summo. Cum Molina contrarium teneo.*

*Potest (ut inuisti) quis vendere rem cum vitio occulto, vel dare unum pro alio ferè equali: quod si emptor nasset non esset empturus saltem tanti, dummodo venditor pretium minuat habita defectus ratione: rogo ulterius, si venditor probabiliter intelligit, emi rem ad reuendendum: vel emptor explicet se nolle rem emere, nisi careat vitio: erit ne valida venditio? Nullam Salas asserit venditionem.*

*Regis Consiliarius scit pretium alicuius rei, v.g. vini, futura promulgatione legis breui imminuendum: potest ne vendere pretio communi? Potest (auctore Turriano) nec eam promulgationem tenetur ante tempus manifestare; dum modo non differat manifestationem solum eo fine ut prius vendat suam omnem mercem; tunc enim munere suo in damnum proximi abuteretur.*

*Potest ne quis Matrivi vendere domum pretio currenti, licet sciat Aulam, & Regem breui alio migraturum? Licitum esse Molina testatur.*

*Scit quis futuram mercium copiam, vel pretium tritici, aut moneta minuendum: num interrogatus potest affirmare se nescire? Ex doctrina Patris Salas affirmo, nec peccare contra iustitiam, nec teneri ad restitutionem aut dicendo se nescire, aut æquiuocè respondendo, vel etiam negando; quia non tenetur dicere veritatem, neque ex mendacio rei pretium accrescit.*

*Licet ne vendere triticum pretio, quo nunc appetiatur cum pacto, ut venditor tunc cum fiet solutio possit accipere triticum, aut pecunias prout libuerit? Non licet; quia venditor sic suum asscurat negotium, nec vllum periculum subit. Sic Rebellus.*

*Potest ne quis res indifferentes vendere iis, quos nouerit his ad peccatum abusuros? Possit Sanchez & Salas aiunt, modò adsit rationabilis causa, nempe necessitas, vel vtilitas. Quid in dubio de malo vsu ementis? Possunt vendi nulla iusta causa concurrente ex Sanchez doctrina; quia in dubio nemo præsumitur delictum commissurus.*


*Venditor est in mora culpabilis, & non tradit rem venditam tempore designato: tenetur ne emptori ad omne interesse intrinsecum, & extrinsecum? In foro externo ad interesse solum extrinsecum teneri docet Lessius: in foro autem conscientie ad omne; quia venditor ex iniusta detentione est causa damni.*

*An possim rem carius vendere, quia tantum mihi valet ad vtilitatem, quantum inde capio? Possit Molina affirmat.*

*Assolent artifices quam ligam vocant simul cum argento ponderare, & pro argento vendere: num iustè? Docet Saa condemnandum non esse, modò insolitam non addant in fraudem.*

*An liceat carius vendere hospitibus quàm indigenis? Negat aptè Molina.*

*Ager, aut domus loci sacri constructioni necessaria est: potest ne iudex cogere vendi? Possit ait Molina paruo Domini detrimento. Quid si non sit necessaria, sed vtilis? Potest cogere non iudex, sed Princeps.*



## EXAMEN VII.

De iustitia & iure circa Materiam secundam de  
contractibus onerosis scilicet, de  
censibus.

## CAPVT PRIMVM.

*Quid, & quotuplex census?*



*Vid census?* Censur quidem nomine intelligitur pensio soluenda annuatim alteri: seu potius ius illam accipiendi. Hinc definitio censum: Censur est ius percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius.

*Quotuplex census?* Quadruplex. Primò ex modo alius est Reseruatiuus, alius Consignatiuus. Secundò ex re super qua fundatur, alius est Realis, alius Personalis. Tertiò ex pensione soluenda alius est Pecuniarius, alius Fructuarius. Quartò ex tempore alius est Perpetuus, alius Temporalis; hic redimi potest, ille minimè.

*Duplicis illius census Consignatiui, & Reseruatiui nomina exprime. Quid Reseruatiuus?* Contractus quo quis transfert rem suam in alterum quoad Dominium directum vel utile, reseruata sibi annua pensione. *Quid Consignatiuus?* Est contractus quo quis alteri vendit ius percipiendi annuam pensionem super rebus suis, aut super persona. Hic autem triplex est, Realis Personalis, & Mixtus. Realis quidem fundatur in re ipsa, vt in agro, vinea, &c. Personalis in persona, quatenus talis persona potest aliquid acquirere proprio labore, industriæque. Censur verò mixtus super re & persona fundatur.

Census.

54.

## CAPVT II.

*De iustitia & conditionibus censuum.*

55. *Conditio- nes census.* **S**unt ne liciti census praedicti? Liciti quidem sunt iure naturæ, & Realis quidem iure Pontificio. Eius proprium est, vt re pereunte census quoque pereat. *Si Temporalis est?* Licitus est, etiam si minori pretio ematur, quam sint pensiones ex eo soluendæ, siue sit ad certum numerum annorum, siue ad incertum, qui vitalitius dicitur. *Quid de Personalis?* Si tantum in debitore ponat obligationem personalem soluendæ pensionis: & obligationem hypothecæ in bonis, licitus est; persona tamen, super qua fundatur, debet esse fructifera per suam industriam & laborem. Patet ex his etiam Mixtum ex licitis licitum esse.

*Quodnam iustum pretium census?* Si Perpetuus sit, maius esse debet, quam Redimibilis, & à communi pendet æstimatione, si taxatum non sit, vel aliter consuetudine loci receptum. Eodémque modo census Temporalis pretium erit æstimandum minùs quidem quam Perpetui.

*Quenam conditiones ad censum requiruntur ex natura rei?* Tres præcipuæ. Prima, vt ius quod venditur, in re vendibili sit fundatum. Secunda, vt pretium iustum sit. Tertia, vt consensus vtriusque intercedat. Cætera accidentalialia sunt, & de iure humano requiri poterunt. *Est ne æquum pactum vt eadem moneta redimatur?* Iniquum est, nisi huiusmodi onus in venditore pretio compensetur.

*Quenam autem conditiones de iure positivo ad censum configuratum requiruntur?* Tres Bullæ recognoscendæ Martini V. Nicolai V. Pij V. *Exprime Pij V. conditiones.* Ad quatuor capita reuocantur. Primum caput continet fundamentum census. Vbi requiritur. 1. Vt si res aliqua. 2. Vt immobilis. 3. Natura fructifera. 4. Certis finibus

bus nominatim designata. 5. Ea pereunte, aut redditu infructifera, pro rata perit census. Secundum caput requirit ex parte pretij. 1. Ut sit iustum. 2. Ut solum in pecunia soluatur. 3. Ut ea numeretur in ipso actu celebrationis instrumenti coram Notario & testibus. 4. Ut eadem pretio redimatur. 5. Ut pretium non mutetur pro varietate temporum, aut contrahentium. Tertium caput ex parte pensionis soluendæ postulat. 1. Ne pensio sit anticipata, 2. Ut non augeatur, neque nouus census constituatur super eadem re, aut alia pro censibus decursis temporis præteriti, vel futuri. Quartum caput ex parte pactorum continet has condiciones. 1. Ut non apponatur pactum obligans ad casus fortuitos eum, qui de iure non tenetur. 2. Non valet pactum adimens facultatem venditori, rem censui subiectam alienandi; cum tamen res vendenda sit, id Dominus census intimetur, eiusque voluntas per mensem expectetur, si forte emere velit. 3. Irritantur omnia pacta, quibus morosus debitor census obligatur ad interesse lucri cessantis, vel cambium, vel alias expensas, vel pœnas. 4. Pactum onerosum illi, ad quem de iure non pertinet, reiiicitur. 5. Cauetur pactum de pretio census, ab inuiri extorquendo, in pœnam neglectæ solutionis, vel etiam ob aliam causam. 6. Irritantur omnia pacta adimentia venditori facultatem censum quandoque redimendi, non obstante etiam immemorabili præscriptione. Quando census redimendus est, id bimestri ante denunciandum est illi, cui pretium numerandum. Post denunciationem ab inuito intra annum repeti pretium potest. Sine his conditionibus census reprobat, siue is de nouo creetur, siue alienetur.

*Bulle Martini V. quænam sunt condiciones?* Relinquit illa rem in terminis iuris naturalis, nec reddit irritos census deficientes in conditionibus à se positis, saluo iure naturali. Condiciones autem Martini inter superius enumeratas continentur.

*Conditiones Bullæ Nicolai V. recense.* Prohibet 1. Censum



374 *Moral. Theologia Tract. III. Iustitia,*  
super omnibus bonis. 2. Pactum retrovenditionis eodem pretio. 3. Annuam pensionem verat excedere decimam partem pretij. 4. Pro securitate contractus apponi possunt pacta, & poenæ.

*Adnota ex his, quæ notatu digna videbuntur.* Affero 1. Censum personalem videri prohibitum per Bullam Pij V. non autem Vitalitium, vt quidam contractus sponsonis est, vel innominatus fundatus in æquali periculo, 2. Super aliis censibus fundari posse, modo in casu redemptionis obligetur venditor ad substituendum alium fundum. 3. Rem ita debere esse fructiferam, vt eius fructus vel excedant, vel adæquent pensionem, ex quibus æstimanda ratio fructiferi, non autem ex pretio & valore rei. Debere rem esse certis finibus designatam, & si res vna capax non sit, duas constituendas. 4. Non minui censum ob temporalem sterilitatem, secus si absolutè infrugifera dici possit. 5. Minuendam esse pensionem, si domus ampliùs non reddat tantam. 6. Ex pecunia in credito non posse emi censum, supposito iure Bullæ, nec emi pro pecunia ante debita, nec rem tradi pro pretio, quæ illud valeat. 7. Fraude cessante necessarium non esse totam pecuniam numerari in conscientia: probabilius tamen videri requiri numerationem. 8. Redemptionem faciendam pro eodem pretio; solui tamen posse in alia re, ex reuidentis consensu. 9. Non posse redimi minoris, quàm emptus sit, si res omnes sint in eodem statu. 10. Pensionem non soluendam anticipatè ex obligatione: si sponte soluatur, non esse in conscientia contra Bullam. 11. Ex pensionibus decursis censum augendum non esse. 12. Re pereunte, ad pensiones soluendas venditorem non teneri; quod si aliquo anno res fructus non ferat deberi pensionem, modò res non sit redita infructifera. 13. Liberè posse venditorem rem subiectam censui alienare; censualistam tamen in eius emptione esse præferendum. 14. Ob pensionem non solutam nullam poenam censuarium incurrere, nec grauan

grauandum onerib. esse, quæ ad eum minimè spectant.  
 15. Venditorem haud cogi redimere censum : semper  
 tamen posse pro libito redimere. 16. Non prohiberi  
 per Bullam census irredimibiles, qui altiori pretio  
 emuntur. 17. Denunciationem extinctionis faciendam,  
 post quam bimestre expectandum. 18. Census factos  
 sub alia forma in constitutione Pij V. foeneratitios iu-  
 dicari præsumptione iuris : & authorem tanquam vsu-  
 rarium puniendum.

C A P V T III.

*Praxis circa præmissa ex Societatis  
 I E S V schola.*

**E**st ne licitum pactum de retroueniendò in fauorem §6.  
 emptoris census Licitum est. Id est, potest obliga- *De censi-*  
 ri venditor census ab emptore, vt quando is volue- *bus va-*  
 rit tuncatur recemere censum, quem vendiderat, red- *ri casus.*  
 dito eodem pretio, vel eo quod postea valebit cen-  
 sus, prout inter se conuenerint. Neque debet tunc  
 emptor census computare pensiones interim perce-  
 ptas in partem pretij, modò tamen aliquo alio mo-  
 do grauamen, quod per hoc pactum imponitur ven-  
 ditori ad arbitrium boni viri ab emptore compensetur.  
 Hæc Malderus. Tamen ob periculum vsuræ pacta huius-  
 modi fugienda.


*Quandoam soluendus est census ?* Respondet Toletus  
 in fine anni, nisi aliud ferat consuetudo, aut pa-  
 ctum.

*Est necessarium fructum loci non esse minorem redditus  
 census ?* Communis opinio est oportere non esse mino-  
 rem. Toletus tamen negat id esse necessarium.

*Potest ne fructus aliquis ex pacto solui pro censu, vt potest  
 solui pecunia ?* Afferit Saa posset, etiam si locus censui  
 subiectus talem fructum non ferat.

*Licet ne census ex utraque contrahentium parte redimibilis?*  
 Ex doctrina Saa existimo non licere.

*Inter quenam bona census numerantur?* Inter immobilia  
 adnumerari ex eadem Saa affirmo.



### EXAMEN VIII.

De iustitia & iure circa materiam tertiam de  
 contractibus onerosis, scilicet de  
 Cambiis.

---

#### CAPVT PRIMVM.

*De Cambij essentia, & speciebus.*

57.  
 Cambiū.

**Q**uid est Cambium? Permutatio negotiationis numismatis pro numismate. Non quælibet permutatio Cambium hic est. *Quotuplex permutatio?* Triplex. Prima, qua res rebus permutantur. Secunda, qua res pecunia. Tertia, qua numisma numismate. Igitur permutatio numorum negotiatoria cum spe lucri Cambium dicitur.

*Quot sunt Cambij species?* Quatuor. Prima, Cambium minutum, cum maiores pecuniæ pro minoribus: vel minores pro maioribus dantur cum aliquo lucro. Secunda, Cambium siccum, cum campfor dat alicui pecuniam ut eam cum lucro in eodem loco post aliquod tempus restituat, prout valebunt in loco alio remoto tempore solutionis. Tertia, Cambium per literas, cum quis dat campfori pecunias, ut eas in alio loco verè accipiat, prout ibi statuto tempore valebunt, à campforis socio. Quarta, Cambium reale, cum campfor dat pecunias alicui in vno loco, ut eas in alio loco restituat. Porro *Filiusij* sententiam præpono, qui duplicem tantum

tum Cambij speciem statuit: Vnum, inquit, Cambium est, quod fit in eodem loco ratione diuersæ materiæ, quod dicitur Minutum: alterum in diuerso per literas, quod appellatur Cambium per literas. In cuius expositionem præmitto tria esse in pecunia, materiam, figuram impressam, & valorem in ordine ad res venales.

*Num camporia ars licita?* Ita planè, periculosa quidem, si tamen debitè fiat, Reipublicæ valde utilis, & necessaria: at Ecclesiasticis prohibita est.

*De prima igitur Cambij specie ex materiali orta diuersitate pecuniæ differamus.* Cambium minutum illud assero cum pecuniæ minores (vt dixi) commutantur cum maioribus eiusdem vel alterius materiæ; siue quæ sunt vnius Prouinciæ commutentur cum iis quæ currunt in alia: siue pecuniæ publicæ & antiquæ commutentur cum deformibus vel nouis. Eadem lex de maiori pecunia pro minore. *Recipi ne potest pro hoc Cambio merito pretium?* Potest planè iustum, & obsequio commensuratum: Mensura si taxata non sit, à communi æstimatione pensanda est. *Possunt ne priuatae personæ Cambientes hoc pretium accipere?* Possunt, modò minus sit ob minora incommoda & obsequia præstita. *Quid si pecunie pretium firmum sit?* Potest tamen pro Cambio aliquid accipi: *Famulus commutans pecunias soluendas creditori sui Domini potest ne Cambij pretium lucrari?* Aliquando potest: v. g. si tacitus adsit Domini consensus, vel nullum detrimentum creditori propter hoc sequatur.

*Iam verò secundæ speciei Cambij recole iustitiam.* Cambium locale siue de loco ad locum per literas valde utile Reipublicæ duobus modis fit. Primus est, cum mercator in vno loco accipit, vt in alio reddat. Secundus cum prius dat, quàm accipiat. In vtroque licitè lucrum accipit mercator ob virtualem transportationem. *Praxim horum Cambiorum expende.* His ferè modis continetur: Primò, vt statim acceptis literis pecunia soluatur. Secundò, aliquando non statim, sed rariùs, aut citiùs pro

378 *Moralis Theologia Tract. III. Iustitia,*  
 loci consuetudine. Tertio, aliquando certus praefigitur  
 terminus, v. g. Vallisoleti, vel alibi futurarum nundina-  
 rum. *Si fiat Cambium intra eandem Prouinciam, accipi ne ex eo*  
*lucrum potest ?* Ita planè, nisi esset lege humana prohibi-  
 tum. *Augetur ne lucrum ex distantia ?* Augetur, modò nota-  
 bilis sit, quamuis hæc inter mercatores in consideratio-  
 ne non habeantur. *Possunt ne priuata personæ in eadem men-  
 sura lucrum accipere ?* Profectò non deberent; quia tam-  
 en ad alia omnia mercatores respiciunt potius quàm  
 ad operas & labores, ideo etiam ipsæ currens fori pre-  
 tium sequi possunt. *Lucratur ne iustè campfor siue prius det*  
*ut alibi accipiat : siue prius accipiat, ut deinde reddat ?* Iustè  
 lucratur; quia utrobique virtualis adest translatio, seu  
 asportatio. *Quid si campfor egeat pecunia in loco ad quem*  
*cambitur ?* Nihil referre assero; quia id totum eius indu-  
 striæ tribuitur, & res ipsa pretio est æstimabilis. *Obsecro*  
*causas lucri in Cambio assignes.* Quatuor esse possunt. Vir-  
 tualis translatio: Maior æstimatio pecuniæ: lucrum  
 cessans campfori: Carentia pecuniæ cum qua sunt con-  
 iuncta pericula. *Quid de Cambio ad Nundinas ?* Cambium  
 hoc non differt à locali nisi accidentariè. Seruatis debi-  
 tis conditionibus est licitum. Tres præcipuæ: Vt iu-  
 stum pretium seruetur secundum communem fori  
 æstimationem: Vt realis permutatio fiat ex vno loco  
 in alium: Vt in æstimatione pretij per se ratio tempo-  
 ris non habeatur. *Est ne licitum Cambium pro secundis nun-  
 dinis, vel pro duplicibus ?* Usurarium censetur, nisi gratis  
 id campfor concederet. *Potest ne certum interesse à principio*  
*in pactum deduci.* Non potest. *Usus dandi ad Cambium initio*  
*cum maiori lucro, quàm in medio aut sine nundinarum potest*  
*iustificari ?* Etiam, si per se temporis solius ratio non ha-  
 beatur. *Quid de monopolis in Cambiis huiusmodi, unde pre-  
 tium directe augetur ?* Contra iustitiam est, quam vio-  
 lant etiam positiuè cooperatores. Nec pretio per mo-  
 nopolium inducto possunt vt ij, qui fuerunt eius causa  
 in principio saltem; secus postquam communiter re-  
 ceptum erit.

## CAPVT II.

*De nonnullis aliis ad Cambia pertinentibus.*

**P**ossunt ne campsores à campfariis fideiussores exigere? Possunt; etsi campfor sit fideiussor, potest aliquid pro eo accipere. 58.  
Varia de Cambiis.

*Est ne licitum pactum de interesse, si campfarius in mora sit?*  
Ita quidem, modò mercator certus moraliter sit tantumdem lucri sibi ex mora cessaturum.

*Campfor non vult dari Cambium nisi pro loco ubi plus lucratur: peccat ne?* Si obligatus est pro officio, iniuste facit; si persona priuata est, ad summum contra charitatem ageret; quamuis si illi esset incommodum nec etiam debitam proximo charitatem læderet.

*In Bulla Cambiorum quænam conditiones continentur?* Prima, Cambia sicca, in quibus videlicet solutio fit in eodem loco, damnatur. Secunda, ne Cambium reale fiat cum aliquo, ob dilationem statuti termini, lucro: ne ab initio de certo interesse ob moram contrahentes paciscantur: ne fiat Cambium nisi ad proximas nundinas, vel proximos terminos iuxta loci usum: vt in terminis solutionum ratio habeatur maioris, vel minoris distantia locorum.

*Si mutetur pecunie valor, licebit ne exigere eandem?* Minimè, sed ad æqualitatem. *Potest ne vlla in ordine ad solutionem refutari?* Minimè si publico sigillo munita sit, nisi de certo eius genere pactum fuisset.

*Suppono pecunie valorem mutari à Principe: quidnam circa Cambia obseruandum?* Multa obseruari debent. Primò ratio habenda est pacti prius initi, videlicet soluendi in auro, vel argento duplici, & sic de aliis cautionibus inter contrahentes appositis. 2. Si pecunia promissa mutetur quoad valorem intrinsecum, hoc est materiæ, vel ponderis, soluenda erit secundùm valorem antiquum tempore contractus. Si etiam secundum valorem extrinsecum

380 *Moralis Theologia Tract. III. Iustitia,*  
trinsecum, hoc est, legalem, & publicum pretium, solu-  
tio fiet secundum æstimationem. 3. Variatio pecuniæ  
post culpabilem moram in soluendo, nocet moroso de-  
bitori. 4. Si nullum pactum tacitum, vel expressum  
factum est circa incrementum, vel decrementum, solu-  
endaque sit certa nummorum species: eã facienda  
erit secundum æstimationem tempore solutionis. 5. Si  
ab initio nihil expressum est de pecunia certæ mate-  
riæ, & formæ, nec de incremento, vel decremento, solui  
debet valor, quem pecunia habuerit tempore contra-  
ctus, siue valor postea mutetur, siue non.

*Licitum ne erit Cambium ad incertam solutionem?* Ita pla-  
nè. Si periculum augmenti aut decrementi æquale sit.  
Sic etiam Cambium ad creditum, & Cambium ratione  
officij nullam continet iniustitiam.

*Si pecunia sit variior, aut maior quantitas pecunie cambiendi,  
da, plus ne mercedis à campfore exigi potest? Quis dubitet?*

---

### C A P V T III.

#### *Praxis circa præfata ex Societatis*

#### I E S V schola.

59. *De Cambiis varij casus.* **E**st ne licitum Cambium, cum pro campfario respondet pro-  
curator campforis de ipsius campforis pecuniis? Licitum  
esse videtur, (ait Lessius) modò campfor non habeat  
peruersam intentionem lucrandi ex dilatione so-  
lutionis.

*Debetur ne aliquid pro Cambij provisione?* Affirmat Les-  
sius ex consuetudine inueterata deberi tertiam partem  
scuti pro singulis contentis scutis: idemque sumi posse  
pro provisionibus recambiorum, & continuationum  
toties quoties. Ego quidem assero non debere campfores  
à campfariis sumere integrum interese Cambij in con-  
tinuationibus.

*Possunt ne campfores addere ad sortem id, quod sibi debetur*  
pro

pro provisionibus ? Possè verè Salas affirmat , ratione lucri cessantis.

Campfor bona fide dedit pecuniam Antonio soluendam Hispali, & post ea comperit ipsum non habere ibi pecuniam : quidnam potest iure exigere ? Potest, ex doctrina Molinæ; ab eo tantum exigere, quantum lucri percepisset, si Antonius Hispali soluisset.

Peccat ne mortaliter campfor, si à principio paciscatur cum campfario certum, ac determinatum interesse, etiam in casu non solutionis ? Non peccare asserit Reginaldus, modò moraliter constet illud esse iustum.


Quonammodo crescit valor pecuniæ ad Cambium ? Ex Toletò & aliis respondeo plus valere præsentem loco, quàm absentem : item cum multi accipiunt ad Cambium, & pauci dant: item ob metallum, figuram, pondus, temporis occasionem, dubium de valoris mutatione, raritatem, aut dantis incommodum.

Quædam lex prohibet Cambium per literas in eodem Regno : est ne tamen licitum ? Ex Nauarro Sanæ docet legem illam fraudem præsumere, quæ si absit, non intendere prohibere. Idem consequenter affirmo de Cambiis omnibus alioquin licitis, aut Cambiorum licitis conditionibus, lege si aliqua prohibeantur; cessante enim fraude, quam

lex præsumit, fieri possunt, nisi ex ipsa lege, vel consuetudine oppositum constet.

\* \*





## EXAMEN IX.

De iustitia & iure circa materiam quartam de  
contractibus onerosis, nempe de  
locatione, & conductione.

## CAPVT PRIMVM.

*Quid, quotuplex, & ad quos transeat locatio,  
ac quibus pereat.*

60.  
*Locatio.*



*Vid est locatio?* Contractus, quo res, vel perso-  
na aliqua ad vsum, vel fructum conceditur  
pro pretio. *Conductio*, quo recipitur, eodem  
modo definitur.

*Quotuplex locatio?* Multiplex quidem tum ex re loca-  
ta, tum ex vfu, tum ex tempore.

*Quinam possunt locare?* Qui possunt vendere. Prohi-  
bentur milites, curiales, Ecclesiastici. Conducunt autem  
omnes non prohibiti. Conductor sublocare potest  
etiam inuitis cohabitantibus.

*Quenam locantur res?* Quae vendi possunt; conduci  
verò non possunt propriae res; sed bona dotalia pos-  
sunt conduci, non autem vendi. Vsu consumptibilia  
non locantur, nisi fortè ad pompam. Res aliena sublo-  
cari potest, & locari si bona fide putetur tua.

*Quenam sunt ad locationem substantialia?* Tria quidem,  
Consensus, Res, & Pretium. Cùm plures communem  
rem habent, omnium consensus requiritur. Iusta profes-  
sio merces desumitur ex conuentione, consuetudine  
aliarum locationum, & Prouinciae, & arbitrio boni viri:  
idem de tempore eam soluendi.

*Indica mihi ad quos transeat obligatio locationis iam factae?*

Hæres

Hæres tenetur ei, nisi facta esset ad beneplacitum locantis. Non tenetur emptor, aut alius particularis successor, nisi locator cederet in particularem successorem, & actionem. Fiscus non tenetur, si determinata bona sint confiscata, secus si omnia, aut aliqua pars. Vxor locationi factæ à viro, postquam vidua facta est minimè tenetur. Vir tenetur locationi rerum dotalium, si sciebat eas esse locatas. Non tenetur succedens in maioribus bonis. Nec Beneficiarius de redditibus, secus de bonis si debita seruata est solemnitas.

*Quandonam res locata perit Domino, quandonam autem conductori?* Perit quidem Domino, si casu fortuito pereat, nec conductor tenetur. Cessante autem periculo ex bello, peste, aut alia re, habitandi domum, tenetur conductor continuare. Si verò conductor non vtrius operis conductis ob impedimentum sibi superueniens, tenetur ad pensionem integrè soluendam. Si res verò locatæ locantis culpa perit, hic tenebitur ad omnia damna. Locans operas & non laborans, tenetur reddere stipendium. Ex culpa autem lata, & leui obligatur. Conductor verò non tenetur de leuissima, nec de casu fortuito, nisi pactum de illo esset.

---

C A P V T II.

*De mutuis locatoris, & conductoris obligationibus.*

**Q**uandonam locationis pensio soluenda? In fine anni de iure communi, nisi aliter conuentum esset, aut ferret consuetudo. Pro ea autem censentur obligati fructus separati in prædio, & res in prædium inductæ animo, vt ibi sint; quandiu durauerit conductio: si extrahantur, etiam tacitè hypothecatæ censentur.

61.  
Locato-  
ris, ac  
condu-  
ctoris  
obligationes.

*Quid de pensione in sterilitate?* Si conductor nihil colligat remittenda pensio est, seclufa alia conuentione. Si magna sterilitas, aliquid remittendum, non si modica.

Magna

384 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitia,*  
*Magna autem quandonam censetur? Cum detracto semi-*  
*ne, & expensis, non superest quod sufficiat saltem dimi-*  
*diæ pensionis solutioni. Augenda ne, si extraordinaria vber-*  
*tas? Ita equidem, nisi ex proprio statuto aliud ha-*  
*beretur.*

*Potest ne conductor expelli tempore locationis finito? Po-*  
*test. Censetur verò terminus prorogatus, si sciente lo-*  
*catore conductor in locatione perseveret. Potest ne ex-*  
*PELLI ante tempus? In nonnullis casibus potest. v.g. si pen-*  
*sionem non soluat; si causa superueniat locatori ob-*  
*quam res locata necessaria sit; si egeat necessaria refe-*  
*ctio; si conductor re locata abutatur.*

*A quonam faciendæ rei locatæ expensæ necessariae? A loca-*  
*tore. Quod si fecerit conductor, potest illas in soluenda*  
*pensione compensare.*

*Quotnam verò sunt locatoris obligationes? Quinque. 1. Ut*  
*det rem locatam conductori ad usum, & fructum. 2. Ut*  
*soluat impensas necessarias. 3. Ut vitium occultum, ad-*  
*uersans scilicet rei, ob cuius gratiam res conducta est,*  
*patefaciat. 4. Ut damna sua culpa secuta refarciat. 5. Ne*  
*rem locatam ante tempus repetat.*

*Quotnam item conductoris obligationes? Etiam quinque.*  
*1. Ut suo tempore mercedem soluat. 2. Ut re locata*  
*non utatur, nisi prout conuentum fuerit. 3. Ut restituat*  
*finito tempore. 4. Ne deserat absque causa rem lo-*  
*catam ante tempus. 5. Ut reddat integram, sicut accepit.*

*Quotnam denique ex locatione actiones? Duæ sunt. Prima*  
*dicitur actio ex locato competens locatori aduersus*  
*conductorem, ut soluat mercedem; quod si non faciat,*  
*soluat etiam vsuras. Secunda est actio ex conducto con-*  
*ueniens conductori aduersus locatorem, ut det rem lo-*  
*catam, & quidquid interest conductori, si per locato-*  
*rem steterit.*

*Tempore finito potest ne conductor inuitus retineri? Minimè.*  
*Quonam autem modo finitur tempus locationis? Triplici ratio-*  
*ne finitur, & mutuo consensu, & temporis lapsu, & si*  
*res locata pereat.*

*Sola*

*Sola ne taciturnitate locatoris, tempore finito, renouatur locatio? Aliquando quidem sola patientia & taciturnitate locatoris potest renouari.*

C A P V T III.

*De famulorum Mercede.*

**I**stū famulorum stipendium assigna. Illud quidem iustum est stipendium, quod passim eō loci iis tribui affolet, ita vt non sit minus infimo, nec maius summo. 62.  
Famuli  
merces.

*Vt ne famulus occultā compensatione potest? Non, nisi constaret mercedem constitutam esse iusta infima minorem; vel aliter integram non valeat recuperare.*

*Potest ne minus infima aliquando esse, & tamen iusta? Ita quidem, v.g. si solū ad preces famuli herus conduxit, vel famulus sponte remittat ad herum alligandum.*

*Quenam famulo debita sustentatio? Ea quidem, quæ similibus famulis affolet conferri.*

*Quid de opifice famulum ad artem ediscendam suscipiente? Tenetur ille non impedire, & occupare in aliis operibus.*

*Quis operam suam locat, sed non integrè laborat culpa conductoris: tenetur ad partem mercedis restituendam? Si per ipsum non stat, quominus inseruiat, iure integram accipit pensionem.*

*Conducitur famulus ad seruiendum marito v. g. & uxori, crescit familia: augenda ne merces? Si crescat notabiliter, augeri quoque famulo debet inseruienti omnibus stipendium.*

*Ægrotante famulo, imminuenda ne merces? Potest quidem pro rata subtrahi, nisi aliud consuetudo suadeat; non debent autem alimenta negari, nec aliæ expensæ necessariæ.*

*Famulus mihi obsequium præstat nulla mercede constituta. Remunerandus ille est, vel iusta mercede persoluta, si obsequia talia sint, ut eis regulariter constituta sit merces: vel aliis honorum gradibus exhibitis, quibus valeant compensari.*

*Auferit famulus secretò de bonis Domini: debet ne restituere? Malè equidem agit, sed tamen nisi iustam mercedem excedat non tenetur restituere: modò bis merces non solvatur.*

*Tenetur ne famulus ad bonorum Domini custodiam? Tenetur in rebus ad officium suum pertinentibus. Si damnum aliis inferat, quis tenetur? Si sit in negotio à Domino constitutus, Dominus refarciat: si non sit constitutus, ipse debet refarcire.*

## CAPUT IV.

*Praxis circa præfata ex Societatis  
I E S V schola.*

63. *De loca-  
tione, &  
condu-  
ctione  
varij ca-  
sus.* **D**vo habent domum, vel fundum communem, & unus vult uni locare, alter verò non vult: aut unus vult locari ad unum usum, alter ad alterum: aut unus vult locari personæ honestæ, alter inhonestæ: quinam contractus prævalet? Prævalet ex Salas contractus illius qui in re ius maius habet, seu partem maiorem; vel qui vult honestæ personæ locare, etiam si fortè persona inhonestæ plus mercedis offerat. Hoc quidem, quando ius veriusque æquale.

*Expellit Dominus famulum domo, nondum elapso constituto tempore: tenetur ne ad integram mercedis solutionem? Tenetur, auctore Lessio, nisi fortè grauiissima causa, ad ipsum expellendum adducatur.*

*Famulus qui lapsus est in morbum, tenebitur ne transacto morbo, simulque elapso termino ad inseruiendum, tandiu inseruire ulterius, quandiu prava usus est valetudine? Non tenebitur: (vti Lessius) quia lapsò termino constituto, cessat obligatio*

obligatio: Cū terminus equidem censetur appositus ad finiendam, non ad sollicitandam obligationem.

*Expello è mea domo conductorem inhoneſtè agentem, ante tempus locationis absolutum: teneor ne de pensione pro rata remittere?* Saa affirmat ex Nauar. nil esse de pensione remittendum.

*Conductor domo discedit: potest ne suo loco alium relinquere?* Non posse inuitis sociis Saa cum Sylu. asserit. Ego addiderim nisi irrationabiliter fuerint inuiti; assolent enim leuiter aduersus aliquem affici præcipuè vulgares.

*Potest ne conductor non soluens statim expelli?* Posse docet Saa nisi ad decennium conduxisset; tunc enim per biennium expectandum. *Quid si locator non expellere promississet?* Intelligitur: si soluat pensionem.

*Timetur res negligentia conductoris peritura: poterit ne is cogi periculum in se suscipere?* Poterit eodem Emanuele auctore; sed minuendum aliquantulum esse pretium ob talem obligationem docet.

*Valent ne locationes Beneficiorum anticipata solutione?* Non valent quidem in præiudicium successorum, ex Trident. Sic Toletus. Addit Molina si conductor soluisset, debere successorem ratum habere, si est conuersum in Ecclesiæ utilitatem.

*Dixisti in sterilitate magna fortuita remittendam pensionem agri pro rata: rogo, an debeat fieri remissio, si res sit locata ad plures annos pro parua pensione?* Ex Molina respondeo, si res locata sit, v. g. ad decem annos, remissionem non fieri. Admonuerim non dici sterilitatem si fructus collecti pereunt: nec fertilitatem, si fructus collecti multum valeant.


*Dixisti auctis fructibus casu fortuito, vt in magna admodum fertilitate, augendam pensionem pro rata: num id sit vsu receptum?* In Regnis quidem Hispaniæ minimè receptum assero, in aliis Saa affirmat receptum etiam non esse. Imo nec fructu imminuto imminui pensionem pro rata

388 *Moralis Theologia Tract. III. Iustitia,*  
rata. Quod si casu fortuito auctis fructibus, conductor  
non auget pensionem, non video cur minutis illis ea  
minui debeat. Standum prorsus aut pacto, aut con-  
suetudini.

*Potest ne Beneficiatus locare redditus beneficij ad annos plu-  
res? Potest quidem ex Toletio ad annos nouem, quando  
fructus non nisi tertio quoque anno recipiuntur: sed  
tamen illo mortuo expirat locatio. Porro locatio rei  
Ecclesiæ facta à Rectore nomine Ecclesiæ, eo mortuo  
durat.*

*Si uxor se obligasset, tenetur ne post mortem viri stare loca-  
tioni per virum factæ? Tenetur auctore Molina, non au-  
tem si sese non obligasset specialiter post viri obitum.*

*Potest ne res spiritualis conducì? Ipso iure esse nullam  
Toletus affirmat.*



## EXAMEN X.

De iustitia & iure, circa materiam quintam de  
contractibus onerosis, scilicet de  
Emphyteusi.

---

### CAPVT PRIMVM.

#### De Emphyteusis conditionibus.

64.  
Emphy-  
teusis.



*Vid significat hoc vocabulum: Emphyteusis? Signifi-  
cat institutionem propterea quod res, quæ in Em-  
phyteusim datur, melior reddenda sit arborum  
insitione, & cultura.*

*Quid est igitur Emphyteusis? Contractus, quo res immo-  
bilis conceditur alteri quoad dominium, cum obliga-  
tione soluendi pensionem statutis temporibus Domino  
hæreditatis, ea de causa.*

*Quotuplex*

Quotuplex est? Multiplex quidem, Noua & Vetus: Hæreditaria, & non Hæreditaria: Ecclesiastica, & secularis.

Quinam possunt in Emphyteufim dare? Generatim possunt omnes qui possunt alienare. Pupillus ne? Absque tutore non potest, vt neque absque curatore minor. An Emphyteuta Ecclesie Prælati? Ille minimè, hic autem etiam prohibetur nisi ab antiquo dari solita, interueniente iusta causa, & debita solemnitate.

Quinam autem possunt in Emphyteufim accipere? Omnes quidem possunt, nisi iure sint impediti.

Quenam res in Emphyteufim non dantur? Nec mobilia, nec annui redditus, nec res aliena, nec pertinentia ad mensam Episcopi.

Emphyteufis exprime substantia? Duo quidem sunt. Vnum, vt rei proprietates maneat penes Dominum, translato vtile in Emphyteutam. Alterum, vt res, in qua constituitur Emphyteufis immobilis sit, & res solida.

Quotnam requiruntur conditiones? Octo ex meis Doctoribus collegi. 1. Vt in re immobili constituatur, & fructifera. 2. Vt dominium directum, & ciuile possessio maneat apud priorem Dominum, vtile autem (vt dixi) transferatur in Emphyteutam. 3. Vt soluatur pensio prout conuentum. 4. Vt non soluens pensionem per duorum annorum spatium si res Ecclesiastica sit: vel trium annorum, si sit secularis amittat rem Emphyteuticam cum omnibus meliorationibus & operibus, quæ in ea fecit: eaque ad directum Dominum redeat. 5. Vt pereunte re sine culpa Emphyteutæ, à solutione pensionis liberetur. 6. Vt rem notabiliter deteriore reddens amittat. 7. Vt Emphyteuta non vendat Emphyteuticum ius, & melioramenta à se facta, nisi directum Dominum præmoneat: aliàs cadit in commissum, & redit res ad directum Dominum. 8. Vt quoties res venditur, vel alienatur, is qui eam accipit, directo Domino soluat laudemium, nisi vel



390 *Moralis Theologia Tract. III. Iustitia,*  
hæres necessarius titulo hæreditatis, vel filia dotis tiru-  
lo, eam recipiat.

*Quot denique Emphyteusis obligationes?* Tres præcipuas  
ex multis indicabo. Prima, vt Emphyteuta pensionem  
soluat. Secunda, vt rem non alienet, nisi Domino admo-  
nito. Tertia, vt eam non faciat deteriore. Præterea de  
dolo tenetur culpa lata, & leui.

*Expende pensionis soluendæ obligationem.* Si res in totum  
perierit, nulla pensio debetur. Si tantum in parte, solu-  
enda si modica sit, non soluenda si magna. Propter  
sterilitatem autem pensio non remittitur. In fine anni  
solui affolet, collectis fructibus, & debet tota solui,  
alioquin in commissi pœnam incurritur.

---

## C A P V T II.

### *De successione in Emphyteusi.*

65. *Successio-  
nes in  
Emphy-  
teusi.* **D**E successione in Emphyteusi cupio Doctorum placita  
expendas. In Emphyteusi seculari succedunt etiã  
naturales filij, non in Ecclesiastica. *Si facti sunt huiusmodi  
naturales filij, legitimi à Principe, vel per subsequens matrimo-  
nium?* Succedunt quidem in seculari facti à Principe  
sicut ante legitimacionem; at verò facti legitimi per  
subsequens matrimonium succedunt in Ecclesiastica.  
Fœminæ nomine filiorum non veniunt in Emphyteusi.  
*Si Emphyteusis non facta hæredum mentione data sit?* Filij ve-  
niunt etiã si hæredes non sint; si verò fiat mentio, non  
transit ad filios, nisi hæredes sint. *Veniunt ne cuncti nepotes?*  
Ex filia non veniunt, si dicatur dari sibi, & descendenti-  
bus suis masculis; secus si dicatur, vt accipiat sibi, &  
filiis vsque in tertiam generationem. *Transmittit ne pater  
cui maluerit filio?* Non, nisi sit hæreditaria. *Transit Emphy-  
teuta in Religionem.* Succedit Religio, si capax sit, & Em-  
phyteusis sit hæreditaria ita vt ad extraneos transire  
possit; sed nominari debet aliquis, cuius obitu finiatur,  
&

& reuertatur ad Dominum. *Transit ne ad Fiscum?* Transit, si secularis sit hæreditaria, non si Ecclesiastica. *Transit ne ad extraneas?* Ex verbis planè desumendum est.

*Sumptus facti in re Emphyteutica ad quemnam pertinent?* Pertinent ad Emphyteutam quoad æstimationem; quoad proprietatem Domini sunt, nisi aliud ex conuentione habeatur.

C A P V T III.

*Praxis circa præfata ex Societatis*

I E S V Schola.


**Q**uidnam sit laudemium, & quandonam soluendum Domino possessionis? Laudemium est, quinquagesima pars. Porro quando res Emphyteutica ad alium Emphyteutam per venditionem, vel donationem, vel permutacionem, vel locationem, decennalem transit, soluendum est à secundo Emphyteuta laudemium seu quinquagesima pars Domino directo propter inuestituram seu laborem, quem Dominus directus subit inuestiendo, seu mittendo nouum Emphyteutam in possessionem.

*Si Ecclesia, vel persona priuilegiata concedat domum vel agrum in censum Emphyteuticum redimibilem, emphyteuta ne gaudebit priuilegio exemptionis?* Non gaudebit; (ait Filiutius) quia tunc Dominium non remanet penes Ecclesiasticum, sed solum ius recipiendi annuam pensionem. Secus est de aliis Emphyteutis Ecclesiæ.

*Dixisti Emphyteutam rem perdere, si per biennium non soluit pensionem: rogo, num opus sit iudicis condemnatione?* Afferit Molina opus esse; Iudicem tamen nihil facere nisi parte petente. Quidam dicunt (ait Saa) posse Dominum rem propria autoritate accipere. Addo ex eodem Molina non perdere eum, qui moram purgat, soluendo statim, nec qui legitimè impeditus non soluit.

*Renuncians hæreditatem censetur ne Emphyteusim renunciare?*

392 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitia,*  
*ciare?* Respondeo negativè cum *Saa*, qui à Sylvest. accep-  
pit. Adiiicit ille Emphyteusim Ecclesiæ non præsumi  
daram esse nisi in tertiam generationem, nec transire nisi  
in filios veros, quale non est Monasterium, nec illegiti-  
mos, vt innuimus.



## EXAMEN XI.


De iustitia & iure, circa materiam sextam de  
contractibus onerosis, scilicet de  
Feudo.

---

### CAPVT PRIMVM.

#### *De substantia, & conditionibus Feudi.*

67.  
*Feudum.*

 *Vid est Feudum?* Contractus, quo res immobilis  
conceditur alteri quoad Dominium vtile pro  
fidelitate seruitiõque personali exhibendo, retenta  
proprietate.

*Quotuplex?* Multiplex quidem est. Præcipua autem  
diuisio in Antiquum, Paternum, & Nouum; in Hæredi-  
tarium, & non Hæreditarium. In eo ab alijs differt, quod  
obsequium personale esse debeat.

*Quinam possunt in feudum dare?* Qui suorum bono-  
rum liberam habent administrationem, & non sunt ali-  
quo iure prohibiti. *In particulari.* Dare possunt Papa,  
Episcopi, Abbates. Domini item temporales, vt Impera-  
tor, Rex, Princeps.

*Quinam possunt accipere?* Omnes quidem possunt à  
principalibus Dominis: secus si vassali & Domini mi-  
nores in feudum dent.

*Quanam res dari in feudum possunt?* Generatim dari  
possunt res immobiles, liberæ, propriæ, & alteri non  
obligatæ

obligata. Res prohibita alienari in feudum dari non potest, nec in feudum nouum res Ecclesia.

*Exprime feudi conditiones?* Septem ex meis collegi Doctoribus. 1. Ut sit de re immobili, vel pro tali habita. 2. Ut Dominium directum & possessio ciuiliis apud Dominum remaneat; vile verò in vassalium transferatur. 3. Ut non teneatur feudatarius ad pensionem, si est feudum purum, sed tantum ad personale obsequium. 4. Ut si obsequium non præstiterit, feudum amittat. 5. Non potest illud inuito Domino alienare, aliàs amittit. 6. A Domino inuestiendus, & in possessionem mittendus est, iurata fidelitate. 7. Inuito Domino non potest feudum donare, oppignorare, vel alteri in feudum concedere.

---

## C A P V T II.

### *De Domino & feudatario plurá.*

**S**cio iura multa habere feudatarium & Dominum in feudo. Itaque ius feudatarij recole. Primò, vile dominium non licet alienare, Domino inuito. Secundò, non potest rem feudalem oppignorare. Tertiò, potest fundo feudali seruitutem imponere, sibi soli noxiam. Quartò, dare alteri in feudum potest seruatis hisce conditionibus: Ut fiat sine fraude: Ut detur pari: Ut iisdem pactis, quibus ipse accepit detur. Quintò, de feudo testari non potest, potest tamen ei sine consensu Domini renunciare. Sextò, Dominum non potest offendere, nec contra eum militare. Septimò, non potest feudum diuidere inter consortes, si feudum ab Imperatore. Octauò, in alienatione feudi noui sufficit solius Domini consensus. Nondò, si pater alienare voluerit, requiritur consensus filiorum, si ius illis sit acquisitum; at si hæreditarium sit ius, non requiritur consensus filiorum.

68.

*Dominus  
& Feudatarius:*

*De iure Domini in feudo, & obligatione feudatarij quid?*  
 Primò quidem feudatarius Domino fidelitatem iurat. Secundò, si plures feudatarij hæredes, omnes iurare debent; si communitas feudataria, vnus, qui feudum accipit, nomine illius iuramentum præstabit. Tertiò, vassalus tenetur per seipsum Domino inferuire, nisi Dominus in alium eius vicarium consentiat. Quartò, actio competens vassallo vt post inuestituram tradatur possessio, quæ dicitur actio ex lege, & stipulata.

*Quidnam præterea vassallo competit?* Primò, post possessionem Dominium vtile. Secundò, in nouo feudo post inuestituram agit vassallus ad possessionem; at in antiquo agit tantum, vt inuestitura renouetur. Tertiò, eiusmodi actio competit etiam hæredi vassalli contra hæredem Domini, si laicus fuerit, qui inuestitur; at si Ecclesiasticus fuerit, non cogitur successor in Ecclesia confirmare. Quartò, si feudale prædium euictum fuerit, liberum est vassallo, agere contra Dominum, ac si feudum traditum non fuisset. Quintò, vassallus graui iniuria à Domino suo affectus, actionem habet, qua petet immunitatem ab omni obsequio.

*Actiones Domini contra vassallum exprimas precor.* Primò, est ei directæ rei vindicatio. Secundò, Vt debitum præstetur obsequium. Tertiò, si feudum sit apertum, hoc est deuolutum ad Dominum, culpa vassalli, ager contra ipsum repetendo feudum, & dicitur traditio rei ob causam. Quartò si vassallus vendidisset feudum, inuito Domino competit ei contra emptorem rei vindicatio.

### C A P V T III.

#### *Quinam in Feudo succedant.*

69. *Successio in Feudo.* **Q**uinam sunt inhabiles feudi successioni? Inhabiles sunt capti aliqui membro. *Fæmine:* Regulariter non admittuntur nisi exprimantur, aut nisi feudum foemineum

neum sit, vel omninò francum, & liberum. Nec admittuntur descendentes ex fœminis. Masculus natus ex linea fœminea fœminam excludit; & fœmina semel exclusa semper exclusa est. *Vterini fratres?* Non succedunt.

*Quinam autem habiles sunt?* Masculi filij succedunt in feudo ceteris exclusis. *Filij adsunt ex duobus matrimoniis.* Præferendi in feudo sunt ij, qui sunt ex priori, nisi qualitas feudi aliud suaderet. *Nepotes?* Succedunt cum filiis in stirpes. *An succedant illegitimi?* Minimè; sed naturales facti legitimi per subsequens matrimonium, succedunt. *Succedunt ne filij æqualiter in feudo?* Ita planè, nec ascendentes deficientibus descendentibus succedunt; nisi fuerit expressum in inuestitura. *Lateralesne?* Deficientibus liberis, succedunt, modò feudum paternum sit, & antiquum. *Germanus ne excludit consanguineum?* Non excludit. *Quid de Clerico?* Iam ordinatus in sacris, vel beneficiarius potest feudum paternum retinere. Si non erat ordinatus, eo ipso repudiare videtur quod transit ad statum, in quo personaliter seruire non potest. *De Religioso autem quidnam?* Post professionem feudum amittit agnatis propinquiorebus, nisi seruitium, quod feudum requirit, præstari possit à Monacho, vel Monasterio decenter. *Succedunt ne extranei?* Ex verbis quidem, quibus inuestitura concipitur, cognoscendum est.

*Quandonam Feudum finiatur?* Finitur quidem tum culpa vasalli in Dominum: Tum culpa vasalli in alium: Tum absque vasalli culpa, v. g. morte sine legitimis filiis, renunciatione, professione Religionis, vel præscriptione alterius per annos triginta.

*Ad quemnam deuoluitur feudum?* Deuoluitur ad Dominum si vasalli culpa finiatur in Dominum, vel in alium. Deuoluitur autem ad Fiscum quando ob culpam vasalli in alium bona illius ipso iure confiscata essent. *Melioramenta autem facta ad quemnam pertinent?* Si vasalli industria facta sunt, reuerso prædio ad Dominum

396 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitiæ,*  
pertinent ad vasallum. Est tamen liberum Domino soluere estimationem. Incrementum autem quod non industria vasalli accessit ad feudum, pertinet ad Dominum. *Fructus vero rei feudalis ?* Pertinent ad vasallum.

*Quinam iudex competens in feudalibus causis ? Si lis sit inter duos vasallos de feudo, quinam iudex ?* Erit Dominus: *Si lis inter vasallum & Dominum ?* Curia pares litem diriment ex utriusque placito. *Si lis inter vasallum & alium non vasallum ?* Ordinarius loci iudicabit iudex. *Si Dominus sit suspectus, dum lis est inter vasallos ?* Pares Curia iudicant, nisi etiam hi suspecti sint, tunc enim ordinarius loci iudex est. *Quid si vasalli inuestiti sint ab Imperatore, Rege, aut Principe ?* Ab ipsis iudicantur. *Lis est inter vasallos clericos vel unum clericum & alium laicum : vel inter vasallum clericum & Dominum.* Iudex est Dominus; iura enim feudorum per Romanum Pontificem sic sunt approbata. *Quaestio possessoria est de feudo inter vasallos, vel inter Dominum & vasallum.* Iudex competens Dominus feudi est. *Dominus feudi, vel pares Curia recusant, seu iudicare non possunt.* Tunc equidem penes loci Ordinarium est iudicium. *Dominus feudi est clericus, & non vult inter vasallos laicos iudicare.* Iudicium ad Ecclesiasticum superiorem deuoluatur. *Quid de appellatione in feudali controuersia ?* Ad Dominum superiorem facienda est.

---

#### C A P V T I V.

*Praxis circa praefata ex Societatis  
I E S V schola.*

70.  
De Feudo  
varij ca-  
sus.

**A** Misso feudo, amittuntur ne pendentes fructus ? Si feudum amittatur non per mortem, sed ob aliam causam, amittuntur fructus pendentes. Si vero per mortem, post Kalendas Maij vsque ad finem Augusti fructus

fructus pertinent ad hæredes; at anteriores ad Dominum. Sic Emanuel Saa.


*Potest ne quis privari feudo à Principe sine causa?* Minimè posse idem Doctor affirmat.

*Ligant ne feudales consuetudines etiam Ecclesiam, & Ecclesiasticos?* Adhuc Saa ligare quidem docet.

*Feudum ad nullum servitium datum est: succedit ne familia?* Ita planè; solum enim impotentia servitij peragendi poterat incapacem successionis reddere. Sic Molina.

*Vasallus vasalli alicuius Domini, est ne ipsius Domini vasallus?* Non esse Saa ex Sylu. asseruit.

*Episcopus Regis feudatarius cuiam potius tenetur obedire, Pontifici, an Regi?* Pontifici quidem supremæ scilicet potestati.




## E X A M E N   X I I .

De iustitia & iure circa materiam de Ludo, ex  
Fortunæ contractu.

### C A P V T   P R I M V M .

*Quid Ludus, quonammodo licitus, & vitiosus?*

 *Vid est Ludus?* Contractus, quo victori certaminis res ab utroque exposita tribuitur. Porro contractus hic mixtus est ex duobus: uno quidem innominato, quo unus ludentium periculo exponit aliquod interesse in alterius commodum: ut alter simili modo aliud interesse in illius commodum exponat; altero autem nominato ludo, quo uterque propria industria cooperans ad eventum intendit, vel intendere potest aliquam oblectationem.

71.

Ludus.

Eft



*Est ne Ludus licitus? Sua natura licitus quidem est, & ex se res indifferens; si verò ob honestos fines apperatur, bonus, & honestus erit. Si nimius appetitus lucri? Erit auaritiæ peccatum, & ex suo genere veniale. Est ne mortale crimen prohibito ludo operam dare? Ludi alex iure Cæsareo ac Canonico prohibentur, non tamen sub crimine lethali. An Clericus mortaliter delinquat? Nimia frequentia in Clerico, si scandalum coniunctum sit, absque mortali crimine non assolet esse.*

*Quotnam sunt conditiones ad ludi iustitiam requisitæ? Tres. Prima quidem, vt colludentes habiles sint ad alienandum. Secunda, vt vnus alterum minis non trahat, fraude, aut conuitiis. Tertia, vt fraudibus contra leges ludi non vtantur.*

*Num ludus ex huiusmodi conditionibus iustus aliunde possit vitari? Ex circumstantiis vitiosus reddi potest, vt ratione temporis diuturni, ratione Clericatus, aut Religiosi habitus, scandali, periuriorum.*

---

## CAPVT II.

*De solutione eorum, quæ in ludo amittuntur.*

72. *Solutio eius, quod in ludo amittitur.* **A**quis nummos per ludum humano iure prohibitum; debes ne restituere? Ante sententiam iudicis non debeo; quia ludus ex legibus irritus non redditur. Porro si victor fraudibus iudicis sententiam impediatur, restituere tenetur; secus si precibus rogando victum, ne petat in iudicio, eum ab huiusmodi petitione amoveat.

*Potest ne victus occulta vti compensatione? Minimè; potest tamen victori accusationem comminari, & repetitionem in iudicio, & ita pacisci vt partem restituat.*

*Victus ne potest non soluere id, quod prohibito ludo amisit? Potest, si recurrat ad iudicium. Filliutius asserit non satis*

fatis esse vti velle huiusmodi recurſu : ſed debere eo vti. Aſt ego probabile admodum arbitror cum *ſalas* & aliis in foro conſcientiæ fatiſſe eſſe verum animum habere recurrendi, & vtendi legis beneficio.

*Tenetur ne ſoluere quis quod credito amiſit ?* Tenetur quidem, etiam ſi ludo prohibito luſiſſet, modò nolit vti beneficio legis. Profectò quando ludus etiam irritus eſſet redditus, non tenetur ſoluere. *An qui accepit (ſi quod non debebat ob irritationem ludi quis ſolueret) reſtituere teneatur ?* Ex iure communi non tenetur; ſecus iure Caſtellæ, niſi dans donare voluiſſet, vel receptum non fuiſſet ius in eo ſenſu.

*Quid ſi aliquis cum iuramento legi renunciaſſet ?* Tenetur ſoluere, niſi ante relaxationem iuramenti petat.

*Paciſci ne poteſt victus, vt reddat victor dimidiam v.g. partem, ne repetat totum in iudicio ?* Poteſt planè.

### C A P V T III.

#### *De Ludo cum ſpecialibus perſonis.*

**A**D quidnam tenetur qui cum ſure ludit ? Si ſciebat rem eſſe furtiuam lucrari eam non poteſt : niſi res eſſet vſu conſumptibilis, & victus in ludo alia habuiſſet bona, ex quibus amiſſam pecuniam ſoluere poſſet. Idem dixero de ludente cum vſurario.

73.  
*Perſonæ  
variæ lu-  
dentes.*

*Exprime decipientis qui apud noſtrates appellatur, Fullero, obligationem. Si decipit quidem contra leges ludi, tenetur ad reſtitutionem : ſecus ſi iuxta leges ludi decipiat. Dicens ſe habere maiora puncta, quàm verè habet ? Regulariter ad reſtitutionem tenetur, ſi propterea vincat. Aduerto colluſorem errare. Teneris eum admonere. Primum locum alteri debitum accipio. Teneris ad reſtitutionem æſtimationis illius iuris.*

*Surripio colludenti pecuniam, & deinde cum ea ludo : lucrari ne poſſum ?* Si non habes aliam, vnde eam redderes, quam ſurripuiſti,

400 *Moral. Theologia Tract. III. Iustitia,*  
furripuisti, irritus est ludi contractus; Si habes, lucrari  
potes.

*Traxi alium vi aut metu ad ludum.* Teneris restituere;  
Secus si precibus, & modis humanis traxisti, *Metus leuis*  
*est.* Incutiens, ad restitutionem minimè obligaris. Profe-  
ctò attractus violenter potest lucrari, licet attrahens  
non possit.

*An collusores æquales esse debeant?* Ita quidem, hoc est,  
æqualem pecuniæ summam vno iactu expositam habe-  
re. Qui maiorem summam pecuniæ exponit, quàm  
alius, lucrari potest totam alterius, si fiat titulo expon-  
sionis.

*De ludente cum filio familias exprimo obligationem?* De  
bonis Castrensibus ludere potest absque patris con-  
sensu: non de aduentitiis, nisi à patre ei vsusfructus  
concedatur. Qui tamen lucratur, restituere non tene-  
tur, vt neque ipse filius exalienans. *De profectitiis ne ludere*  
*potest?* Non potest contra iustam patris voluntatem:  
cum patris consensu licitè ludit. Profectò victor si de iis  
bonis lucratus sit, retinere non potest, nisi patre tacitè  
consentiente, vel nisi prudenter censeatur patrem nolle  
ea sibi restitui. *Ipse verò filius delinquit ludens de bonis ad-*  
*uentitiis & profectitiis?* Ita planè; de Castrensibus, aut  
quasi, non peccat, nec ad restitutionem tenetur. *Filius*  
*sine patris beneplacito bona eius ludo exponit non quidem in ma-*  
*gna quantitate.* Vix condemnandus; quia aliquid dan-  
dum filio, si patris substantia patitur. *Data est à patre pecu-*  
*nia filio vt pro libito insumat & sibi de ornatu provideat, &c.*  
*Parcè viuat, & ex ea pecunia aliquid reseruat, vt ludo exponat;*  
*num condemnandus?* Potest quidem ludo exponere, quod  
subtraxit. Idem affirmo de recipiente à patre ali-  
menta plus quàm necesse sit; excessum enim ludo  
potest exponere. *Abest à domo filius.* Potest ludere  
quod eius ætas & personæ qualitas postulat, v. g. qua-  
tuor vel quinque pro centum. Vnde qui ludo licito,  
(imo illicito secundum Filliutum) eiusmodi partem  
à filio absente lucratur, restituere non tenetur. Profectò  
idem

idem afferendum de minore, quod de filiofamilias affirmavi.

*Potest ne quis aliquibus in casibus lucrari, sed non perdere?* Potest. v.g. Si graui metu cogatur ludere. Si iniinis ad ludendum pertrahatur. Si ludat filiusfamilias de bonis aduentitiis, vel profectitiis sine patris consensu cum sciens talia.

*Num potest quis in aliquibus casibus plus lucrari, quàm perdere?* Ita quidem. v.g. si capitale suum minus sit capitali alterius, & vno iactu exponatur cum maiori.

*An restituere teneatur qui cum viro, aut fœmina coniugata ludit?* Ludens cum viro coniugato non tenetur, si coniugatus de propriis bonis ludat; si de bonis communibus ludit quantum spectata conditione satis sit, non debet restituere qui lucratur: secus, si ludo exponit de communibus plus quàm deberet. At ludens cum coniugata, nil restituit, si cum licentia viri expressa vel tacita vxor ludat: vel quantum alia eiusdem conditionis & status ludere solent, ludo exponat; verùm restituere tenetur, si vxor plus quàm per conditionem possit, si bona dotalia, vel communia ludis fortunæ dedit.

*Quid ludens cum seruo?* Liber est à restitutione, si id ex scientia Domini fiat. Pactum cum seruo adest, vt quotidie certam pecuniam det Domino, reliquum sibi retinendo. De iis quæ licitè retinet, liberè potest ludere. In aliis ferè restituere tenebitur qui cum seruo ludit.

*Potest ne Religiosus aliquid licitè ludo exponere?* De consensu Prælati ludere aliquid potest; non si excedat, vel ludus etiam laicis sit illicitus. *De bonis monasterij?* Non potest ludere nisi quantum intra terminos administrationis posset Prælati in alios similes contractus exponere; si excedat irritus erit contractus. *De aliis bonis?* Paulò liberior esse potest Prælati in concedenda licentia. *Degit Religiosus extra claustrum.* Ludere potest modicum quiddam, v.g. quatuor, aut quinque in centum, quasi familiæ filius.

*Ludentis cum imperito causam euolue.* Porrò cum imperito ludum

402 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitia,*  
ludum texens, & moraliter de victoria certus non po-  
test lucrari. *Peritia maior melioribus ludi conditionibus com-*  
*pensatur.* Lucrari poterit. *Dicit imperitior, se velle lucrum*  
*donare.* Donatio censetur. *Probabiliter tantum te peritio-*  
*rem iudicas.* Ludere, & lucrari potero, etiam si cum impe-  
ritiori ludum inire contigerit.

---

C A P V T IV.

*Praxis circa praefata ex Societatis*  
*I E S V schola.*

74. *De ludo*  
*varij ca-*  
*sus.* **A**D quidnam tenetur, qui contra ludi leges fraudem commit-  
tit? Cum *Filliutio* assero teneri ad restitutionem  
spei, quam alter habuisset lucrandi, vel non amit-  
tendi.

*Solitus quis fraudes adhibere, & dubitat an adhibuerit:*  
*tenetur ne restituere?* Non, si bona fide iam possidebat:  
secus si dubium accidat in ipsa acquisitione. Ex eodem  
*Filliutio.*

*Domum suam quis exponit omnibus ad ludendum alea :*  
*num delinquat mortaliter?* Ex *Sanchez* & *Molina* sententia  
delinquit graviter; quia talis ludus ut plurimum ad  
malum usum destinatur, & rarissimè absque mortali cri-  
mine exercetur: quare ex lege naturali oritur obliga-  
tio non ministrandi ludentibus peccandi materiam.  
Hinc infero exponentes domum eiusmodi ludo non  
solum peccare mortaliter, sed etiam si lusores ad resti-  
tutionem teneantur & non restituant, ipsos teneri sa-  
tisfacere.

*Peccant ne lethaliter Clerici beneficiarj, & qui sunt in sacris*  
*Ordinibus sepè per modum consuetudinis ludentes ludis probi-*  
*bitis alearum, & taxillorum?* Ita planè asserente *Sanchez*,  
etiam si recreationis causa luderent, ob obortum scan-  
dalum: secus si tantum semel atque iterum sine scan-  
dalo huiusmodi ludo operam darent.

*Tenetur*

Tenetur ne qui vincitur pecunias solvere, quas ludo prohibito perdidit? Minimè; quia ius repetendi pecunias in ludo prohibito amissas leges concedunt. Secus est si alicubi id ius non concederetur, vel ludentes cesserint iuri suo. Sic *Molina*.

Filius familias qui multum perdere non potest lucratur in ludo magnam pecuniarum summam: num ad restitutionem teneatur? Affero cum *Henriquez* non teneri præsertim si colludens sciebat illum filium familias esse; sic enim videtur iuri suo cesserisse; neque enim scienti & consentienti fit iniuria. *Henriquez* confirmat.

Multum perdens cogo alterum adhuc ludere, atque ita & mea recuperare, & alia lucrare: num hæc teneat restituere? Te non teneri *Molina* docet; quia remanet in altero sufficiens voluntarium.

Per fraudem quis in ludo lucratus est, & dubitat an alter esset lucraturus nisi ipse fraudem fecisset; quid debet? Respondeo ex *Lessio* non teneri rem suam restituere, quam fortè perdidisset; quia est in illius possessione: sed illam solam, quam fraude lucratus est.

Qui verò dubitat, an per fraudem sit lucratus? Aptè asserit *Filliutius* teneri ad restitutionem; quia in dubio non potest acquirere, & melior sit alterius conditio possidentis.

Num mortaliter delinquat spectator ludi qui cum peccato mortali peragitur? Ex *Tabien.* & *Armil.* respondet *Saa* non peccare, si peccato ipso non delectetur, nec illi coope-retur, & cesset scandalum. De scandalo memoriam gero ob Monachos, aut Clericos perspicuæ dignitatis, qui tenentur ab huiuscemodi spectaculis vnde scandalum oboritur, abstinere.

An inducens nimia importunitate ad ludum teneatur restituere quod lucratur, ac si vi aut fraude induxisset? Teneri affirmant plures. Ego cum *Molina* assero non teneri; quia absolutè penes victum remanet voluntarium.


Valde excedit quis ludendi peritia: tenetur ne lucrum restituere id nescienti? Teneri sentio cum *Molina*,

404 *Moralis Theologia Tract. III. Iustitia,*  
nisi uterque de altero ignorans se periculo commi-  
sisset.

Rogo, num licitus ludus *funambulorum* sit? Illicitum  
quidam asserunt ob mortis periculum. Licitum affir-  
mo cum *Tolcio*, si adeo periti, ut periculum timendum  
plerumque non sit, licet accidentaliter aliquando præ-  
cipites agantur.

*An ludus agitationis taurorum liceat?* Licitum puto cum  
*Saa* & aliis non obstante Pij V. prohibitione, si sic fiat,  
ut non sit probabile periculum grauis incommodi;  
quia cessat ratio legis. Scio ab illa prohibitione Grego-  
rium XII. censuras contra permittentes, & congre-  
dientes abstulisse.

*Quid de Histrionum ludis?* Mei doctissimi Magistri  
Puate Hurtado de Mendoza venia non condemnan-  
dos puto, si modeste agantur, si uti D. Thom. ait iniuriæ  
Dei, & proximi vitentur, nec verbis, aut actionibus ali-  
quid inducens probabiliter scandalum geratur. Licet  
alicui accidentaliter nocumento sint. Vnde colligo li-  
cite posse Histriones moderatum suæ artis lucrum  
quærere ad victum. Scio quidem non posse promo-  
ueri; quia infames; neque eis dandam Eucharistiam  
dum in arte sua cum peccato mortali gesta perseverant.



### EXAMEN XIII.

De iustitia & iure circa materiam de contractu  
Societatum.

---

#### CAPVT PRIMVM.

*De Societatibus in genere.*

75.

*Societates  
in com-  
muni.*



*Vid Societas?* Conuentio duorum aut plurium  
facta ad conferendum aliquid in vsum, vel quæ-  
stum communem.

*Quenam*

*Quenam ad Societatem requiruntur?* Quatuor requiri assero potissimum. Primum, ut singuli socij aliquid conferant. Secundum, ut quod confertur animo ut sit commune, statim in Dominium singulorum cedat. Tertium, ut lucrum & damnum commune sit. Quartum, ut fiat diuisio lucri secundum proportionem fortis collatæ à singulis.

*Quid de conferente suum capitale?* Conferens capitale non amittit Dominium eius in Societate. Capitale vnus commune efficitur cum alijs socijs. Dominium autem eorum, quæ ex capitali, post contractam Societatem acquiruntur, omnibus socijs est commune.

*Quotnam modi Societatem contrahendi?* Multi planè vsu compendiendi. Simpliciter quidem contracta Societas, intelligitur omnium bonorum, quæ titulo oneroso acquisierint, siue locando operas suas, siue emendo, aut vendendo, siue quocunque alio titulo oneroso.

*Quidnam de Sociorum obligatione?* Socij quidem tenentur de dolo, culpa lata, & leui, tam in conscientia, quàm in foro exteriori. Leuis autem culpa ea est in Societate, qua Socius omittit eam diligentiam, quam suis in rebus adhibuisset. Non tenetur Socius vltra quàm potest facere: quod etiam habet locum in Societate simul habitantium. *Qui dolo malo causa fuit, ut non possit soluere debitum?* Privilegio non gaudet: tenetur autem præstare cautionem, quando socius ex priuilegio integre debitum non soluit. Profectò socius tenetur partem suam contribuere, donec omnes æqualiter portiones suas habeant.

*Quot modis soluitur Societas?* Quatuor. Primò, morte naturali cuiusuis ex socijs. Deinde morte ciuili. Tertio, cessione bonorum facta ab aliquo. Quarto, completo fine, ad quem instituta erat.

*Quonam modo quis potest Societati renunciare?* Conditiones hæc si habuerit. Ut alios de sua renunciatione moneat: Ut tempestiuè Societati renunciet: Ut non renunciet cum dolo.



406 *Moralis Theologiae Tract. III. Iustitia,*  
*Transit ne Societas ad heredes? Regulariter non transit,*  
*aliquando transit ex pacto.*

*Potest ne solus Societas etiam tacito Sociorum consensu, &*  
*per procuratorem? Ita planè.*

---

## C A P V T II.

### *De Societatibus in specie.*

76. *Societas negotia-*  
*tionis.* **D**E Societate negotiationis differas precor. Quotnam modis fieri Societas ad lucrum potest? Tribus. Primò, singulis conferentibus capitale, ex quo expensæ, & operæ solvantur. Secundò, apponente præterea vno, vel pluribus ex iis operam. Tertio, vno vel pluribus ex sociis conferentibus capitale: altero verò vel aliis operam, & industriam.

*Regulas exhibeas, quæ ad Societatum huiusmodi iustitiam dignoscendam. Prima regula: Computatis omnibus, quæ socij conferunt, & habita ratione periculi, damni, industriæ, in lucri diuisione accuratè proportio seruetur. Secunda, si in Societate de lucro diuidendo nihil expressum fuit, intelligenda diuisio est in partes æquales, proportionem scilicet habita Geometrica, iuxta proportionem partis appositæ capitalis. Tertia, eadem seruanda est proportio quò ad damni diuisionem, etiam si id pacto expressum non fuisset.*

*Contrahi ne licitè potest Societas contracta quidem cum parte lucri & damni inæqualiter? Potest quidem; quia ad vtrumque socium damnum & lucrum spectat. Ea verò qua damna ad vnum tantum socium spectare videntur, iniusta omnino censenda est. Cùm vnus capitale, & alter operas apponit? Lucrum diuidendum est non capitale, quod de iure, & de consuetudine seruetur. Ex pacto autem tam lucrum quàm capitale diuidi potest. Lucrum quoniammodo æstimandum? Non solum æstimandum est ex periculo, cui capitale exponitur; sed etiam quantum*

tum tale lucrum à negotiatione dependeat. *Potest ne periculum capitalis pertinere ad eum qui operas apponit?* Potest quidem ex pacto addito, non ex vi Societatis; quomodo intelligenda est Sixti V. constitutio. Quæ quidem potuisset omne tale pactum prohibere, sed ex probabiliori sententia non prohibuit. *Est ne licitum pactum, ut æque patiatur socius si capitale pereat, ac ipse conferens illud?* Licetum est, modo cum damno etiam lucrum sit commune. *Pactum autem, ut capitale sit quocunque in casu saluum?* Non quidem est contra naturam Societatis.

*Modos indica, quibus in fine Societatis lucrum diuidi potest.* Tres præcipuè expromam. Primum, Conferens operam solam aliquam lucri quotam habeat. Secundum, Capiat ille lucrum iuxta operæ æstimationem. Tertium, Talis ex forte nihil accipiat. *Quid si etiam capitale diuidendum sit inter socios?* Tunc conferens operam solam, in partem lucri & fortis pro æstimatione operæ veniet. v. g. si opera æstimetur centum, alter verò conferat mille, & lucrum in fine sit 500. ille qui contulit operam extrahet vndecimam partem, tum ex lucro, tum ex forte. Vnde cum tata sit 600. facilis erit diuisio.

*Vndenam soluenda damna, & expensæ Societatis?* Vel huiusmodi expensæ fiunt circa merces ipsas, vel à negotiante circa victum, vestitum, & itinera. Illæ quidem ex bonis Societatis faciendæ sunt; hæ verò ex bonis communibus Societatis. Admonuerim tamen competentes, & rationabiles esse debere. *Expensæ eius qui operas apponit, vndenam solvuntur?* Ex propriis bonis faciendæ, si fiant ob negotiationem, & in propria domo habitet; aliæ autem extra domicilium, ex bonis communibus Societatis. *Si damnum socio eueniat?* Non tenentur alij socij si causa Societatis huiusmodi damnum non aduenit: secus si causa Societatis. Profectò expensæ communes solæ sunt illæ quæ causa Societatis fiunt seu necessariæ, seu vtilis. Cum denique soluitur Societas, expensæ omnes detrahendæ, & quod debetur ex Societate solvendum.

77. *Societas rusticorum.* De Societatibus rusticorum & animalium differas. Animalia tribus præcipue modis ad lucrum traduntur. Primo, conductione, conductis operis rustici ad pastum suorum animalium. Deinde, censu vitalitio traditis. v.g. monasterio alicui animalibus pro certa annua pensione soluenda. Tertio, Societate, ad percipiendum lucrum ex fructibus animalium, & venditione eorum. *Quandonam in huiusmodi Societate committitur iniustitia, aut usura? Tunc committitur iniustitia, quando est inæqualitas pretij; ut si non soluatur iustum pretium saltem infimum; usura verò, quando adest mutuum palliatum nomine Societatis vel locationis. Periculum casus fortuiti a quemnam pertinet? Si celebretur locatio, pertinet ad Dominum; si fiat per censum vitalitium, pertinet ad accipientem animalia; si celebretur Societas, pertinet ad omnes socios. Est ne licitum pactum, ut conductor suscipiat in se periculum? Sua natura licitum est; ubi consuetudo illud introduxit; improbandum non est; ubi non introduxit, dissuadendum, ob usuræ periculum. Quandonam cessabuntur animalia data in locationem, quando in mutuum, & quando in Societatem? Tunc censentur data in locationem quando ad certum usum dantur, & ad breve tempus, & accipiens ad curam adhibendam obligatur. In mutuum autem, quando ea accipienti libera facultas datur, ut iis utatur sicut libuerit, ita ut possit distrahere, modò reddatur tantum, quantum fuerint æstimata. Denique censentur data in Societatem, quando focij ad capitale contribuunt, vno vel pluribus operam apponentibus. Licitum ne pactum, ut apponens operas, animalia deperdita restituet? Ita planè, ut etiam illud, quo æqualiter pereunt utrique: & si salua multiplicentur, in diuisione prius datur capitale ei, qui illud apposuit: dein de reliqua æqualiter diuiduntur.*

78. *Societas officiorum Romanæ Curie.* *Quid de Romanæ Curie officiorum Societatibus? Multas huiusmodi Societas conditiones ex Pontificum Bullis exigit, tres præcipuas expendo. Prima, ut officium, supra quod Societas fundata sit, extet. Secunda, ne plures socios*

focios officialis adsciscat, quàm postulet officij valor. Tertia, vt soluat ad rationem duodecim pro centum. Aliæ quinque ex instrumento, quod conscribi solet, adduntur conditiones. Prima, vt officialis post sex menses pecuniam restituat, si socius vixerit, & soluat certam luctri partem. Secunda, & tertia, vt officialis soluat sex pro centum ad sex menses; eaque anticipatè. Quarta, vt officialis soluat sex ad semestre, etiam si mittat, vel dimittat officium. Porrò in ea miscetur contractus sponsonis, vi cuius & officium commodatum excusatur, etiam si plures socios admittat, quàm æstimatio eius patiatur, & solutio ad rationem sex pro centum, etiam si officium non tantum redderet; & solutio fructus anticipata. Scio statutum Pauli I V. à Pio I V. abrogatum, ita vt modò satis sit, pacta contra bonos mores non esse, & verè officium esse, in quo Societas subsistat. *Est ne licita Societas super officio commodato ab alio officiali?* Licetè quidem constituitur, nec id in legis est fraudem. *Quot modis huiusmodi Romanæ Curie officiorum Societas dissoluitur?* Sex. 1. Aduentu temporis, pro quo est constituta. 2. Morte naturali socij. 3. Morte eius, quem socius loco sui nominasset. 4. Morte officialis. 5. Morte eiusdem ciuili. 6. Venditione officij ab officiali.

*De Societate omnium bonorum differe.* In huiusmodi Societate communicantur omnia, quæ ex causa qualibet acquiruntur: & omnia debita contracta, lucra, damna, & impensæ; communicantur autem statim post contractam Societatem, etiam si traditio non fiat. *Socius vti potest re communi in bonum priuatum?* Potest in conscientia foro; si tamen aliquod damnum inferret debet compensare. Et si quidem proprio nomine administret, totum lucrum ipsius est: at totum etiam damnum refarcire tenetur, quod Societas propter hoc passa esset.

*Quid de Societate inter coniuges?* Iure communi est tantum ad habitandum simul, ad familiam gubernandam,

410 *Moral. Theologie Tract. III. Iustitia,*  
generandam prolem, & educandam : at iure Castellæ,  
est etiam Societas omnium bonorum, quæ stante ma-  
trimonio comparant. Si vir vsum fructum acquirat eius rei,  
cuius ante coniugium habebat proprietatem? Non tenetur il-  
lum cum vxore communicare; quia à nullo iure vxor-  
is dependet.

---

C A P V T III.

*Praxis circa præfata ex Societatis*  
IESV schola.

So. **Q**uantum lucri potest habere qui Societatem cum aliquo  
De So- questuosam inicit? Qui plus in Societate ponit (re-  
spondeo ex Molina) plus lucri debet habere; qui au-  
tietatibus tem postea pecuniæ solum partis periculum subit, eius  
varij ca- tantum debet habere lucrum; reliquum enim mutua-  
sus. tum intelligitur.

*Quid si Societas in dubio sit; id est, non constet, an tali vel  
tali conditione fuerit contracta? Tali in casu intelligitur  
authore eodem Molina, contracta secundum consuetu-  
dinem.*

*Pañum est, quod sit commune damnum capitalis, sed de lucro  
pañum nullum expressum est: quidnam igitur intelligendum  
circa lucrum? Ex eodem adhuc Molina respondeo in pa-  
cño, quod sit commune damnum capitalis, intelligi,  
quod etiam lucrum sit commune. Itaque quod capitali  
superest, in fine diuidendum.*

*Dissoluitur Societas vel ob vnius socij mortem, aut perditio-  
nem ferè toto capitali: quidnam faciendum de lucro? Nisi aliud  
sit conuentum docet Saa ex Lopez, lucrum pro ra-  
ta diuidendum, reddito prius capitali ei, qui po-  
fuit, solutisque debitis factis ab aliquo, Societatis  
nomine.*

*Quam Societatem ini, meque ad operas in ea obligauit:  
delinquo ne, aut ad restitutionem teneor, alias Societates  
ineundo,*

*ineundo, measque in eis operas impendendo?* Respondeo ex *Toleti* doctrina non peccare, nec ad restitutionem teneri, quoties id præstare possis, absque prioris Societatis præiudicio.

*Celebrari ne potest Societas inter patrem & filium, ac inter fratres?* Regulariter quidem potest contractus Societatis celebrari ab iis qui potestatem habent disponendi ad suum libitum de rebus, quas conferunt ad Societatem. Vnde colligo iniri posse inter patrem & filium, quando filius confert ad Societatem bona Castrensia, vel quasi: aut quando pater ponit pecuniam, & filius operam, & industriam. Item assero celebrari posse inter fratres. Saluo tamen patris iure. Ex *Rebello*.

*Quinam ex iure non possunt validè Societatem inire?* Neque pupillus, neque minor absque tutoris licentia: neque rationis vsu carentes: neque Religiosus, cum non sit sui iuris: neque medicus cum infirmo: aduocatus cum cliente: nec tutor aut curator cum pupillo, & minore. Ex eodem *Rebello*.

*Si res Societatis furto sublata fuerit, cuiusnam est damnum?* Debere esse commune, si absque culpa sociorum sublata est, docet *Toletus*.


*Facit elemosynam socius, qui ponit industriam: soluenda ne ex communibus?* Si moderata sit, & discreta, fiatque intuitu felicitis exitus Societatis rationabiliter soluendam ex communibus lucris Societatis *Molina* docet.

*Aliquæ expensæ in utilitatem Societatis faciendæ sunt, ad quas non potest socius pecunias ex Societate extrahere: quid faciendum?* Socius tenetur eas ex propria pecunia facere, aut curare (si non habeat) vt mutuo petatur ex aliis. Ipsi tamen competit ius repetendi à sociis, quod insumpsit, cum vtiliter gesserit negotium Societatis, non secus ac si negotio proprio curam impenderet. Sic *Molina*.

*Expri me quo iura Societatis inter fratres.* Ex *Molina*, *Filiutio*, *Rebello*, *Toletus*, & aliis respondeo. Fratres functis vita parentibus, habere solent bona indiuisa per modum

412 *Moral. Theologia Tract. III. Iustitia,*  
Societatis, ita vt lucra & damna sint communia: quan-  
quam hæc Societas extendit se tantùm ad bona hære-  
ditaria, & ad lucra ex illis prouenientia, nisi aliter dedu-  
ctum sit in pactum. Propterea si vnus negotietur, altero  
nihil conferente, non dicitur cum altero Societatem  
iniisse; imò si vterque negotietur, non videntur Socie-  
tatis contractum celebrasse, si nihil conferant ad nego-  
tiationem. Quare Societas inter fratres extenditur tan-  
tùm ad ea, quæ inter se fratres communicant, & in  
commune conferunt, animo conferendi in commune:  
non verò se extendit ad bona aliunde à fratribus ac-  
quisita. *Quosnam sumptus possunt fratres indiuisi facere?* Or-  
dinarios, & competentes; extraordinarios verò non  
possunt. Quare si vnus fratrum v.g. propter aliquod del-  
ictum poenam cogatur soluere, non potest hos sum-  
ptus de communibus Societatis bonis facere. *Quenam  
bona sunt à fratribus ad partitionem adducenda, secusa Socie-  
tate?* Bona tantummodo profectitia, quæ filius à patre  
vel auo accepit: bona verò castrensia vel quasi non  
sunt conferenda, quia Dominium eorum pleno iure  
pertinet ad filium. Præterea bona aduentitia quoad  
proprietas similiter non conferuntur, cum perti-  
neant ad filium quoad proprietatem. *Tenetur ne filius  
cum aliis fratribus conferre, quæ à patre causa dotis accepit, vel  
ad ordines, vel titulo legati, &c.* Non tenetur, si velit ab  
hæreditate abstinere, re sibi tradita contentus, modò  
hoc non noceat legitimæ aliis debitæ: sicut neque te-  
netur conferre, quæ pater in ipsius studio consumpsit;  
quia hæc censentur condonata, nisi fortè filius habue-  
rit, vnde se possit sustentare. Idem assero de iis, quæ  
pater illi tradidit præ aliis ad cibum, vestitum, æquita-  
tum, & ludum; imò & de libris viuente patre tradi-  
tis: & expensis conuiuij à patre facti occasione sacri à  
filio celebrati, vel Doctoratus adepti occasione, vel  
professione in Religione; secus de vestibus pretiosis,  
torquibus, arrhis, & aliis largitionibus sponsalitijs pro-  
pter nuptias effectis, aut propter filij à captiuitate  
redem

*Examen XIV. De Variis contractibus.* 413  
redemptionem; hæc enim in paternæ hæreditatis diuisione adducenda sunt.



*E X A M E N   X I V .*

De iustitia & iure circa materiam de contractibus, in quibus admiscetur fortuna: de contractibus, qui aliis contractibus sunt adminiculo: de quasi contractibus: & de nonnullis contractibus innominatis.

---

*C A P V T   P R I M V M .*

*De contractibus, in quibus fortuna admiscetur.*

**S**is contractus in quibus admiscetur fortuna, præter ludum tres esse, scilicet Assecurationem, Sponsonem, & Sortem. *81.*  
*Assecu-*  
Requirō, quidnam Assecuratio? Contractus ratio.  
est, quo alienæ rei periculum suscipitur pro pretio aut alio interesse. Reducitur ad emptionem & venditionem, vendente assecuratore periculi susceptionem, pro certo pretio. *Quotnam ad eius iustitiam requiritur?* Tria præcipuè. Primum æqualitas ex vtraque parte. Secundum incertus euentus rei, quæ assecuratur. Tertium sufficientia bona in assecurante. Si quid horum deesset, iniustus esset contractus. *Sciens ex Astrologia fore securum tempus, potest ne recipere pretium pro assecuratione?* Potest planè; quia non ita infallibiliter quis ex Astrologia coniiicit, vt non ad sit periculi timor. *Quodnam assecurationis pretium commune?* Iustum eius pretium ex communi æstimatione petendum, si taxatum non est. *Quanam res solent assecurari?* Quatuor præcipuè. Merces, Pecuniæ, Libertas, Vita. *Indica vtriusque contrahentis obligationes.*  
*Assecu*



414 *Moral. Theologia Tract. III. Iustitia,*  
Assicurans æstimationem mercis soluat, si pereat: Assicurat  
curatus soluat etiam assicurationis pretium: Fraudes  
autem omnino remouendæ.

82. *Sponsio.* *Quid est sponsio?* Contractus, in quo duo de veritate,  
vel euentu alicuius rei contententes sibi vicissim ali-  
quid spondent, vt id eius sit, qui veritatem fuerit assicu-  
tus. *Num licita?* Ex sua natura licita est, dummodo sem-  
per super dubiam rem fiat. *Eius exprime condiciones.* Tres  
sunt. Prima æqualitas in re, quæ spondetur cum æquali  
incertitudine. Secunda dubius euentus rei in vtroque.  
Tertia vt vterque in eodem sensu accipiat id, de quo  
certatur. *Spondeo cum eo, de quo scio veritatem scire.* Si ad-  
huc id cognoscens velis spondere, tibi imputa. *Decipi*  
*alterum existimo, cum tamen re vera alter certus sit.* Probabile  
est posse spondere, probabilius tamen & æquius est,  
quod nõ possit alter spondere, nisi prius de deceptione  
te commoneat. *Dubito in presenti de re, de qua antea certum*  
*me putabam.* Poteris spondere. *Sunt sponsiones cum conditio-*  
*ne illicita, v. g. quod alterum potando superabit quis; quod bime-*  
*stri spatio alter morietur: num lucrum ex his restituendum?*  
Iure quidem ciuili damnatæ sunt, at tamen lucrum re-  
stituendum non est. *Quid de sponsione super vita aut morte*  
*Papæ, aut super futura Cardinalium electione?* Ex se res licita  
esset, iure tamen positiuo Pontificum prohibitæ, & irri-  
tæ redditæ huiusmodi sponsiones.

83. *Sors.* *Quid est sors?* Scio sortes triplices esse, Diuinatorias,  
Consultatorias, & Diuisorias. De postremis requiris?  
Contractus est, quo aliqui ius habentes in aliqua re,  
conueniunt, vt mittantur sortes, quisnam illam debeat  
obtinere. *Num licitus contractus?* Ita planè, si fraudes  
absint, in temporalibus quidem, non in electionibus Ec-  
clesiasticis.

CAPVT II.

De contractibus, qui aliis contractibus sunt  
adminiculo.

**I**Am de Societatibus differuimus, solum de Fideiussione, Pi-  
gnore, aut Hypotheca agendum nobis est. Quidnam est Fidei-  
iussio? Alienæ susceptio obligationis, per quam obligat  
se quis ad eam implendam, si debitor principalis non  
soluerit. Quis est Fideiussor? Is, qui pro alio fidem suam  
obligat, & fide sua iubet esse, quod alius debet credito-  
ri. Duplex quidem est, iudicialis, & extraiudicialis.  
Quanam conditiones ad Fideiussionem requiruntur? Debet  
esse contractus accessorius: Debet obligari fideiussor  
non plus quàm principalis debitor: Si obligatio prin-  
cipalis inualida est, inualida erit etiam fideiussoris obli-  
gatio: Non potest fideiussor conueniri, nisi in defectum  
principalis. Potest ne conueniri fideiussor ante principalem in  
aliquibus casibus? Potest quidem in tribus. 1. Si renun-  
ciaffet beneficio Authent. Præsente. cap. de fideiuss.  
2. Quando constaret principalem non esse soluendo.  
3. Quando fideiussor conuentus negasset se esse fidei-  
iussorem. Quinam fideiubere possunt? Qui liberam ha-  
bent suorum bonorum administrationem, & principa-  
liter possunt obligari. Mulier ne pro viro? Minimè fidei-  
iubere potest. Quid de Clericis, & Religiosis? Clerici  
in proprium damnnum possunt, Religiosi sine sui Su-  
prioris consensu non possunt fideiussores esse. Exigi  
ne potest pro fideiussione pretium? Regulariter potest: ali-  
quando tamen illicitum esse potest. Quando nam tenebitur  
fideiussor? Quando debitor soluendo non esset:  
Quando esset absens. Quando suo iuri renunciaffet.  
Quid si plures sint? Omnes tenentur.

Quidnam Pignus? Latè sumptum res est subiecta, vel  
obligata pro debito. Strictè autem, addit traditionem  
cius creditori, vel alteri loco illius.

84.

Fideiuf-  
sio.

85.

Pignus.

Quidnam

*Quidnam autem est Hypotheca?* Latè sumpta idem est quod Pignus latè sumptum; strictè autem est res subiecta modo dicto, non facta traditione rei, ita obligata. *Quotuplex illa?* Quadruplex. Expressa & Tacita, Conventionalis, Prætoriana, & iudicialis. Profectò Tacita, & Conventionalis in vniuersalem & particularem subdividitur. *Quænam res subici possunt?* Res quæ subici possunt, duplices sunt, corporales, & incorporales, vt iura. Subdi non possunt hypothecæ res sacræ, publicæ, liber homo, publica stipendia, instrumenta aratoria, & spes præmiorum pro colonis, & athleticis, neque res aliena. *Quinam dare possunt pignori, aut hypothecæ?* Generatim qui possunt alienare, & habent liberam suorum bonorum administrationem. *Mutatur res, v.g. exurit domus: quidnam remanet loco pignoris, aut hypothecæ?* Id quod remanet eius rei, v.g. solum. *Indica pignoris, aut hypothecæ substantialia.* 1. Vt aliqua præcedat obligatio. 2. Vt adsit res certa. 3. Vt creditor in sortem computet fructus. 4. Vt teneatur de dolo, culpa lata, & leui. 5. Vt pignus pro vno datum, pro alio debito retineri possit. Solent ne pacta aliqua apponi? Solent planè. Primum est, vt omne pactum turpe prohibeatur, quale (inter alia) legis cõmissoria, vt si suo tempore non fiat solutio, pignus cadat in ius & dominium creditoris. Secundum vt creditor propria auctoritate possit pignus occupare pro debito non soluto, idque tanquam iusto pretio emptum sumere licitum est. Tertium denique, ne liceat debitori pignus vendere, omnino pactum illicitum est.

---

### C A P V T III.

#### *De quasi contractibus, & nonnullis contractibus innominatis.*

86.

Manda-  
tum.

**Q**uid est Mandatum? Gratuita susceptio aliquid exequendi, quod alius formaliter, aut virtualiter iniungit.

iniungit. Transit in locationem, si merces pro eo sumatur; non autem, si tantum sit spes remunerationis habendæ, imò etiam cum promissione remunerationis non tollitur ratio mandati. Est contractus innominatus, & quasi contractus. *Quotnam sunt Mandati generatim?* Multa planè. Porrò de re illicita inualidum est, & damna ex iniquo mandato restituenda. Mandans percussorem non occidi, si sequatur occisio, non punitur pœna ordinaria homicidij, sed mitiori. *Indica Mandati substantialia.* Adesse debet consensus utriusque præcessio obligationis alicuius, de re bona debet esse, & mandans in eo dando certam formam præscribere. *Obligationes exprime Mandati.* Qui mandatum recipiunt, tenentur regulariter de dolo, & culpa lata. De casu fortuito, qui poterat prævideri, & cogitari, tenetur qui mandat, non de alio. Obligatio præcipua mandatarij est seruare fines mandati: si excedat, non est ratum quod egerit.

*Quidnam Negotia gesta?* Negotia gesta dicuntur, cum absque mandato formaliter, aut virtute negotium alterius vtiliter geritur. Is qui hæc agit, negotiorum gestor nuncupatur. Geritur autem alterius negotium quatuor modis. Cura & officio, re ipsa, ratihabitione, & ipso negotio gesto. *Quenam obligatio negotium gerentis?* Obligatur ad reddendam rationem eorum, quæ gessit, & ad soluendum si aliquid peruenit ad ipsum ex negotio gesto. *Quenam autem obligatio eius, pro quo negotium geritur?* Obligatur ad soluendas expensas in ipsius bonum factas. *Relinquens negotium imperfectum ad quid tenetur?* Tenetur de damno ea de causa subsequuto. *Quenam expensæ soluendæ à mandante?* Quæ ante admonitionem, ne ipsius negotium gereretur, factæ essent in vtilitatem eius; si monitio non præcedat, ad omnes tenebitur, modò maiores non sint, quam rei vtilitas postulet. *Quid si negotium gessi animo gratuito?* Non potes expensas petere; secus si animo petendi compensationem. *In dubia?* Iudicandum ex circumstantiis. Est quasi contractus.

87.

*Negotia  
gesta.*

*Quid*

88.

*Tutela,  
& Cura.*

*Quid Tutela & Cura?* Numeratur inter quasi contractus. Tutor quidem is est, qui pupillum vel pupillam morte patris, vel emancipatione sui iuris factum vel factam tuetur. *Quotuplex Tutela?* Triplex, Testamentaria, Legitima, & Dacia. *Quisnam Tutores esse possunt?* Quilibet nisi propria animi vel corporis imbecillitate à tutela impediatur, v.g. furiosus, morbo perpetuo laborans, & mulier, nisi speciali beneficio iudicis ex iure communi: sed iure Authenticorum potest cum quibusdam conditionibus. *Clericus ne cogi potest ad tutelam?* Minimè, nisi sit personæ miserabilis. *Ad quenam Tutor tenetur?* Ad tria, vt pupillum seruet intactum à crimine. Vt res eius præseruet ab iniuria. Vt pecuniam eius, vel mobilia conuertat in prædia, & census, ex quibus fructus percipiat. Inuentarium facere etiam tenetur, quamprimum poterit, coram publicis personis; debet autem fieri id omnium rerum corporalium, & instrumentorum.

89.

*Stipulatio.*

*Quidnam stipulatio?* Est contractus, qui verbis perficitur, præcedente interrogatione vnius, qua ab altero petit, an promittat; & subsequuta responsione, ac sponcione alterius, qua promittat id se facturum. *Si diuerso idiomate interrogatio fiat, & responsio?* Valida stipulatio est, modò se inuicem intelligant. *Responsio ne potest differri?* Continud subsequi debet stipulationem. *Quidnam de stipulatione scitu dignum obseruasti?* Affirmarim primò non posse quempiam alteri pro altero stipulari, nisi sit eius seruus, aut filius. Secundò non valere stipulationem, aut legatum factum in genere, de aliqua re, nulla demonstrata. Tertio obligationem stipulatam sine conditione, neque ad certum diem, deberi die præsentis: sed non posse peti illo die, quo stipulata est. Quartò denique stipulationem transire ad hæredes, quando per alium impleri potest.

90.

*Acceptilatio.*

*Acceptilatio quid?* Contractus est, quo interrogante debitore creditorem suum, acceptum ne, seu solum habeat debitum, aut velit illud remittere, creditor respondet,

respondet, Acceptum habeo, seu remitto. Est contractus, qui verbis perficitur. Porro obligatio civilis per eam extinguitur, ac si quod debebatur ex stipulatione, solutum esset. Vnde in iure vim habet solutionis, & pacti de non petendo, tollitque actionem realem, personalem, & mixtam.

*Quid est compromissum?* Contractus quidam, quo aliqui mutuo consensu in sententiam arbitri, seu arbitratoris reiiciunt controuersiam aliquam dirimendam, spondentes illi se parituros. Onerosus contractus est, & innominatus, & solo consensu perficitur. Antequam fiat, liberum est, vt fiat, vel non ex parte compromittentium: & ex parte arbitratorum, antequam acceptent arbitrium. *Quinam iudex Arbitrator strictè?* Is est, quem partes ex conuentione sibi eligunt, vt eius definitioni acquiescant.

*Quidnam Transactio?* Transactio est de re dubia, lite aut controuersia iam mota, pactio non gratuita. Præter rei dubietatem requiritur, vt non sit circa rem, de qua iam lata sententia sit, quæque in rem transferit iudicatam.

*Quid Compositio?* Pactio est de aliqua re, vel circa quam nulla controuersia sit, vel circa quam sit, aut esse possit. Innominatus contractus est, & reducitur ad locationem.

*Quid Nouatio, Delegatio, Compensatio?* Nouatio quidem est prioris debiti, seu obligationis in aliam transfusio, ita vt prior perimatur. Delegatio, cum sua vice, dat alium reum creditori, vel cui iusserit creditor. Compensatio est debiti vtriusque, & crediti inter se contributio. Reconuentio autem est, cum vno creditore conueniente creditorem in iudicio, pro eo, quod ei debet, alter illum reconuenit, vt sibi soluat, quod debet. *Exprime quisnam in casibus habeat locum exceptio compensatio- nis, & quisnam in casibus non habeat.* Habet locum. i. Quando id, quod actor debet reo conueno, est debitum naturale, & non civile; tunc actor id tenetur compensare

91.

Compromissum.

92.

Transactio.

93.

Compositio.

94.

Nouatio, Delegatio, Compensatio.

420 *Moral. Theolog. Tract. III. Iustitia, &c.*  
cum debito civili naturali, quod exigit. 2. Contra executionem sententiæ transeuntis in rem iudicatam, valet compensationis exceptio. 3. Quando utrumque debetur aliquid consistens in numero, pondere, & mensura, modò res functionem suscipiant, id est, pro se inuicem substitui possint. 4. Locum etiam habet inter socios in contractu Societatis. 5. Fideiussor solueas pro alio, eo ipso compensat, si quid illi debeat. Porro non habet locum. 1. Si quid debeatur fisco, vel Principi, vel communitati ad reparationem murorum, fontium, pontium, &c. 2. Cum quis condemnatur, ut aliquid debeat alicui ob vim illatam, furtum, aut maleficium, non valet compensatio, nisi debitum esset ex simili maleficio. 3. In deposito. 4. Quando alimenta debentur. 5. Quando duo debita concurrunt, & utrumque contra compensationem priuilegiatum est; verum in hoc casu contrarium verius est.



TRACTA



TRACTATUS QUARTVS  
 LIBRI THEOLOGIÆ  
 MORALIS,  
 PROMENS SIGILLVM  
 QVARTVM SCILICET  
 Censuras.

*Vbi de Censuris in communi, & in particu-  
 lari, & de Ecclesie pœnis scilicet  
 irregularitate, Degradatione.*


P R O L V S I O.



Xquarto sigillo referato *Equus pallidus* prodiit, & qui sedebat super eum, nomen illi *mors*, & *infernus* sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor partes terra, & interficere gladio, fame, & morte. Quàm appositè mortem peccati, quam inferni contumacia comitatur Censurarum ac Poenarum vulnera flagellant. Sequor præcipuè huiusce materiæ Doctores, *Auilam, Gasparem Hurtadum, Toletum Henriquez, Svarium, Laymanum, Fillintium, & Reginaldum.*

D d 2 EXAMEN





## EXAMEN PRIMVM.

Circa materiam de Censuris in communi.

## CAPVT PRIMVM.

*Quid, & quotuplex Censura?*I.  
*Censura  
in com-  
muni.*

**Q**uid est Censura? Poena spiritualis inflicta ab Ec-  
clesiastica potestate priuans hominem bap-  
tizatum vsu aliquorum spiritualium, in ordine  
ad salutem.

*Quotuplex est Censura?* Triplex, Excommunicatio, su-  
spensio, interdictum; irregularitas enim non est Cen-  
sura, cum incurri absque delicto possit.

*Seu Censura Excommunicationis sit, seu suspensionis, seu inter-  
dicti, species adhuc diuide.* Multipliciter diuiditur. Alia  
enim est Censura à iure, alia ab Homine. Censura à iure  
dicitur illa, quæ fertur à legislatore cum intentione  
condendi legem, seu statutum generale perpetuum, in-  
iuncta hac poena transgressoribus. Censura autem ab  
Homine est ea, quæ fertur à Superiore aliquid præcipien-  
te intentione ferendi præceptum temporale, & transi-  
torium sub poena Censuræ. Rursum Censura alia est  
*late sententiæ*, quæ ipso facto incurritur absque iudicis  
sententiæ; alia est *sententiæ ferendæ*, quæ tantum est com-  
minatoria in futurum, nec ipso facto incurritur.

*Quandonam dignosces Censuram esse late sententiæ?* Quan-  
do in lege ponuntur hæ particule: *Ipsa facto, ipso iure*;  
aut quando hæc adduntur aduerbia: *Confestim, statim,  
illico*; aut quando Censura fertur per verbum præsentis  
temporis, aut imperantis modi. Quando verò fertur per  
verbum futuri, argumentum est, tantum ferendæ sen-  
tentiæ

*Examen I. De Censuris in communi. 423*  
tentix esse Censuram. *Quid si dubium, num lata num ferenda sententia sit?* Iudicandum esse ferendæ; quia odia restringenda.

## C A P V T II.

### *De Ferente Censuram.*

**Q**uamvisnam Censuram ferre possit? Efficiens causa principalis Christus est; qui ferendæ Censuræ potestatem concessit Ecclesiæ. Porro hæc potestas in Pontifice summo residens diuina est. In aliis Ecclesiæ Prælatibus est etiam suo modo diuina, sed hominè mediante & dependenter à Summo Pontifice recepta. Forma verò, & modus illius ferendæ in Ecclesiæ potestate relictus est. Unde eius institutionem, impositionem, & obligationem de iure potiùs humano, quàm diuino dicendam esse affirmo.

*Quenam in ferente Censuras condiciones requiruntur?* Sex equidem. 1. Ut sit homo viator. 2. Ut sit utens ratione. 3. Ut sit baptizatus. 4. Ut non sit laicus, quia hic non habet iurisdictionem Ecclesiasticam. 5. Ut non habeat iurisdictionis vsum impeditum, uti accidit, quando iudex est excommunicatus vitandus, aut quando interposita est legitima appellatio. 6. Ut Censuram in causa propria non ferat; quia nullus potest esse actor, & iudex. Excipio casum defensionis; potest enim per Censuram vis, & iniuria propulsari.

*Ut Censura valida sit, & iusta, quidnam considerandum?* Præter ea quæ assignaui, ut válida sit, libera voluntate infligenda est; quæ enim ex metu, si perturbaret rationis vsum, vel internam voluntatem auferret, esset inuálida. Ut autem iusta sit, neque contra charitatem, neque contra obedientiam esse debet, sed conformis legali iustitiæ (seruata forma quæ requiritur) distributiæ habito respectu non ad personas;

2.  
Ferens  
Censuram.

424 *Moralis Theologiae Tract. IV. Censurae,*  
sed ad causam : & commutatiua rei ad rem aequalitate  
seruata.

*Præter Summum Pontificem , qui ius habet in omnes Chri-*  
*stianos , competit ne aliis Censuras ferendi potestas ?* Competit  
Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis respectu sub-  
ditorum. Capitulum Sede vacante habet, & Vicarius  
Capituli, usque, quibus ex officio, & statuto Ecclesiæ  
hæc potestas addicitur, vt Abbates, Priores Ecclesiarum  
habentes iurisdictionem in foro externo. Prælati Reli-  
gionum, Prouinciales scilicet & Priores, Rectors,  
Guardiani, &c. Cardinales in Ecclesiis, in quibus quoad  
forum externum habent iurisdictionem. Parochus verò  
hanc potestatem non habet, cum non habeat in foro  
externo iurisdictionem; potest tamen per consuetudi-  
nem, aut præscriptionem acquirere potestatem ferendi  
vnam, aut alteram Censuram in subditos.

*Num necessarium Clericus debeat esse, qui ferat Censuras?* Qui  
non est Clericus, licet sit Religiosus, non potest, nisi de  
Pontificis facultate extraordinario iure, ferre Censu-  
ram. Verum de huiusmodi potestate Pontificis absoluta  
non solum laicus potest, sed & foemina; quia Censu-  
ra ordinis potestati nullo necessario vinculo copulatur.

*Collegium ne capax iurisdictionis, ad Censuras ferendas?* Ec-  
clesiasticum Collegium ita planè, laicum minimè. Illud  
certè Collegium Ecclesiasticum censetur, in quo plures  
Ecclesiastici, quam laici commorantur. *Quid si nume-*  
*rus sit æqualis?* Ecclesiasticum censebo; quia nobilius mi-  
nus dignum ad se trahit.

---

### C A P V T III.

*De eo, in quem Censura ferenda est.*

3. *Censurae subiectum.* **Q**uam possit Censura vulnere percutere? Qui hæc quin-  
que habuerit condiciones. 1. Vt sit viator, seu hoc  
in corpore mortali degens; nam in defunctum nulla  
est

*Examen I. De Censuris in communi. 425*

est Ecclesiastica iurisdicção, nisi indirecta. 2. Ut sit baptizatus, quia *de iis, qui foris sunt, nihil ad nos*, auctore Paulo II I. Ut sit adultus, & doli capax; quia Censura supponit peccatum. Non tamen licitè impubes doli capaces Censura afficiuntur vsque ad annos quatuordecim si sit masculus: vsque ad duodecim, si sit foemina. 4. Ut sit homo determinatus; tota enim vniuersitas, vel Collegium excommunicari nequit. Aliæ tamen Censuræ suspensionis scilicet, & interdicti in communitatem, Capitulum, aut Collegium ferri possunt. 5. Ut sit inferior & subditus ferentis Censuram; quia iurisdicção coercitiua non potest nisi in inferiores, & subditos exerceri.

*Potest ne eadem persona Censura diuersæ rationis adstringi?* Potest, siue distinctæ causæ sint, siue eadem. Censuris etiam eiusdem rationis potest illigari ob diuersas causas, vel ob eandem à diuersis iudicibus.

*Quosnam obligat Censura à iure lata: quosnam ab homine?* Censura à iure lata omnes fideles obligare potest, si eius conditor in omnes habeat potestatem: quæ verò ab homine, eos solùm ligat, qui sunt in sententiâ designati.

*Legi vnius Episcopi latæ adiuncta Censura est: rogo, num subditus huius Episcopi extra territorium contra huiusmodi legem delinquens, Censuram legi adiunctam incurrat?* Minimè, sicut neque is, qui in exempto loco eiusdem territorij delinqueret. Porrò ibi delictum committi dicitur, vbi exterius consummatur. At si delinquat contra generalem sententiam pro præterito peccato latam cum ordine ad satisfactionem faciendam, etiam in aliena dicecesi potest contumax Censura ligari.

*Censura lata à Pontifice generaliter, ligat ne Episcopos?* Excommunicatio ligat, suspensio, & interdictum minimè, nisi expressa illorum mentio fiat.

*Potest ne aliquis propria potestate in se ipsum Censuram ferre?* Minimè; quia nemo se ipso inferior est, nec potest incurrere poenas à se latas. *Interdicens aliquem locum, tene-*

426 *Moralis Theologiae Tract. IV. Censura,*  
tur ipse interdictum seruare, & subiacet pœnis à iure communi  
latis contra interdicti violatores; ergo pœnas incurrit à se la-  
tas. Fateor illum pœnis à iure latis subiacere, sed non  
incurrit eas quasi à se latas, sed quasi latas à iure com-  
muni.

*Potest ne equalis in æqualem ferre Censuram?* Authoritate  
propria minimè; quia par in parem non habet impe-  
rium. Ex commissione verò delegata potest Episcopus  
alium Episcopum excommunicare; quia per delega-  
tionem Superior est factus.

*Quonam modo vnus plures Censuras incurere possit?* Quan-  
do committit delictum habens plures circumstantias  
mutantes actus moralis species, si singulæ sint sub Cen-  
suris prohibitæ: secus quando circumstantiæ speciem  
non mutant; tunc enim est vnica moraliter actio, vnica  
transgressio, & consequenter vnica Censura. v.g. percu-  
tis Sacerdotem, qui simul est Diaconus, & Subdiaconus:  
non ideo incurris plures excommunicationes; quia  
hæ circumstantiæ speciem non mutant. At qui percutis  
Sacerdotem Monachum duplicem irreuerentiam com-  
mittis, alteram in statum Clericalem, alteram in Reli-  
giosum, ex duplici transgressione duplicem Censuram  
incurris. Sepeliens item in loco sacro vsurarium ex-  
communicationem, & nominatim interdictum tres ex-  
communicationes incurrit; quia triplicem inobedi-  
entiam committit contra tres prohibitiones diuersas sub  
excommunicatione factas. Hinc probabiliter affir-  
mo eum qui occidit, aut percutit vno actu plures Clericos,  
vnam tantùm excommunicationem incurere; quia  
est tantùm vnum numero peccatum, & vpa trans-  
gressio.

*Cum Censura fertur contra aliquis criminis patratores, li-  
gantur ne mandantes, ac consulentes?* Minimè, nisi sententia  
exprimat ipsa. Quando autem in sententia exprimuntur  
nō tamen ligantur ideo semper, sed solummodo quan-  
do influunt verè in effectum. v.g. Mandasti Clericum  
aliquem occidi, reuocasti mādatum ita vt tua reuocatio  
ci

*Examen I. De Censuris in communi.* 427  
ei innotesceret, cui mandasti : non ligaris excommuni-  
catione, licet sequatur effectus. At consulentes licet re-  
uocent consilium, & innotescat ei, cui fuerat datum,  
adhuc, secuto effectu, excommunicationi subiacent;  
quia non censentur influxum reuocasse.

---

## C A P V T I V.

*De causa ob quam Censura ferenda est.*

**P**ropter quemnam actum Censura ferri potest? Propter ex-  
terius peccatum; quia de internis actibus Deus so-  
lus iudicat. *An actum externum gerens sine interno, Censuram*  
*incurrat?* Ita quidem, quando actus internus est de actus  
externi præcepti substantia; v.g. attentio respectu Of-  
ficij diuini recitandi, aut Missæ exaudiendæ. Secus, si  
substantia actus externi possit absque actu interno sub-  
sistere; tunc enim non incurritur Censura, si omitta-  
tur internus. Vnde communicans indignè in Paschate  
satisfacit Ecclesiæ præcepto; qui autem Missam sine  
attentione non satisfacit; quia Missam verè non audit.

*Peccatum, ob quod Censura fertur, debet ne esse proprium, an*  
*sufficit alienum?* Proprium esse debet, si Censura sit ex-  
communicationis. Ob id cautum, ne excommunicatio  
in communitatem feratur. *Idem ne dicendum de Censura*  
*suspensionis, & interdicti?* Non; fertur enim ob peccatum  
alienum in totam Communitatem ob vnus socij de-  
lictum.

*Quanta debet esse delicti grauitas?* Delictum mortale  
esse debet; vti pœna grauis graui sit delicto propor-  
tionata. Vnde excommunicatio maior lata ob pecca-  
tum veniale est nulla. Fateor posse Superiorem sub  
Censura aliquid prohibere, quod licet secundum se  
leue sit, aut indifferens, nihilominus sit graue ob cir-  
cunstauriam, seu finem à Superiore intentum. v.g. præ-  
cipitur Clerico, ne arma deferat, aut ne comam nutriat,

4.  
Causa  
Censuræ  
ferendæ.

428 *Moralis Theologiae Tract. IV. Censura,*  
quæ leuia quidem spectata in se, ratione tamen status,  
& scandali grauiâ fiunt.

*Sufficit ne peccatum mortale, ad lationem Censuræ, an requiritur etiam contumelia?* Requiritur hæc, vt validè Censura feratur; quia Censura percutit solummodo rebelles.

*Incurritur ne Censura, quando effectus prohibitus intentus non sequitur?* Minimè, nisi sub Censura principaliter ipsa actio & conatus prohibeatur. Addo, eum, qui actionem aliquam exercet de se insufficientem ad effectum prohibitum sub censura, eam non incurrere. v. g. lata est excommunicatio contra homicidas: Petrus, qui Ioannem haud lethali vulnere percussit, Censuram non incurrit, licèt aliàs contingat mori vulneratum; quia sub Censura prohibetur actio lethalis, non autem quælibet vulneratio.

---

## C A P V T V.

*De modo quo Censura ferenda est.*

5.  
*Modus  
ferendi  
Censuræ.*

**Q**uoniam modo sit Censura ferenda? Minimè incurritur ante quam lata sit à iudice per signa externa, & non per solam internam voluntatem. Porrò ad ferendam Censuram quæcunque verba sufficiunt, modò sint ad aliquam particularem Censuram determinata: Vel quælibet Scriptura, quæ iudicis sufficienter exprimat intentionem. At verba, quæ fertur Censura debent etiam determinata esse ad aliquam personam eam nominando, vel designando in ordine ad delictum. v. g. si dicatur: *Clericus, qui arma gestauerit, incidat in excommunicationem;* quia si nullam personam determinatè assignant, nullam vulnerabunt.

*Debet ne præcedere admonitio fraterna?* Debet quidem, facta autoritate illius, qui Censuram laturus est; quia non potest adesse contumacia, nisi admonitio supponatur.

*Examen I. De Censuris in communi.* 429

natur. Inſto, quia Censura lata pro delictis futuris diſtinctam non requirit admonitionem. Lex tunc ipſa non ignorata ſufficienter admonet delinquentem.

*Declarandus eſt aliquis in Cenſuram incidiffe: rogo, ſit ne citandus prius?* Ita planè; quia nemo inauditus condemnandus eſt.

*Quotnam admonitiones?* Tres quidem aut formaliter, aut virtualiter. Porro urgente neceſſitate, vna ſufficiens. *Quid ſi quis abſque neceſſitate Cenſuram ferat ſine præmiſſa triplici admonitione?* Grauius delinquet, validè autem delinquentem flagellabit.

*Quonammodo triplex hæc admonitio faciendæ?* Inter ſingulas admonitiones duorum ſaltem dierum adſit interſtitium. Profectò quando Cenſura ferenda eſt contra aliquam particularem perſonam, admonitio coram illa peragatur. Quando generaliter fertur, admonitio ſufficienter loco in publico fiet. Si ſuſpenſio vel interdium ferendum eſt contra communitatem, admonitio faciendæ eſt delinquenti, ob cuius ſcilicet iniquitatem Cenſuræ flagellum præparatur.

*Poteſt ne huiusmodi admonitio fieri non ipſi perſonæ, (quando ferenda eſt Cenſura in particularem) aliquo in caſu?* Poteſt planè fieri ad domum illius, vel quando reus ſe per dolum abſcondit, vel per vim impedit, ne moneatur, vel quando ſemel facta eſt perſonalis admonitio, vel quando citatio facta ad domum innotuit delinquenti, vel quando quis malè abſolutus eſt ab excommunicatione, & agitur de ipſo ruriſum percutiendo.

*Eſt ne tempus ſpectandum ad Cenſuram ferendam?* Ita planè. Deo enim dicato die nequit ritè ferri. At valida erit, dummodo non fiat cauſæ cognitio, quam Cenſura neceſſariò non poſtulat.



## CAPVT VI.

*De causis excusantibus à Censura incurrenda.*

6.  
Causæ ex-  
cusantes à  
Censura.

**Q**uotnam causæ ab incurfu Censura excusant? Septem, sci-  
licet nullitas, iniustitia, innocentia, impotentia,  
ignorantia, metus, & necessitas.

*Dissere de Nullitate.* Excusat Nullitas siue quia lex, cui  
Censura adiungitur, nulla sit. Siue quia iurisdictione deficit.  
Siue quia iuridicus ordo substantialis in ea seruatus  
non sit. Siue quia legitima deficit causa tam vera, quam  
præsumpta.

*Quonammodo excusat iniustitia?* Si Censura tantum in-  
iusta sit ex ordine iuridico accidentali non seruato,  
non excusat; si ex ordine substantiali, excusat; quia  
etiam inualida est. Si verò sit iniusta ex defectu legitimæ  
causæ, si quidem eius probatio desit, utique excusat.  
Item si causa verè subsit, sed legitimè probata non sit.  
Quod si dubia sit, & iudex in fauorem vnius partis  
Censuram ferat, valida est. Si præsumpta, & in iudicio  
probata, etiam si vera non sit, absolutè valida censenda  
est, & aliquos effectus inducet. Probabile tamen iudico,  
non esse intentionem Ecclesiæ innocentem spiritualibus  
bonis priuare, neque temporalibus, nisi quatenus  
ad externam Censuræ obedientiam necesse sit.

*Quid de innocentie excusatione dicendum?* Qui certus est,  
se lethaliter hac in causa non deliquisse à Censura pro-  
pter eam lata excusabitur; quia grauis Censura pro-  
ueniali culpa lata vires non exerit.

*De impotentia quidnam?* Impotentia quidem saltem in  
conscientia excusat. Porro si cum in excommunicatio-  
nem incidit, erat potens, per superuenientem impoten-  
tiam non liberatur. Si autem impotens ex malitia, & si  
probabile sit excusari, probabilius tamen, quod non  
excuset in Censuram incursum. Cæterum ad tempus  
excusatus, si deinde habeat, vnde soluat totum, aut par-  
tem

*Examen 1. De Censuris in communi.* 431  
tem debiti, tenetur; alias reincident in Censuram, modò nihil ex parte iudicis desit.

*Quid autem de ignorantie excusatione adiciet?* Si inuincibilis sit ignorantia siue facti, siue iuris, siue antecedens, siue comitans, siue legis cui Censura adiuncta est, siue ipsius Censuræ tantum adiunctæ non legis, quæcumque lex sit, Pontificia, vel Episcopalis, semper excusat. Si vincibilis, & in lege contineatur particula requirens scientiam, etiam excusabit, modò affectata non sit; se-  
cus si nulla adsit particula scientiam exigens: tunc enim neque si crassa, aut supina sit, excusationem adferet; quod quidem de ignorantia vincibili mortaliter intelligendum est, non de ea, quæ venialiter tantum vincibilis esset: hæc enim siue facti, siue iuris esset, excusaret.

*Quando Metus excusat?* Si talis sit, vt excuset à culpa, etiam à Censura excusabit.

*Quid denique de Necessitate?* Eodem modo necessitas si à peccato mortali in lege humana excuset, etiam excusationem adferet à Censura.

---

## CAPVT VII.

### *De Censura effectibus.*

**Q**uam sunt effectus Censuræ? Quidam sunt proximi & immediati, quidam accidentales.

7.  
Effectus  
Censuræ.

*De proximis, ac immediatis effectibus differe.* Generaliter est Censuræ effectus priuatio bonorum spiritualium, & temporalium quidem quatenus iis adnexa sunt. Sacramenta, communia suffragia, & cum fidelibus communicatio. Horum priuatio statim ac Censura incurritur, consequitur. *Iniusta est, sed valida Censura.* Etiam eos effectus secum adfert. *Est occulta.* Etiam si occulta sit, qui Censura est affectus, hisce bonis priuatur. Attamen non eodem

432 *Moral. Theolog. Tract. IV. Censura,*  
eodem modo se habet respectu aliorum, qui quidem cum eo agere possunt.

*Exprime effectus accidentales.* Generatim quinque effectus accidentaliter consequentes Censuram adscribât. Primus est culpa, & quidem mortalis, si is, qui Censura vulneratus sit, aliquid agat eorum, quæ principaliter prohibentur. Secundus, irregularitas, si diuina celebrentur, vel aliquis actus ordinis ex officio exerceatur. Tertius, irriti quidam actus, vt sententia à denunciato. Quartus, poenæ aliqua ipsò iure incurrenda. Quintus denique poenæ aliæ inferendæ à iudicibus.

*Sunt ne hi effectus perpetui?* Minimè, sed tandiu permanent, donec, recedente contumacia, per absolutionem à Censura, auferantur.

*Possunt ne hi effectus à Censurato impediri?* Effectus immediati non possunt; necessarij enim sunt Censuræ comites. Accidentales autem, qui in libera Censurati voluntate sunt positi, si à prohibitis abstineat, possunt impediri, modò vnum effectum eorum, peccatum scilicet excipias, quòd Censuram necessariò præcedit, licet ante absolutionem Censuræ valeat ablegari.

*Possunt ne per dispensationem hi omnes effectus suspendi?* Possunt à Summo quidem Pontifice, non autem à Prælati inferioribus.

---

## C A P V T V I I I.

### *De Absolutione à Censura.*

8. *Absolutio à Censura.* **E**st ne absolutio necessaria ad Censuræ ablationem? Ita planè; nec enim satis est mors authoris, nec poenitentia rei, nec satisfactio.

*Quisnam à Censura iuris nemini reseruata absoluit?* Episcopus, Parochus, & quicumque à mortalibus absoluit.

*Et à reseruata quisnam?* Is solus potest absoluerè,

vere, qui vel author Censuræ est, vel ab eo delegatus.

*Petit quis absolutionem à Censura vel in Sacramento Confessionis; vel extra Sacramentum, ab eo qui potest absolvere: & per obliuionem Censuram reseruatam omisit: rogo num ab ea remaneat absolutus?* Si id accidat in Sacramentali Confessione, regulariter à Censura manet absolutus; si extra illam, etiam liber euadit, modo non solum absolutionem earum Censurarum quas pœnitens agnoscit, sed etiam omnium aliarum, quæ adstringi contigisset.

*Poterit ne in foro externo à Censura absolvere, qui priuilegium absolutè habet absoluendi à Censuris?* In foro quidem externo absolvere poterit, si facultas expresse, aut ex circumstantiis ad forum interius non limitatur; secus si in ordine ad Sacramentalem Confessionem, aut audita diligenter Confessione peccatorum concedi tantum intelligatur. Id quod ad facultatem in Iubilæis concedi solitam potest accommodari; quia regulariter Confessionem exigit, & ad conscientie forum arctatur.

*Quinam à Censura ab Homine absoluit?* Is solus, qui eam tulit, successor in munere, Superior eius, & ab iis delegatus. Quod quidem in Censura speciali indubitatum est: at in generali, etsi probabile sit eum posse absolvere, qui à Censura iuris non reseruata absolvere valet: probabilius tamen arbitror eum tantum posse absolvere, qui ab eadem specialiter lata absolvere valet.

*Varias absoluendi à Censura formas recense.* Quatuor adnotabo. 1. Alia absoluendi forma à iure, alia ab Homine ferri potest. 2. Alia conditionata; & quidem si conditio sit de præsentis, vel de præterito valet: si de futuro, etiam valet, & si non liceat. 3. Absolutio simplex alia, quæ absolutè fertur, quando constat Censuram incursum esse; & ad cautelam, cum vel ignoratur, vel est dubia, ad maiorem certitudinem petitur. 4. Alia est absolutio simpliciter, cum tollitur in perpetuum; & ad reincidentiam, cum ita tollitur, vt post certum

434 *Moralis Theologia Tract. IV. Censura,*  
certum tempus sit reditura; siue ita ad intentionem  
concedentis accidat, siue pendeat à conditione satisfac-  
ciendi, vel se præsentandi in pœnitente.

*Quanam in absolute requiruntur conditiones? 1. Absol-  
uens à Censura Clericus debet esse. In articulo mortis  
probabile est, Clericum, qui potestatem habet excom-  
municandi, & absoluendi, posse etiam à Censura mori-  
bundum extra Sacramentum absoluere. 2. Requiritur  
sufficiens scientia Censuræ. 3. Libera voluntas neces-  
saria est, alioquin si per vim, aut metum absolutio ex-  
torqueretur, nulla esset.*

*Quanam autem in eo, qui absoluendus est, conditiones sunt  
necessariæ? Debet esse subditus absoluentis. Item alius  
ab eo, qui absoluit; nemo enim seipsum potest absol-  
uere. Porro præsentia & voluntas non est necessaria ad  
absolutionis valorem; tamen ad vsum licitum necessa-  
ria est.*

*Quis pluribus est Censuris illigatus, potest ne ab vna, non ab  
aliis absolui? Potest quidem; quia nulla inter eas conne-  
xio necessaria est.*

*Quanam absoluendi est forma seruanda? Iure quidem cer-  
ta forma præscripta non est seruanda necessario. Pro-  
fecto absolutio verbo debet impendi aut sensibili ali-  
quo signo, quod sufficienter absoluentis exprimat in-  
tentionem. Certè inferiores Prælati per consuetam ver-  
borum formam absoluere à Censuris debent; Summus  
autem Pontifex aliquo tantùm factò, vel sola com-  
municatione cum Censurato absoluere à Censura  
posset.*

*Quinam ritus seruandus? Ante absolutionem ex-  
tra Sacramentum rei petitio intercedat; & in fo-  
ro externo se Ecclesiæ mandatis pariturum iuret,  
Præmittenda etiam satisfactio, si ob manifestam of-  
fensam Censura contorta; si autem ob dubiam, suf-  
ficiens cautio satis erit. In ipsa præterea absolutio-  
ne recepta consuetudo seruanda. Post absolutionem  
deniq; publicanda est absolutio, si denunciata Censura  
fuit:*

*Examen I. De Censuris in communi.* 435  
fuit : secus si tantum occulta ; tunc enim occulta suffi-  
ciet absoluti o.

---

C A P V T I X.

*Praxis circa prefata ex Societatis  
I E S V schola.*

**P**otesť ne ferri Censura ob peccatum præteritum emendatum? 9.  
Non ; quia est medicinalis pœna. Sic *Laymanus*. Imò *De cen-*  
cum eodem affirmit per absolutionem tolli debere *suris va-*  
Censuram , cum primum reus à contumacia recesserit ; *rius va-*  
quia magis contumaciæ , quàm crimine hærescit Cen- *rius casus.*  
sura , siquidem post delictum adhuc accedunt admoni-  
tiones , ut delinquens à contumacia abstrahatur.

*Cur Depositio, Degradatio, & irregularitas non sint propriæ  
Censuræ ?* Quia sine spe restitutionis ordinariæ homini  
inferuntur , sæpe ob peccatum merè præteritum ; qua-  
re nec per absolutionem tolluntur , sed per dispensa-  
tionem , seu relaxationem legis , aut sententiæ. Sic  
*Laymanus*.

*Excusat ne à Censuris, & pœnis ignorantia mortaliter culpa-  
bilis siue iuris, siue facti ?* Ex *Suario* excusare assero , modò  
non sit crassa , quæ ex malitia , vel nimia negligentia pro-  
cedit. Excipiendam hinc admoneo homicidij irregulari-  
tatem.

*Potesť quis à Censuris, & irregularitate extra Sacramentum  
penitentia absolui ?* Affirmat *Sanchez* posse Cruciatæ vir-  
tute. Addit *Cominch* per priuilegia Regularium. Colli-  
go hinc non repugnare , talem absolutionem , vel di-  
spensationem posse absentem conferri , ut *Sanchez* admo-  
nuit.

*Furiosus, qui ante furorem contumaciter deliquit, potest ne  
iuris incurrere Censuram ?* Posse assero cum *Laymanus* ;  
sed ab homine excommunicari non debere sen-  
tio.

E c t i o,

436 *Moralis Theologiae Tract. IV. Censurae,*  
tio, quin potius absolui, si amentia perpetua iudicetur.

*Subditus, commissio delicto, fugit: potest ne percuti Censura?*  
Etiam absens (ait Layman) per nuncium, vel literas citari potest: ilque comparere debet; quod si contumax sit, potest excommunicari.

*Potest ne incurrere Censura ob peccatum, quod iuri naturali aue diuino tantum repugnat?* Non posse asserit Laymanus; sed requiri præceptum Ecclesiae, quod reus contumaciter spernat, saltem interpretatiuo contemptu.

*Distincti, Censuram interdum iniuste ferri, sed valide, ut si forma accidentaliter procedendi prætermittatur. v. g. trina monitio: est ne aliquis casus, in quo Censura irrita sit, nisi trina admonitio præcesserit?* Vnicum quidem ex Laymani doctrina casum animaduerti, videlicet si Episcopus iis inferat qui cum excommunicatis participant ea participatio-  
ne, quæ communi iure minorem tantum excommunicationem inducit.


*Quinam gaudent facultate absoluendi à Censuris, & irregularitate occulta?* Episcopis directè concessa est, (ait Suarez) ea tamen fruuntur Prælati inferiores habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. Et proinde (loquor cum Molina) Superiores Regularium respectu suorum subditorum. Et Capitulum (addo ex Sanchez) Sede vacante.

*Potestas ne absoluendi à Censuris per Cruciatam, aut privilegia Regularium, est ne vniuersalis?* Affirmat Henriquez quoad omnes suspensiones siue à iure siue ab Homine sine vlla exceptione; quoad alias Censuras proprio in loco disputabimus.

*Episcopo quis subditus ratione domicili, vel commissi delicti, ab illo particulatim excommunicatus fuit, & postea aliò profectus, vel Religionem ingressus est: potest ne iam ab alio Prælato, aut Episcopo consequi absolutionem?* Cum Laymano non posse respondeo; quia præuentus à iudice fuit, & forum ipsius in ipsa causa declinare non valet.

*Quidnam est, in foro conscientie absolui reum?* Non dicitur

*Examen II. De Excommunicatione.* 437  
tur absolutio in foro conscientiae, quod fieri debeat in  
secreta Confessione: sed quod fiat sine iudicij strepitu,  
& sine iuris alterius derogatione, ac denique dumtaxat  
ut anima eius Deo absoluta sit. Sic *Laymanus*. Ad iocem au-  
tem privilegiatum absque Ordinarij consensu absolui  
facile non debere à Censuris notoriis, si ex ad forum  
iudiciale deductæ, aut probabiliter deducendæ sint;  
quia absolutus in conscientiae foro non ita efficaci-  
ter postea, ad præstandam satisfactionem potest vrgeri.



*E X A M E N II.*

Circa materiam de Excommunicationis  
Censura.

---

*C A P V T P R I M V M.*

*De essentia, & diuisione Excommunicationis  
Maioris.*

**E**xcommunicatio quid est? Ecclesiastica Censura,  
qua homo baptizatus priuatur spiritualibus  
bonis, & communicatione civili.

Quotuplex est Excommunicatio? Diuiditur primò in  
Maiorem, & Minorem. Maior non incurritur nisi ob  
mortale peccatum, Minor verò aliquando ob veniale.  
Quando fertur Excommunicatio absque Maioris vel  
Minoris restrictione, sermo est de Maiori, quæ absolutè  
& simpliciter est Excommunicatio. Secundò, diuido in  
Comminatoriam seu ferendæ sententiæ, & in ipso fa-  
cto, seu latæ sententiæ. Tertiò diuidenda in Excommu-  
nicationem latam à iure, & latam ab Homine. Hæc au-  
tem alia est per generalem sententiam, alia per senten-  
tiam particularem.

*IO.*  
*Excom-*  
*municatio*  
*Maior.*



438 *Moral. Theologia Tract. IV. Censura.*

*Quenam Excommunicationis efficiens causa?* Ecclesiasticus homo cum potestate iurisdictionis exterioris fori Ordinaria quidem, vel Delegata. v.g. Parochus excommunicandi potestate caret, quia externa iurisdictione priuatus est.

*Quenam forma in Excommunicatione seruanda est?* Tria obseruanda quae dixi in Censura in communi Materia. Praecedat admonitio, denunciatio subsequatur, & ritus ipse qui verborum formam comitatur. Porro in Excommunicationibus iuris essentialis illa forma est eadem, quae in constituendo iure requiritur; vt nimirum sufficienter poenam imponi per eam ipso facto incurrendam declaretur. At in Excommunicationibus ab Homine verba aut signa externa sunt, quibus actualiter Excommunicationem imponi sufficienter exprimitur. Accidentaliter vero solemnitas est, qua ex Ecclesiae instituto Excommunicatio fertur.

*Vidimus subiectum censurae esse hominem subditum baptizatum: rogo num Vniuersitas possit esse Excommunicationis subiectum?* Ab inferioribus Papa minime ferri potest Excommunicatio in Communitatem; imò etiam respectu nocentium irrita esset. Si ferret Pontifex ipse, probabile reputo validam. Tunc tamen innocentes, si qui essent, non incurrere affirmo saltem in interno foro; nam in externo tanquam Censura affecti sese gerere deberent.

*Quenam Excommunicationis occasio?* De iure ordinario non debet infligi nisi ob lethalem culpam adiuncta contra Ecclesiam inobedientia. Imò de absoluta potestate aliter infligi non posse affirmo. Vnde si pro leui culpa ferretur, si quidem in sententia causa ipsa exprimitur, nulla esset; si autem causa retineatur, etiam eodem modo non valeret in conscientiae foro; in externo autem seruanda esset, donec de causa insufficienti confiterit.

CAPVT II.

De effectibus spiritualibus Excommunicationis  
Maioris.

**Q**uam sunt Excommunicationis Maioris effectus? Plures planè & spirituales, & temporarij. Spirituales quidem sunt, Priuatio communium suffragiorum, Priuatio item actiua, & passiuua Sacramentorum, Priuatio diuinorum Officiorum, & Sacrarum rerum.

**II.**  
Effectus  
spirituales  
Ex-  
commu-  
nicationis  
Maioris.

Quid est Excommunicatum communibus priuari suffragijs? Ecclesia suis ministris præcipit, ne publicè pro excommunicatis orent, aut communia eis applicent suffragia, excepta feria sexta Parasceues. An hisce bonis occultus etiam excommunicatus priuatus sit? Ita planè. Et qui iniuste ex defectu legitime cause, vel iurisdictionis substantialis excommunicatus est? Non videtur his suffragijs priuatus: secus si tantùm accidentarius iuridicus ordo defuerit. *Conuictus ne gaudet suffragiorum beneficio?* Probabilius reputo non gaudere, donec ab excommunicatione absoluetur; quia per absolutionem communioni fidelium addicitur. *Sacerdos sacrificium Missæ pro excommunicato offert: proderit ne illi suffragium?* Male equidem agit, sed suffragium proderit; quia id in persona præstitit Christi: fructus enim ex opere operato virtute Missæ Sacrificij confertur. Si autem in persona Ecclesiæ agat, nihil proderit, quoad impetrationem. Si quatenus priuata persona est, & licet agere, & proderit ex opere operantis, dummodo id secretò fiat.

Quidnam de passiuua Sacramentorum participatione dicendum? Hæc quidem non solum excommunicato denunciato, verùm etiam occulto prohibita est, nisi inuincibilis ignorantia, vel vrgens necessitas excuset. *Valent ne recepta Sacramenta?* Valent, etiam Pœnitentiæ, si in eius receptione nullum interuenit peccatum; quia excommu-

440 *Moralis Theologiae Tract. IV. Censura.*  
nicatio non reddit hominem Sacramentorum incapacem, sed prohibitum. Peccant ne ministri, qui excommunicato Sacramenta conferunt? Si conferant excommunicato vitando, mortaliter delinquent; si autem rogati non vitando, non peccant. At sese sine necessitate ingerentes, lethaliter delinquere affirmo.

*Prohibita ne etiam actiua participatio Sacramentorum?* Prohibita planè, si fauor, aut partes ipsius excommunicati attendantur; at si ius & fauor non excommunicatorum spectetur, vt hi petere Sacramenta ab excommunicato non vitando possunt, ita & ille vicissim rogatus potest ministrare. *Quid si vitandus sit?* Nec rogatus potest ministrare, nisi extrema sit recepturi necessitas, v.g. in mortis articulo Pœnitentiæ, & Eucharistiæ solummodò Sacramenta; nec enim alia à vitando conferenda, cum moraliter non sint necessaria. *Quid si extra necessitatem excommunicatus vitandus illicitè ministret?* Non ideo inualidè confert Sacramenta; Pœnitentiam si demas, quæ quidem ad sui valorem iurisdictionem exigit à vitando ablatam. Cæterum quotiescunque vel à vitando, vel à non vitando Sacramenta ministrantur illicitè, vltra mortalis culpæ reatum, etiam pœna irregularitatis incurritur, nisi probabilis ignorantia, vel ingens necessitas excusare videatur.

*Quidnam est, excommunicatum diuinis Officiis, & Sacris rebus priuari?* Priuatur quidem Missa, Officio Canonico, publica processione, omni oratione publica, vel solemnibus benedictione, quæ aut Ecclesiæ, aut Christi institutione solemniter fit, & alicui ordini coniuncta est. Et quidem ex vi excommunicationis directè prohibetur excommunicato, ne Missæ assistat officio, ne celebret, ne cooperetur ad illud eleemosynam Sacerdoti dando propter id: ne coram excommunicato vitando celebretur, nec cum eodem audiatur. Diuinum autem Officium, si solemniter, & publicè recitetur, excommunicato prohibitum est, non autem priuatim; imo ad id tenetur priuatim, si antea vel ex Beneficio, vel ex ordine obligatus

obligatus erat. Alia officia ita prohibentur, vt neque illa celebrare, neque iis inesse debeat, siue aliquem actum proprium ordinis exerceat, siue tantum assistat, aut cooperetur. Clerici ne aliquo in Ordine ministrantes incurrunt irregularitatem? Incurrunt planè. Si verò tantum in diuinis Officiis laicorum more communicent, minorem solummodo excommunicationem contrahunt.

Potest ne excommunicatus Ecclesiastica sepultura amandari? Si ex vitandis non sit, ita equidem, nec funebri honore priuatur, qui proprius est fidelium. Porro qui vitandum sepeliunt in cœmeteriis, sacrisque aliis locis, pœnam etiam excommunicationis incurrunt.

C A P V T III.

De temporariis emolumentis, quæ Excommunicatio Maior priuat.

**A**lios Excommunicationis Maioris recale effectus. Inhabilem reddit quem ad Ecclesiastica Beneficia, priuat iurisdictione, & communicatione forensi, ac ciuili.

Quonammodo excommunicatus inhabilis ad Beneficia redatur? Ecclesiastica Beneficia, quæ durante excommunicatione conferuntur, non obtinentur ab excommunicato, etiam occulto. At quæ antè excommunicationem recepta essent, retinere potest. Quid si non recepta fuissent, antè excommunicationem, sed solum collata? Sola acceptatio eorum valida esset, etiam si iam excommunicatus maneret, modò fuerint ante excommunicationem collata. Idem affirmo in Pensionibus, siue requirentibus Clericatum, siue non; quia sunt semper Ecclesiastici Beneficij fructus. Quænam conferentes, & recipientes pœna corripit? Tam hi, quam illi peccant mortaliter, & pœnam suspensionis à iudice inferendam incurrunt. Priuatur ne

i 2.  
Effectus  
temporarij excommunicationis  
Maioris:

442 *Moralis Theologiae Tract. IV. Censurae,*  
etiam excommunicatus Beneficiorum fructibus? Siue ex vitandis sit, siue non vitandus, priuatur fructibus Beneficiorum. Nec non distributionibus quotidianis, quæ iuxta Ecclesiæ institutionem, & consuetudinem aliq̄ erunt applicandæ. Administratione Ecclesiastica temporalium rerum etiam priuatur, quoad excommunicationem. Valebunt tamen ab eo facta, si sunt simplicis facti. *Tenetur ne Superior aut index ex Beneficij fructibus excommunicatum alere?* Dum ille in contumacia persistit, non tenentur, etiam si citra necessitatem extremam indigeret. *Petit ille, & querit absolutionem?* Tum potest iudex, si absolutionem differendam iudicet, applicare sustentationi excommunicati Beneficij fructus; imo ipse excommunicatus, si indigeat, sibi potest succurrere. Minister tamen, quem Ecclesiæ seruitium requirit, ex Beneficij fructibus est prouidendus. *Recuperat ne post absolutionem Beneficij fructus non perceptos?* Non recuperat, si iusta fuit excommunicatio; si verò iniusta, iuxta qualitatem iniustitiæ eos magis, minusque poterit recuperare.

*Quonam modo excommunicatus iurisdictione Ecclesiastica priuatur?* Etiam occultus vsu licito eius prohibetur quoad se, & in fauorem suum. At in fauorem aliorum, si ab iis rogatus sit, & non sit ex vitandis non est priuatus: ita vt & licitè sua vtatur iurisdictione & ratione publici officij ipsius acta valeant. Eadèmq̄ ratione, siue iurisdictione pro potestate ad præcipiendum, & iudicandum sumatur, siue pro facultate Beneficij conferendi, non vitandus vsu tantùm priuatus est, si actus eius exercent in fauorem suum: vitandus autem, etiam iure est priuatus, ita vt acta non valeant. *Num eadem resolutio in electione ad Beneficia accommodanda est?* Ita planè; irrita enim electio est si fiat à vitando; ab aliis irrita non est, licet irritari potest. In præsentatione illud est proprium, vt si patronus Clericus sit, etiam sit inualida: si laicus, repelli quidem potest; at si consensus accedat Episcopi, conualidatur. *Quid de possessionis collatione?* Si cum

cum aliquo actu iuridico fiat, prohibita, & inualida est, facta quidem ab excommunicato vitando; at si mera receptio sit alicuius in possessionem Beneficij, valet. *Erit ne valida Resignatio?* Si simpliciter fiat, valida erit; si in fauorem tertij, non valet. *Privatus ne iurisdictione seculari excommunicatus?* Quoad vsum plane privatus est, imo iurisdictione ipsa, & valore eius privatur.

*Quo modo autem excommunicatus privatus est forensi communicatione?* Omnis actio ad iudiciale forum pertinens excommunicato est interdicta, eodemque modo aliis respectu excommunicati. *Agit ne licite in particulari?* In particulari etiam iudicio seculari illicite agit: & si vitandus sit, sententia eius irrita est. *Quid si in iudicem eligatur?* Probabilius reputo sententiam non esse irritam, sed irritandam. *Potest ne actor esse?* Minimè extra causam suæ excommunicationis siue in Ecclesiastico, siue in temporali iudicio; nec reactor, aut reconuentor sui actoris, nisi in propriam defensionem. Profectò si non sit vitandus, non tenetur ex officio iudex illum repellere, etsi possit; at si vitandus sit, tenetur. *Potest ne esse reus?* Non nisi inuoluntarius, ac necessarius. At defensio nemini denegatur. *Quid de Tabellione?* Grauius peccat si sese ingerat non rogatus. Et si vitandus sit, etiam acta rescinduntur saltem in externo foro. *Potest ne esse testis?* Minimè, etiam si nullitatem excommunicationis prætendat, nisi prius ad cautelam absoluat. Attamen valet eius testimonium, etiam si ex vitandis sit, donec contra eum exceptio fiat. *Aduocatus potest ne munus exercere?* Licite patrocinari non potest, valent tamen acta ab eo, etiam si vitandus sit, si à iudice fuerit admissus: omninò tamen repellendus esset. *Quid de Procuratore?* Admitti in iudicio non debet; si autem admittatur, etiam repelli semper potest, & excipi contra ipsum. At si vitandus sit, omnino repellendum assero.

*De Tutore denique quidnam?* Excommunicatus Tutoris munus non debet accipere; acta nihilominus valent,

*Quonam modo excommunicatus priuatus est communicatione civili? Hæc quidem semper excommunicato est interdicta, aliis non, nisi quando ex vitandis esset. At si secus ab ipso, vel ab aliis fiat, culpa tantum venialis committitur. Quid si creditor, aut debitor sit excommunicatus? Si debitor, licitum est creditori cum illo communicare, ad suum creditum recuperandum, etiam si ille vitandus esset. Si autem est creditor, suo iure per excommunicationem non priuatur; at actione petendi in iudicio debitum, priuatus videtur; etsi priuatim petere, & recipere debitum possit. Licet ne cum excommunicato contractus celebrare? Cum vitando non licet: validi tamen sunt, exceptis quibusdam casibus à Filiius hic expressis. Possunt ne fieri ab excommunicato Testamenta? Licetè conuicti non possunt. At si fiant, valida sunt. Idemque dicendum de personis, quæ Testamentis interfunt, ob prohibitam sanè communicationem. Porro hæredi instituendo, licitum est excommunicatum ad condendum Testamentum inducere, etiam vitandum, ob communes excusandi causas, temporalem scilicet vtilitatem. Hæres etiam excommunicatus institui potest si non sit ex vitandis. Tamen hæreditatem adire non valet, nisi prius excommunicatione expediatur. Cæterum de quotidiano conuictu infra.*

---

#### C A P V T I V.

*De aliis accidentalibus excommunicationis Maioris effectibus, deque communicatione cum excommunicato.*

13.  
Effectus  
alij acci-  
dentales.

*S*unt ne alij excommunicationis Maioris effectus? Sunt quidem alij effectus, quos accidentales appellarim, qui scilicet non nisi ex malitia excommunicati agere volentis

is ea, quæ per Censuram prohibita sunt, assolent incurri. Primus quidem effectus est mortalis culpæ reatus, si agat prohibita directè per censuram, ut est communicatio in diuinis rebus. Irregularitatem autem excommunicatus incurrit, cum actionem aliquam ordini sacro deputatam exercet. Secundus est præsumptio suspicionis de hæresi. Tertius, priuatio Ecclesiastici Beneficij, vel ipso factò, vel per sententiam. Quartus nullitas absolutionis generalis in rescriptis, si per annum infordefcat.

*Quid est cum excommunicato communicare? Ut quis dicatur cum excommunicato participare, primò supponi debet, iam illum in excommunicationem incidisse. Secundò debet esse prohibita participatio cum vitandò. Tertio, nulla adesse necessitas, quæ posset excusare. Et quidem omnes fideles Ecclesiastico præcepto prohibentur, ne cum excommunicato participant, cooperando ad eius contumaciam in crimine. Qui autem præterea cum excommunicato participarent in crimine, excommunicationem Maiorem incurrerent. Debet autem communicatio in crimine eo esse, ob quod excommunicatus est. Qui denique cum excommunicato in diuinis communicaret, vltra mortalem culpam, etiam Minorem excommunicationem incurreret; nam is, qui tantùm in humanis communicaret, etsi in eandem Minorem excommunicationem incidere, venialiter dumtaxat delinqueret.*

---

C A P V T V.

*De Absolutione ab excommunicatione  
Maiori.*

14.

*Absolutio  
ab exco-  
municati-*

**Q**uoniam modo excommunicatio Maior tollitur? Profectò contumacia sublata semper auferri posset excommunicationis;

*one Ma-  
iori.*



446 *Moralis Theologiae Tract. IV. Censura,*  
municatio; tamen ordinario iure per solam ab-  
solutionem tollitur.

*Quinam absoluit ab excommunicatione iuris non reseruata?*  
Episcopus proprius, Parochus, & quivis proprius Sa-  
cerdos. *Est ab Homine specialis excommunicatio.* Is tantum  
absoluit, qui eam tulit, Superior, & ab ijs delegatus. Dixi  
specialem; nam generalis ex probabili opinione cum  
excommunicatione iuris non reseruata concurrat;  
quamvis in rigore leges sequatur excommunicationis  
ab Homine specialis.

*Si reseruata sit excommunicatio, à quonam est accipienda ab-  
solutio?* Siue sit iuris, siue Hominis, is solus absoluit, qui  
tulit, successor, Superior, & ab ijs delegati.

*In mortis articulo absolutus ab eo, qui aliàs non posset: ad  
quidnam teneor ab ægritudine liber?* Et si quoad effectum  
recipiendi ab solutionem directam obligatus non ma-  
nes; obligaris tamen ad te præsentandum Superiori le-  
gitimo.

*Alibi Censuras contraxi, sed alia in diœcesi nunc sortior do-  
micilium: à quonam absolueudus?* Episcopus diœcesis hu-  
ius est proprius tuus Sacerdos respectu Censurarum,  
quas alibi contraxisti.

*In aliena vago diœcesi, à quonam sum ab excommunicatione  
absolueudus?* Si ad breue tempus vagas, non potes à loci  
Episcopo absolui: secus si mora esset diuturna. Fa-  
teor, eos qui vagi propriè dicuntur, etsi ad breue tem-  
pus, ab Episcopo loci, in quo morantur, absolui posse;  
quia hi nulli speciali Episcopo addicuntur.

*Habet ne forma absolutionis ab excommunicatione aliquid  
peculiare?* Forma substantialis nil habet peculiare ultra  
ea, quæ de absolutione à Censura in communi respon-  
di. Accidentalibus autem à iure præscribitur, vt præfinito à  
pœnitente solito obedientiæ iuramento, & iuratoria  
saltem cautione, nudatis humeris flagello cædatur cum  
Pœnitenti Psalmo & solitis orationibus, inde absol-  
uatur, & absolutus denunciatur. Hæc quidem fieri de-  
bent in solempni ac publica absolutione; nam in priuata  
fori

fori conscientiae iuramentum satis est, & iuratoria cautio, & recitatio Psalmi secreta forma solita absolutio- nis adiuncta. *Quid si in publica, aut secreta huiusmodi acci- dentalis forma non obseruetur?* Non ideo irrita erit ab- solutio.

---

C A P V T VI.

*De Excommunicatione Minori.*

**Q**uid est Excommunicatio Minor? Priuatio quaedam par- ticipationis passiuæ Sacramentorum, & Ecclesia- stici Beneficij. Differt planè ab excommunicatione Ma- iori, aliisque Censuris, vt patet, cum tamèn ipsa vera Censura sit, vt pote vera pœna Ecclesiastica fori con- tentiosi requirens iurisdictionem externam, & instituta sit ad correctionem.

I 5.  
Excom-  
municatio  
Minor.

*Quenam eius causa efficiens?* Eadem, quæ Maioris. Et po- test & à iure, & ab Homine ferri, tum per generalem, tum per specialem sententiam.

*Causa dispositiua quenam est?* Peccatum externum siue mortale, siue veniale; aliqua etiam contumacia illi ad- iungenda.

*Quando incurritur?* Vnico in casu, videlicet indebitæ participationis cum excommunicato Maioris excom- municationis.

*Effectus excommunicationis Minoris exhibe.* Duo sunt. Pri- mus quidem priuatio receptionis Sacramentorum; ita vt licet ea recipi ab excommunicato Minoris excom- municationis non possint; valida tamen erunt, si su- mantur, omnia, Pœnitentiam si excipias. Alias commu- nicationes siue in Diuinis, siue in humanis non prohibet; vnde sic excommunicatus licet Sacramenta ad- ministrat. *Si celebrat?* Grauius quidem peccat; quia Sa- cramentum in communione recipit; sed nullius notam irregularitatis incurrit. Secundus effectus est priuatio passiuæ

448 *Moralis Theologia, Tract. IV. Censura,*  
passiue electionis ad Beneficium: non ita ut electio  
ipso iure sit irrita, sed ut debeat irritari, etsi Beneficium  
ad quod eligitur, simplex esset. *Quia de alius electione?*  
Non modò valida, imò & licita est. *Electores ne committunt*  
*culpam ob communicationem cum electo excommunicato?* Non  
committunt, nisi denunciatus esset. At quia personam  
inhabilem eligunt, ex suo genere grauius delinquent,  
etsi leuis ex materia culpa esse posset.

*Quonam modo ab excommunicatione Minori fertur absolu-*  
*tio?* Si lata illa sit per sententiam particularem, vel no-  
minatim, etiam si reseruata non esset, solus auctor Su-  
perior, vel ab his delegatus absoluet. Si autem per gene-  
ralem, etsi neque hoc, neque illo modo ferri soleat: pro-  
babile est eum posse, qui potest ab eadem, si sit à iure,  
absoluere, modò reseruata non sit. Igitur ab excommu-  
nicatione Minori à iure lata quicumque Sacerdos, qui  
absoluere potest à culpa mortali, absoluere valet; non  
tamen qui potest à veniali culpa, poterit etiam ab eo ob  
venialem culpam incursum; quia Censuræ absolutio pro-  
prium exigit Sacerdotem, vel alium ipsius vice. Vnde  
simplex Sacerdos, qui alienus quidem est non posset,  
nec alienus Parochus. Quicumque autem Religiosi ad  
pœnitentiæ Sacramentum administrandum admissi,  
etiam possunt absoluere ab ea in Sacramento pœniten-  
tiæ. Extra verò quicumque Clericus posset habens ordi-  
nariam iurisdictionem, vel ab eo delegatam. *Num ligatus*  
*etiam Minori excommunicatione possit alium eadem illigatum*  
*absoluere?* Quò ad valorem potest, non tamen quò ad li-  
cicum usum: nam venialiter peccaret, si Sacramentalis  
esset absolutio; secus si extra Sacramentum Censura  
remitteretur.

CAPVT VII.

De excommunicato vitando, ob cuius communicationem Minor excommunicatio incurritur:  
quibus in casibus vitandus sit, &  
quibus cum eo participans  
excusari possit?

**Q**uoniam obligatio est vitandi excommunicatum, ob cuius communicationem excommunicatio Minor incurritur: Peccatum aut mortale, aut veniale inducit iuxta materiam, & directam prohibitionis grauitatem, vel leuitatem. Si enim cum excommunicato communices in diuinis, mortalem culpam admittis; venialem, si in humanis exceptis quibusdam casibus, in quibus ad culpam lethalis grauitatem potest accedi: & aliis, in quibus, nec venialis culpa commissa, potest quis cum excommunicato communicare.

*Quinam est excommunicatus vitandus nouo ac antiquo iure?*  
**A**ntiquo quidem quilibet excommunicatus erat vitandus: si occultus, occultè: si publicè cognoscentibus. At nouo Extrauagantis ad euitandum iure duo tantum vitandi sunt, denunciatus, & notorius Clerici percussor, in quo quidem Constantiensis non Basiliensis Concilij constitutioni standum. Vnde non quilibet notorius excommunicatus, sed is tantum, qui percussor est Clerici vitandus erit. *Quis autem dicitur notorius Clerici percussor?* Qui per euidenciam facti ita percussit, vt nulla tergiverbatione celari possit. Requiritur, me authore, vt delictum coram multis testibus factum sit, & deinde ex eorum testimonio publicum actum. *Quidnam autem ad denunciationem requiritur?* Non satis est sententiam excommunicationis à iudice latam esse, sed affixio eius per loca publica ciuitatis adiungenda.

*Quandonam occultus excommunicatus participando peccat?*  
Semper

16.  
Excom-  
municatus vitandus.

Semper quò ad se, hoc est, si sua tantùm voluntate, & causa, non rogatus participet. At si rogetur ab aliis, in eorum fauorem non peccat; vnde multò magis in eorum saltem fauorem in vtroque foro retinet iurisdictionem. Itaque publicus excommunicatus vitandus non est, nisi denunciatus sit, nec in publico, nec in secreto: notorius autem Clerici percussor vitandus planè etiam ante denunciationem. Nec solùm excommunicatus denunciatus, verùm etiam suspensus, & interdictus, si denunciatur, eodem modo sunt vitandi.

*Enim verò quibusnam in casibus excommunicatus est ab aliis vitandus? In quibus ipse tenetur alios vitare, specialiter tamen in quinque vulgari carmine comprehensis:*

*Os, orare, vale, communicatio, mensa negatur.*

Et quidem nomine *Os* osculum pacis, oris locutio, scripta, munerum missio, & receptio prohibentur. Voce *Orare* omnis participatio in suffragiis, oratione, Sacramentis & Officiis diuinis interdicitur. Per *Vale* omnis honorifica salutatio verbo vel rescripto, vel alio externo signo prohibetur. Per verbum *Communicatio* quælibet humana communicatio per cooperationem in eodem exercitio, vel negotio intelligitur, vt esset cohabitatio, celebratio contractus, deambulatio, & Societas in itinere per modum communicationis. Per *Mensa* denique participatio omnis in cibo, & potu comprehenditur. Vnde nec simul in eadem mensa, eodemque conuiuio comedere, nec in eodem diuersorio esse, aut hospitari ratione eiusdem lecti poterit quis cum excommunicato.

*Num aliqua communicatio ex dictis lethali crimine perficitur? Cunctæ hæ communicationes excepta illa vocis Orare non excedunt peccatum veniale per se loquendo, tam respectu aliorum cum excommunicato, quam respectu ipsius excommunicati cum aliis agentis.*

*Sunt ne aliqui casus, in quibus etiam ad peccatum mortale possint*

possint peringere? Ita planè. v. g. si fiat in Clauium contemptum. Si frequenter cum animo perseuerandi, quod sapit contemptum. Si specialiter declaratum sit talem communicationem esse vitandam, vt cum contra participantes excommunicatio fertur.

Quæsnam in casibus participans cum excommunicato excusetur? Aliis quinque in casibus Carmine etiam vulgari expressis.

*Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.*

*Singulas expende particulas. Vtile*, idest vtilitas vera, non ficta tam spiritualis, quàm temporaria, tam propria eius qui agit, cum excommunicato, quàm ipsius excommunicati, cum quo agendum esset. *Lex* matrimonium significat; nam & viro excommunicato, licet vxori cum eo habitare, petendo, & reddendo debitum: imò ad id tenetur, si matrimonium iam contractum est: & vicissim excommunicata vxore, licet viro cum ea eodem modo cohabitare. Per *Humile* intelliguntur omnes alteri subiecti, siue tanquam filij, etiam emancipati, & illegitimi; siue tanquam serui, & ancillæ; siue tanquam famuli vr bani, vel rustici; siue tanquam subiecti spiritualiter suo Prælo. Verùm per *Res ignorata* intellige probabilem ignorantiam vel facti, vel iuris. Dubitans autem de alterius excommunicatione, vel denunciatione, non debet illum vitare: secus qui de sua excommunicatione dubitat; tenetur enim abstinere. Denique per *Necesse* necessitatem intellige, tam ex parte ipsius excommunicati, quàm ex parte aliorum cum eo communicantium: tam si de spirituali agatur necessitate, quàm si de temporali, vnde subsidium vel spirituale vel temporale sit necessarium.

## CAPVT VIII.

*De Excommunicationibus in particulari tam  
reſeruatis, quàm non  
reſeruatis.*

17. *Excom-  
munications in  
particu-  
lari.* **V**ellem te Excommunicationes in particulari reuocare ad  
memoriam. Omnes equidem tribus classibus addi-  
cuntur. Prima comprehendit septuaginta tres nemini  
reſeruatas. Secunda sexaginta duas Papæ reſeruatas ex-  
tra Cœnæ Bullam. Tertia verò viginti in Bulla Cœnæ  
reſeruatas videtur continere. Porrò excommunicationes  
reſeruatae extra Bullam Cœnæ & contra omnes &  
contra Clericos, & contra Episcopos, & contra Reli-  
giosos, & contra Dominos temporales, & contra Magi-  
stratus & iudices præſcribuntur; excommunicationes  
reſeruatae in Bulla Cœnæ contra varios Eccleſiæ ho-  
ſtes; excommunicationes autem non reſeruatae & con-  
tra omnes, & contra Clericos, & contra perſonas pu-  
blicas contorquentur.

18. *Reſeruata  
contra  
perſonas  
publicas.* *Contra perſonas publicas reſeruatas excommunicationes ex-  
tra Bullam Cœnæ reſerue.* Decem & ſex adnumerabo.  
1. Contra Prælatos vexantes Cenſuris commorantes in  
ſeruitio Papæ. 2. contra Cardinales non ſeruantes ſta-  
tura à Iulio II. *Cum tam diuino.* 3. Contra Cardinales  
geſta in ſecreto conſiſtorio reuelantes. 4. Contra Epi-  
ſcopos, qui in ſuſpenſione Beneficia conferunt. 5. Con-  
tra Cardinales ambientes Papatum, & eius cauſa Simo-  
niatos. 6. Contra Cardinales Simoniacos in Ordine,  
& Beneficio. 7. Contra Prælatos, qui Eccleſiaſticum ad  
forum laicale traxerint. 8. Contra Prælatos dantes  
nunciantibus prouiſionem Beneficiorum. 9. Contra  
Dominos temporales cogentes aliquem tempore inter-  
dicti. 10. Contra prohibentes ſubditis, ne vendant  
Eccleſiaſticis. 11. Contra perſonas Eccleſiaſticas ban-  
nientem.

*Examen II. De Excommunicatione. 453*

nientem. 12. Contra concedentes in terris suis duellum. 13. Contra inquisitores malè procedentes contra hæreticos. 14. Contra Officiales non reddentes integrè computa Coenæ Apostolicæ. 15. Contra officiales Pœnitentiariæ sibi interdicta facientes. 16. Contra officiales status Ecclesiastici recipientes munera, præter comestibilia.

*Quotnam autem sunt contra Clericos excommunicationes reservatæ. Undecim.* 1. Contra participantes cum excommunicato à Papa. 2. Contra inducentes ad iurandum de sepultura eligenda. 3. Contra procurantes Ecclesiarum alienationem. 4. Contra procurantes eligi in successorem Papæ. 5. Contra Prædicatores non servantes decreta pro eis in Lateranensi præscripta. 6. Contra Parochos non adimplentes iuramenta de residendo. 7. Contra retinentes Beneficia in confidentiam. 8. Contra absolventes à casibus Bullæ Coenæ vel Ordinariorum. 9. Contra trahentes Ecclesiasticos ad forum laicale. 10. Contra consentientes usurpationibus Ecclesiarum aduersùs Religiosos. 11. Contra ministrantes Sacramenta Extremæ-vnctionis, & Eucharistiæ sine licentia Parochi.

*Quotnam excommunicationes reservatæ contra Regulares, vel eorum causa? Duodecim.* 1. Contra Mendicantes ad non Mendicantes transeuntes. 2. Contra tenentes apostatas Dominicanos. 3. Contra Moniales de clausura sine licentia exeuntes. 4. Contra Superiores non denunciantes eos, qui sollicitant mulieres in Confessione. 5. Contra Minores recipientes fratres ordinis Prædicatorum. 6. Contra Minores de obseruantia in electionibus subornantes. 7. Contra euntes ultra mare sine Superiorum licentia. 8. Contra Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. 9. Contra Tertiarios portantes habitum Minimorum. 10. Contra Minimos subtrahentes se à Corroctorum obseruantia. 11. Contra Minores tempore interdicti admittentes fratres Tertij Ordinis ad diuina. 12. Con-

19.

*Reservatæ  
contra  
Clericos.*

20.

*Reservatæ  
contra  
Regulares.*



tra recipientes aliquem è Societate I E S V , exceptis Carthufianis , sine licentia Papæ , vel R. P. Generalis nostri.

- 21.** *Reservata contra omnes.* *Contra omnes communiter quotnam reservatae excommunicationes inveniuntur ?* Quinque supra quadraginta. 1. Contra percussores Clericorum. 2. Contra perseverantes per anoum in excommunicatione lata à Papæ delegato. 3. Contra literarum Pontificalium falsarios. 4. Contra habentes literas Apostolicas falsas, & non destruentes. 5. Contra incendiarios ab Homine excommunicatos, & denunciatos. 6. Contra Sacrilegos effringentes Ecclesias. 7. Contra communicantes in crimine cum excommunicato à Papa. 8. Contra eligentes insignem potentia in Romanum Senatorem. 9. Contra vexantes eos qui in aliquos tulere Censuram. 10. Contra absolutos ab excommunicatione sub conditione, & non implentes. 11. Contra offendentes Cardinales. 12. Contra exigentes tributa à personis Ecclesiasticis. 13. Contra violantes interdictum modis prohibitis in Clemen. *Gravis, de sent. excomm.* 14. Contra monetam Regis Franciæ falsicantes. 15. Contra exenterantes, corpora defunctorum. 16. Contra Sedis Apostolicæ interdictum violantes. 17. Contra conspirantes in Romani Pontificis personam. 18. Contra dantes, & recipientes ob Religionis ingressum. 19. Contra Simoniacos in Ordine, & Beneficio. 20. Contra taxantes opiniones de Conceptione B. Mariæ Virginis. 21. Contra dantes, & recipientes pro gratia, aut iustitia apud Sedem Apostolicam. 22. Contra offendentes Magistratus Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ. 23. Contra dantes nunciantibus prouisiones Beneficiorum. 24. Contra occupantes bona Cardinalium in Conclau. 25. Contra fingentes se Cardinalium nepotes, vt literas Apostolicas expediant. 26. Contra impediendes executionem literarum S. Pœnitentiariæ. 27. Contra supponentes se in examine, vt Beneficia impetrent. 28. Contra ambientes Papatum, cuiusque causâ simoniam committentes

rentes. 29. Contra committentes duellum, confulentes, &c. 30. Contra deferentes allumina ex partibus infidelium. 31. Contra mittentes literas, aut nuncium in Conclauē. 32. Contra occupantes bona Montium pietatis, & piorum locorum. 33. Contra foeminas ingredientes Monasteria Regularium. 34. Contra suadentes Papæ, vt loca Ecclesiæ infeudet. 35. Contra capientes Christianos habitantes inter Turcas. 36. Contra committentes simoniam confidentialem. 37. Contra non reuelantes conspiratores in Cardinales. 38. Contra proponentes populo indicem casuum, & indulgentias. 39. Contra accipientes fructus primi, vel secundi anni Beneficij vacantis. 40. Contra impugnantes Societatis I E S V institutum. 41. Contra facientes iurare illicita, & contraria libertati. 42. Contra diripientes animalia, & bona alia ex statu Ecclesiæ. 43. Contra violantes Ecclesiasticam immunitatem. 44. Contra docentes posse fieri Confessionem Sacramentalem in absentia. 45. Contra extrahentes frumentum ex Ecclesiastico statu, & locis immediatis.

*Excommunicationum reseruatorum in Bulla Cæne memorie gratia epilogum adicias.* Viginti illæ excommunicationes ad quinque capita reducendas duxi. Primò ad fidem, vnde excommunicantur omnes hæretici schismatici, & legentes libros, &c. vt in *prima Excom.* Secundò ad caput Ecclesiæ, qui est Summus Pontifex, quatenus potest offendi dupliciter. In primis vt Princeps supremus in spiritualibus, & sic excommunicantur appellantes ab eo ad Concilium, vt in *secunda Excom.* Deinde vt Princeps in temporalibus certæ partis Orbis; & sic excommunicantur vsurpantes bona & iurisdictionem ad ipsum pertinentem, vt in *vigesima Excom.* Tertio ad Ecclesiam Christianam, quæ potest offendi tum in suis personis, & membris, vel per latrocinium maritimum vt in *tertia*; vel per raptum bonorum naufragantium, vt in *quarta*; vel per impositionem onerum contra iustitiam, vt in *quinta*; vel per offensionem Romipetarum;

22.

Reserua-  
ta in Bul-  
la Cæne.

456 *Moral. Theologia Tract. IV. Censura,*  
 vt in *decima* : Tum in suo principatu, quomodo excom-  
 municantur deferentes arma, &c. ad inimicos Christi-  
 ani nominis, vt in *septima*. Quartò ad fidem Apostolicam,  
 quæ offendi potest in primis in personis, quæ sub eius  
 protectione adsunt, quales sunt deferentes victualia ad  
 Curiam Papæ, vt in *octaua* ; venientes ad eam pro nego-  
 tiis, morantes, & recedentes, vt in *nona* ; & recurrentes  
 ad illam, vt in *duodecima*. Deinde quoad suam authorita-  
 tem, vel per falsificationem literarum Apostolicarum,  
 vt in *sexta* ; vel per appellationem à grauamine ad lai-  
 cam potestatem, vt in *decima tertia* ; vel per vsurpationem  
 bonorum Ecclesiasticorum, vt in *decima septima*.  
 Quintò ad Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ potest of-  
 fendi in primis ratione principalium eius membrorum,  
 quales sunt Cardinales, Nuncij, Episcopi, alij Prælati, vt  
 in *undecima*. Deinde derogando eius authoritati, vel per  
 cognitionem causarum spiritualium à laicis, vt in *decima quarta* ;  
 vel per immunitatem fori, vt in *decima quinta* ;  
 vel per recursum à iurisdictione Ecclesiastica ad lai-  
 cam, vt in *decima sexta*. Denique derogando eius liber-  
 tati, vel per impositionem onerum personis, & bonis  
 Ecclesiasticis, vt in *decima octaua* ; vel per cognitionem  
 causarum criminalium pertinentium ad Clericos, vt in  
*decima nona Excom.*

23. *Iam verò excommunicationes nemini reseruatas recenseamus.*  
*In primis autem quotnam contra Magistratus & iudices latae*  
*sint, aperias. Nouem inueni. 1. Contra negligentes ius*  
*Ecclesiasticis reddere. 2. Contra facientes seruari*  
*statuta in libertatem Ecclesiasticam. 3. Contra offi-*  
*ciales ciuitatis non seruantes contenta in cap. vbi pericu-*  
*lum. 4. Contra extorquentes pecuniam prætextu officij*  
*inquisitoris. 5. Contra potestates fouentes vsuras*  
*6. Contra non adiuuantes in clausura Monia-*  
*lium Episcopos. 7. Contra Doctores & Profes-*  
*sores non facientes professionem fidei. 8. Con-*  
*tra non parentes Cardinalibus inquisitoribus in*  
*ipsorum officio. 9. Contra permittentes porra-*  
*re*

*Examen II. De Excommunicatione. 457*

re arma breuiora palmis tribus in statu Ecclesiastico.

*Quotnam contra Episcopos non reſeruatæ reperiuntur excommunicationes ?* Quatuor. 1. Contra ſuſcipientes prælaturam in ciuitate diuerſarum linguarum. 2. Contra venientes ad Urbem, & inde recedentes ſine licentia Papæ. 3. Contra permittentes habitum Fratitellorum inter ſe. 4. Contra impetrantes literas à Principibus ad dignitates.

*Contra Dominos temporales quotnam non reſeruatæ ?* Sex. 24.  
1. Contra præcipientes ſubditis, ne obſequia Eccleſiaſticis præſtent. 2. Contra impediētes promotionem Officij Inquiſitionis. 3. Contra concedentes repreſalias contra Eccleſiaſticos. 4. Contra retinētes nomen Vicarij Imperatoris vacante Imperio. 5. Contra non ſeruantes ſtatuta in cap. felicitis de pœn. in ſexto. 6. Contra permittentes in terris ſuis taurorum agitationes. *Non reſeruatæ contra Dominos temporales.*

*Contra Religioſos autem quotnam ?* Tredecim exprimam. 25.  
1. Contra audiētes leges, vel medicinam extra clauſtra. 2. Contra inſtituētes nouum Ordinem ſine licentia Papæ. 3. Contra profeſſos temerè habitum dimittentes. 4. Contra occupantes decimas, & impediētes ſolutionem. 5. Contra adeuntes Curiam Principum ad nocendum ſuis. 6. Contra tenētes arma extra clauſtra ſine licentia. 7. Contra fouētes ſtatuta Beguinarum. 8. Contra profeſſos Matrimonium contraheutes. 9. Contra Mendicantes recipientes nouas domos. 10. Contra retrahētes auditores à decimis ſoluendis. 11. Contra non ſeruantes interdictum, quando à Cathedrali obſeruatur. 12. Contra Mendicantes & Parochos intra ſe pœnem non ſeruantes. 13. Contra Capucinos Minores de obſeruantia recipientes. *Non reſeruatæ contra Regulares.*

*Quotnam contra Clericos nulli reſeruatæ excommunicationes ?* Vndecim. 26.  
1. Contra ſuſcipientes munus adminiſtrandi in ciuitate diuerſorum rituum. 2. Contra audiētes medicinam & leges, ſi ſint Sacerdotes, vel perſonatum Clericos. *Non reſeruatæ contra Clericos.*

458 *Moral. Theologia Tract. IV. Censura,*  
 habentes. 3. Contra Sacerdotes recipientes præfecturam  
 secularẽ. 4. Contra procurantes, vt alij occupent regalia,  
 & iura Ecclesiarum vacantium. 5. Contra minores Epi-  
 scopis, qui domos vsurariis alienigenis locant. 6. Con-  
 tra matrimonium contrahentes, si sint in sacris. 7. Con-  
 tra alienantes bona Ecclesiarum, vel locantes ultra  
 triennium. 8. Contra fictè resignantes, vel permutan-  
 tes Beneficia. 9. Contra impugnantes in concionibus  
 Montes pietatis. 10. Contra interessentes agitationi-  
 bus taurorum, si sint in sacris. 11. Contra præsumen-  
 tes absoluerè à casibus in B. M. Cœnæ contentis.

27. *Denique recense excommunicationes non reseruatæ aduersus*  
*omnes communiter. Triginta ex iurib; collegi.* 1. Contra  
*Non re-* conducentes Bononiæ domos alterius Scholastici, vel  
*seruata* Doctoris. 2. Contra habentes ratas orationes factas à  
*contra* schismaticis. 3. Contra alloquentes secretò Cardina-  
*omnes.* les, dum sunt in Conclau. 4. Contra vexantes Eccle-  
 siasticos, quia non elegerint eum, pro quo rogabantur.  
 5. Contra occupantes regalia, & bona Ecclesiastica va-  
 cantia titulo defensionis. 6. Contra directores Monia-  
 lium discordias fouentes. 7. Contra procurantes, vt  
 conseruatores procedant in aliis, &c. 8. Contra extor-  
 quentes absolutionem à Censuris per vim, aut metum.  
 9. Contra inducentes per fraudem iudicem, ad testimo-  
 nium fœminæ. 10. Contra compellentes Ecclesiasti-  
 cos, vt submitrant laicis iura Ecclesiæ. 11. Contra exi-  
 gentes pedagia, &c. ab Ecclesiasticis personis. 12. Contra  
 docentes leges, aut medicinam Religiosos. 13. Contra  
 sepelientes hæreticos, &c. in locis Sacris. 14. Contra  
 mandantes interfici Christianum per assassinos. 15. Con-  
 tra extendentes repressalias concessas contra Ecclesi-  
 sticos. 16. Contra impediens sequestrum factum ab  
 Ordinario super Beneficia. 17. Contra sepelientes tem-  
 pore interdicti, vel interdictos. 18. Contra impediens  
 Visitatores Monialium. 19. Contra assumens statu-  
 tum Beguinarum. 20. Contra matrimonium in casibus  
 prohibitis contrahentes. 21. Contra impugnantes  
 literas

liter  
 sam  
 tes  
 eden  
 25  
 nem  
 rum  
 niu  
 ria.  
 tra p

Ex

N  
 muni  
 pue  
 pten  
 Cler  
 Secu  
 ex.  
 Sim  
 con  
 con  
 &c.  
 Qui  
 stiti  
 mul  
 nac  
 ctua  
 Pau

litteras Papæ non coronati. 22. Contra profiteentes falsam Religionem Fratricellorum. 23. Contra imprimentes libros absque licentia Superiorum. 24. Contra edentes glossas in Tridentinum, vel in Clement. *Exiii.* 25. Contra asserentes non esse necessariam Confessionem ante Eucharistiam. 26. Contra raptores mulierum, & fautores. 27. Contra cogentes ad matrimonium. 28. Contra cogentes foeminas ingredi monasteria. 29. Contra vexantes Sanctum Officium. 30. Contra pingentes, & decorantes Agnos Dei cereos.

CAPVT IX.

*Ex hisce excommunicationibus reseruatis, & non reseruatis eas seligo, quæ communi vsui esse possunt.*

**N**E excommunicationum mole memoria grauetur, operæpretium est, eas solummodo ad epilogum reuocare, quæ communi vsui adherescunt. Igitur ex reseruatis sunt præcipua quoad vsum? Ex septuaginta duabus solummodo sectiones, adnotandas duxi. Prima est contra percussores Clericorum, mandantes, &c. *Si quis suadente* 17. quæst. 4. tiores ad  
Secunda contra violantes interdictum Sedis Apostolicæ. *Extrau. Et si Dominici, de pæn. & remis.* Tertia contra *vsu ex*  
Simoniacos in ordine, vel Beneficio, & Simoniacos confidentiales. *Extrau. cum detestabile, de Simon.* Quarta  
contra committentes duellum, consultores, fautores, &c. diffidentes, &c. *Pius IV. num. 25. Greg. XIII. & Clem. VIII.*  
Quinta contra dantes, vel accipientes pro gratia, vel iustitia apud Sedem Apostolicam. *Gregor. XIII.* Sexta contra mulieres ingredientes monasteria Monialium, vel Monachorum. *Gregor. XIII.* Septima contra extrahentes vitualia, vt frumentum, bladum, legumina, & oleum. *Paul. V. inter grauissimas.*

29. *Ex non referuatis autem quenam precipua quoad vsum collegisti?* Ex septuaginta tribus quatuordecim legi. Prima quidem est contra occupantes bona Ecclesiarum vacantium. *cap. gener. de elect. in 6.* Secunda contra compellentes personas Ecclesiasticas, vt laicis bona Ecclesiastica submittant. *cap. 2. de reb. Eccl. non alien. 6.* Tertia contra sepelientes hæreticos, excommunicatos, interdictos in loco sacro. *cap. 2. de hæret. in 6. & Clem. 1. de sepul.* Quarta aduersum contrahentes in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus, vel persona sacra, aut religiosa. *Clement. 1. de consang.* Quinta contra impediētes visitatores Monialium, si admoniti non desistant. *Clement. attendentes de statu, Monial.* Sexta contra imprimentes, mandantes imprimi, vendentes libros sine approbatione Superiorum. *Leo 10. Bull. 10.* Septima contra raptos mulierum, & contra præbentes illis auxilium. *Trid. sess. 24. cap. 6.* Octaua contra cogentes mulieres ingredi in Monasteria, vel impediētes earum ingressum, vel ne liberè contrahant matrimonium. *Trident. sess. 24. cap. 9.* Nona contra procurantes abortum foetus animati. *Sixtus V. in Bulla essrenatum.* Decima pro Ecclesiasticis contra alienantes bona Ecclesiastica, vel vltra triennium hypothecantes. *Extrau. ambitiosæ de reb. Eccl. non alien.* Vndecima pro eisdem contra audientes medicinam, aut leges si sint Sacerdotes, vel habentes personatum. *cap. super specula, ne Clerici, &c.* Duodecima pro personis publicis contra facientes statuta aduersum libertatem Ecclesiasticam. *cap. nouerit, de sentent. excomm.* Decima tertia pro eisdem contra non adiuuantes Episcopos in clausura Monialium. *Trident. sess. 25. cap. 5. de Regul.* Decima quarta pro eisdem, contra Doctores, & Professores cuiuscunque facultatis non facientes professionem fidei in manibus Ordinarij. *Pius IV. Bull. 112.*

## CAPVT X.

De excommunicatione reſeruata contra Clericorum  
percuſſores.

**E**xpendamus vberius excommunicationem illam cap. ſi quis ſuadente, contra Clericorum percuſſores. Quidnam comprehendit? Tria præcipuè. Perſonas, quæ ſubiiciuntur Canonis; perſonas quæ gaudent hoc priuilegio; & actiones, ob quas excommunicatio incurritur.

Quenam perſonæ Canonis ſubiiciuntur? Viri, & foeminae etiam impuberes, Superiores, inferiores, Clerici, & laici, Religioſi habentes dignitatem, & non habentes Epifcopi, & Cardinales, dummodo hi omnes habeant rationis uſum, & peccare mortaliter poſſint.

Quenam perſonæ hoc gaudent priuilegio? Clerici, etiam habentes primam Tonſuram: Etiam coniugati, modo deferant habitum, & alicui ſeruiant Eccleſiæ, & bigami non ſunt: Etiamſi coniugati dimiſerint habitum, modo poſtea illum reſumant, & contraxerint cum virgine: Etiam excommunicati, ſuſpenſi, interditi, degradati tantum verbaliter: Etiam Monachi profeſſi, & profeſſæ, Religioſi, & nouitij, etiam foemina: Fratres Tertiarij gregatim viuentes, & habitum geſtantes: ſores Tertiariæ cum voto caſtitalis, etiamſi domi uiuant: Heremitae ſubiecti alicui regulæ vel Superiori: Equites Militenſes, & aliæ Eccleſiaſticae perſonæ.

Quenam ſunt actiones, ob quas excommunicatio hæc incurritur? Aliæ ſunt principales, vt iniectio manus violentæ in perſonam, etiam perſequendo furioſè, ita vt cogant aliquod malum pati; Detinendo in cuſtodia: Vel iniectio manus violentæ in res adhærentes perſonæ detinendo violenter per veſtes, veſtes lacerando, frangendo equum cohibendo, lacerando cingulum. Aliæ ſunt acceſſoriae, vt mandare, ratum habere nomine ſuo factum,

30.

Clerici  
percuſſor.

conſen



consentire consulendo, auxilium & fauorem ferendo; non impediendo, cum ex iustitia, seu charitate absque proprio periculo teneatur; percutiendi (Clericum sponte sese subilcientem correctioni, vel seipsum (scio duo hæc magis propriè extensionem principalis actionis, quam accessoria dici debere.) Admonuerim percussio- nis effectum sequendum esse, vti excommunicatio teneat; nec enim vnquam ob percussio- nis voluntatem, aut procuracionem quis excommunicationis gladio percutitur.

*Quandonam ab huiusce excommunicationis incurso excusabi- mur?* Excusamur primò, ratione imperfectionis actus, v.g. si sit indeliberata percussio, & subita, & iocosa, casualis, in Clericum non formaliter, non animo iniuriandi, sed ipsum defendendi. Secundò, ratione ignorantia probabilis, v.g. quia non cernat personam; quia de nocte percutit; non cognoscat ex habitu, quia non gestat; putet esse laicum, etiam si ferat habitum, idque rationabiliter. Tertiò, ratione correctionis, & disciplinae; v.g. Prælati Clericos etiam torquere possunt; Magistri discipulos etiam per laicum corrigere; officiales in Ecclesia Clericos diuina officia turbantes; seniores in Ecclesia, etiam si non habeant officium; Domini seruos, & familiam; parentes, & propinqui filios, & consanguineos. Quartò, ratione defensionis propriae vitæ, vitæ suorum, & vxoris, filij, parentum, familie, rerum suarum. Quintò, ratione amissionis priuilegij, v.g. si sit Clericus degradatus realiter, bigamus in minoribus, scurra per annum, vel breuiori tempore ter monitus, & non desistens; exercens publicè macellum, vel tabernarium, & ter monitus, &c. Incedens publicè in habitu laicali; ferens arma militaria, & ter monitus, &c. miscens se turpibus, & enormibus; repertus cum vxore, filia, matre, à marito, patre, filio, &c. requirens inhonestè mulierem, & eam tangens.

*Quisnam denique ab huiusmodi inflicta excommunicatione absoluit?* Absolutio Papæ reseruata est, quando est percussio

cussio enormis, v.g. si membrum mutiletur, vel sanguis in magna copia effluerit, vel persona digna esset. Item quando est percussio mediocris, quæ cognoscitur quidem ex extremis (enormi scilicet & leui) hæc enim media est inter illas. Porro percussio leuis ab Episcopo proprio absoluitur. Est autem leuis illa, quæ licet in se peccatum mortale sit, comparatione tamen illarum leuis dicitur: v.g. quæ fit pugno, palma, &c. & vniuersaliter definienda est Episcopi, vel prudentis viri arbitrio.

*Excusantur ne ab eundo Romam aliqui cum percussio mediocris fuit, aut enormis aliquando? Triplici quidem ex capite excusantur. Primò corporali impedimento, v.g. in articulo mortis constituti, ratione inimicitie grauis si percussit, pauperes, ægri, valetudinarij, debiles, senes, cæci, & claudi. Secundò Canonico impedimento, v.g. serui, & filij familias, exercentes munus publicum habentes iustam causam. Tertio, iuris beneficio, v.g. mulieres, impubes, officiales Principum arcetes turbam, ostiarij prætextu officij percutientes, Clerici simul viuentes, Regulares, nobiles & delicati viri.*

---

CAPVT XI.

*Praxis circa prædicta ex Societatis  
IESV schola.*

**Q**uanam communicatione priuat Ecclesia excommunicatum? 31.  
An merè interna? Minimè merè interna priuat, quæ De excō-  
est per fidem ac charitatem: nec fructu orationum ac muni-  
satisfactionum, quæ fideles proprio nomine, & priuata tione va-  
intentione ipsi applicant. Quare Sacerdos pro excom- rij casus.  
municato etiam vitando non prohibetur in Memento  
exorare, & vt priuata persona Sacrificium offerre, vt  
asserit Laymanus. Ecclesia igitur per excommunicatio-  
nem,

464 *Moral. Theolog. Tract. IV. Censura,*  
nem, vt vidimus priuat hominem communibus suffra-  
giis, vsu Sacramentorum, & fidelium conuictu.

*Afferuisti excommunicatum licitè non suscipere Sacramenta,*  
validè tamen suscipere, præter pœnitentiam: rogo, si bona fide  
peccatorum Confessionem instituat, videlicet in casu necessitatis,  
aut probabili ignorantie, obstat ne, quominus verè à peccatis  
absoluatur? Non obstat ex Laymani placito. Sed tamen  
remanet excommunicatio, si Superiori est reseruata, vel  
Confessarius errans prius à peccatis, quàm à Censura  
absoluat.

*Peccat ne excommunicatus, qui in Paschate non se disponit*  
*ad Sacramenta percipienda?* Contra Ecclesiæ præceptum  
delinquit, si per ipsum stat, quominus absoluatur. Ex  
eodem Laymano accipi.

*Percussus quis excommunicatione reseruata, bona fide peccata*  
*non reseruata cum reseruatis confisetur: an validè absoluatur?*  
Affirmat Coninch; quia excommunicatio non irritat ab-  
solutionem, nisi excommunicatus sciens vellet Sacra-  
mentum suscipere. Quid si Confessarius sciens peccata  
habere annexam excommunicationem, ex malitia absoluat?  
Non licitè quidem, sed validè absoluere Coninch af-  
firmat.

*Excommunicato prohibitum est Diuina officia celebrare, eis-*  
*que interesse: si Sacrificio Missæ interesse præsumat, quid præ-*  
*standum?* Monendum esse vt discedat docet Layman; si  
nolit, expelli debere opera laicorum; si ij non adsint,  
nec vocari possint, etiam à Clericis.

*Excommunicatus à contumacia recessit, & per ipsum non stat*  
*quo minus absoluatur: fructus ne interim Beneficij percipit?*  
Percipere cum eodem Doctore sentio, licet officium  
non præstet; quia non potest: sicuti beneficiarius in-  
firmus percipit fructus, esto culpâ suâ causam præbue-  
rit infirmitati.

*Licet ne publicè orare pro excommunicatis toleratis, etiam hæ-*  
*reticis?* Probabile existimo cum Layman hodie licere, mo-  
dò horum nomina in Missa non exprimentur contra  
Ecclesiæ morem, aut cum scandalo.

Excom

*Examen II. De Excommunicatione. 465*

*Excommunicatis toleratis negari ne debet Sepultura Ecclesiastica? Præcipuè ob Censuram haud negandam docet Laymanus. Sin verò constet, vel præsumi possit eos, in peccato mortali decessisse, v. g. in hæresi, sepeliri in loco sacro non debent; si tamen sepeliantur, locus sacer non violatur.*

*Dixisti excommunicatum mortaliter peccare contra annuæ Confessionis, & Eucharistiæ recipiendæ Ecclesiasticum præceptum, si negligens sit in absolutione procuranda: delinquit ne etiam grauiter sacrum non audiendo? Non; quia (vt Suarius ait) illud præceptum non est tam æqualis ponderis, vt obliget ad tam remotam dispositionem vt præceptum Confessionis, & Communionis annuæ obligat.*

*Est ne valida acceptatio Beneficij facta ab excommunicato? validam iudicat Henriquez, si tempore electionis, & collationis non erat excommunicatus; quia iura solum electionem, & collationem irritant, quæ non sunt in odiosa materia amplianda. Quid si tempore electionis, & præsentationis erat excommunicatus, sed ante acceptationem est absolutus? Non est ita certum, sed cum Henriquez adfirmarim validam electionem.*

*Si Confessarius absoluendi facultate præditus, oblitus sit aliquem ab excommunicatione, aliæve Censura absoluere, potest ne absenti absolutionem dare? Affirmo cum Layman posse, si hominem non valet adire; quia non eadem ratio de Sacramentali absolutione ob proximam actualement doloris materiam.*

*Potest ne absolutio ab excommunicatione dari etiam inuito, & nondum emendato? Saltem validè dari posse cum Laymano iudico, nisi qui absolutioni reluctatur, persistat in crimine, cui excommunicatio ipso iure continui annexa est.*

*Dixisti feminam cogentes ad Religionem, aut eam à Religione retrahentes excommunicatione vulnerari: quidnam est cogere? Idem est ac per vim, & metum grauem iniuste inducere. Quare qui metu leui coëgit, excommunicationem non incurrit, neque qui iuste incussit metum, aut precibus*

466 *Moralis Theologia Tract. IV. Censura,*  
bus importunis; aut incussit metum priuationis alicuius boni, ad quod foemina aliàs ius uon habebat.

*Cogens foeminam ad ingrediendum Religionem, vel ad professionem emittendam; incurrit ne statim post coactionem adbibitam excommunicationem? Non incurrere cum Laymano cenfeo, sed post vim coactiuam requiri actualem ingressum, aut professionis emissionem.*

*Reges ne, & Imperatores ligantur excommunicatione foeminam ad Religionis ingressum cogendo, aut aliquam actionem ueritatem praestando, v.g. consilium, auxilium, vel fauorem coartelari praebendo? Iuxta probabilem nonnullorum sententiam minimè; quia quando Summus Pontifex hos ligare intendit, solet exprimere. Incurrit ne excommunicationem illam uirum ad Religionem cogens? Minimè; quia Tridentinum solum de cogentibus foeminas loquitur.*

*Subditus in dioecesi deliquit, & extra dioecesim iam commouatur; potest ne ab Episcopo excommunicari? Potest authore Laymano; quia iurisdicctio eius extenditur extra dioecesim circa crimina, quæ in dioecesim perpetrata sunt. Nam si necessariò pertinet ad aliquem illius delicti punicio, maximè ad eum, qui illius pascuæ rector est. At subditum delinquentem extra dioecesim non potest nec per sententiam excommunicare; quia eius iurisdicctio non extenditur extra dioecesim, cum crimen illud proprium loci illius iudicem fortitum sit.*

*Paruitas ne materiae excusat ab excommunicatione? Excusat, v.g. si quis transiens Monialem alloquatur. Sicut excusat à reseruacione casus, si quid exiguum furatus sim in Ecclesia; excommunicatio etenim maior in mortalem culpam contorquetur.*

*Quis fuit Bullæ vigore ab excommunicatione sine paruis satisfactione absolutus: est ne absolutio ualida? Ita planè, sed tenetur postmodum satisfacere Non potest in totum. Satisfaciat in partem. Non potest satisfacere ante absolutionem, vel post illam sine graui vel fame uel bonorum iactura. Poteft licitè absolui, modò creditor æquale malum non patiat. Sic Henríquez. Addo ex eodem in his, & eiusmodi casibus, in quibus*

quibus non potest pœnitens satisfacere, non sufficere, vt det cautionem iuratoriam, sed debere dare pignoratitiam, si possit, vel saltem fideiussoriam.

Iam scio excommunicatum esse Beneficij incapacem: rogo, an sit capax Pensionis? Cùm Suarior & Vasquez aliquando negabam omnino eum capacem. At nunc cum Auila capacem Pensionis, quæcunque illa sit, probabiliter affirmo, validamque consignationem excommunicato factam.

Incidit Beneficiarius in excommunicationem: num antè sententiam fructibus Beneficij priuetur? Minimè, & consequenter nihil tenetur restituere, qualecunque sit Beneficium, modò opera, seu officia, & onera Beneficij exequatur, vti Vasquez aduertit.

Quis ob legitimum impedimentum (vnde cunque illud oriatur) non potest pro absolutione ab excommunicatione nisi per procuratorem, seu epistolam Pontificem adire: potest ne ab Episcopo absolui? Potest, imo neque tunc est necessarium recurrere ad Legatum vel Nuncium Papæ. Quia (vti Auila adnotat) sublata per iustum impedimentum reservatione Episcopus vti proprius pastor absoluit.

Rogo, num Sacerdotes priuatim in domibus suis audientes lectorem Iuris Civilis, aut Medecine in excommunicationem incidant? Non incidunt, neque si studeant legibus in scholis publicis, quatenus illud studium ad Iuris Canonici notitiam inducit. Sed, Santarelli venia, addiderim hoc potestimum intelligendum esse in interiori foro; nam in exteriori excommunicati præsumantur.

Est ne probabile ministrantem Sacramenta Baptismi, Fœnitentia, &c. cum Minori excommunicatione nec venialiter peccare? Licet Coninch affirmet venialiter delinquere, cum Henriquez, & Fillutio contrarium posse aliquo in casu defendi assero: v.g. Si repenti accedat baptizandus, aut pœnitens, nec possit Sacerdos sine scandalo recedere.

32.

De Percussione

Num teneamur vitare semper publicè & notoriè Clerici percussorem? Non tenemur, nisi percussio sit eiusmodi, vt Clerici,

G g

nullo

468 *Moralis Theologia Tract. IV. Censura,*  
nullo modo celari, & excusari possit, quod vix potest  
constare ante iudicis sententiam. Nam (vti *Laymanus*  
adnotat), constare debet, quod percussio Clerici noto-  
riè facta sit, atque ita malitiosè, vt nulla probabili ratio-  
ne à peccato mortali, & annexa Censura Canonis excu-  
sari queat.

*Percutiens Clericum, qui non habet Beneficium, neque Concilij*  
*Tridentini requisita, incurrit ne in excommunicationem? Non*  
*incurrere Suarius docet; sed cum Molina incurrere af-*  
*firmit; quia hic Clericus amittit priuilegium fori, non*  
*autem Canonis.*


*Seipsum Clericus voluntariè percutit: incurrit ne Canonis*  
*excommunicationem? Incurrere censeo cum Suario; sed*  
*cum Turriano probabile affirmo non incurrere; quia*  
*Canon ille si quis suadente videtur de persona distincta*  
*loqui.*

*An possit, qui Clericum percussit, vel Monachum, satisfaciendo*  
*percusso ab excommunicatione absolui? Posse asseruerim;*  
*nam licet alij probabiliter sentiant, totam Ecclesiam,*  
*vel Monasterium, accipientem iniuriam accepturam*  
*etiam specialem satisfactionem: iudico tamen satisfa-*  
*ciendo percusso censeo percussorem parti satisfecisse;*  
*quia (vti Auila ait) eius est condonare, quem præcipuè*  
*tangit iniuria.*

*Dixisti, Episcopum ab excommunicatione absoluerè, quando*  
*percussio enormis, aut mediocris non est: rogo specialius aperias,*  
*quandonam enormis aut mediocris sit censenda percussio? Etiam si*  
*facta sit in loco publico, non propterea continuò cen-*  
*senda enormis, aut mediocris; sed ex Reginaldi sententia*  
*duo debent concurrere, cum vt notabilis sit iniuria,*  
*tum vt considerabile pariat scandalum.*

*Num impubes & pueri possint ab huiusmodi excommunica-*  
*tione excusari? Possunt sæpe; quia illorum percussio re-*  
*gulariter non reputatur grauiter iniuriosa.*

EXAMEN



E X A M E N III.

Circa materiam de suspensionis Censura.

C A P V T P R I M V M.

*Suspensio quid, quotuplex: eius species principales.*

**Q**uidnam est suspensio? Ecclesiastica Censura, qua Clericus usu Officij, aut Beneficij Ecclesiastici priuatur. Est enim Ecclesiastica poena, qua ita quis ordinis actus exercere prohibetur, ut si contra faciat, irregularitatem incurrat. 33.

*Quotuplex suspensio?* Quintuplex est. 1. Si materia ratio habeatur alia est ab officio, alia à Beneficio. 2. Si causæ, ob quam fertur, alia in vindictam criminis, alia fertur in contumaciam. 3. Si spectetur eius efficacia, alia suspendit in totum ab Officio & Beneficio, alia in parte ab altero illorum; alia ab Officio in totum, vel Beneficio, alia in parte tantum, ut ab Officio Ordinis, non iurisdictionis. 4. Si consideretur eius duratio, alia indefinita est, alia terminata, alia perpetua positivè. 5. Si eius cessatio attendatur, alia solo temporis lapsu cessat, alia per exercitium vel omissionem alicuius actionis, vel omissionem eiusdem, alia per solam abolutionem.

*Quid comprehendit suspensio lata simpliciter?* Ab officio & Beneficio suspensionem, nisi ex circumstantibus verbis aliqua restrictio colligatur.

*Indica suspensionis, & depositionis differentiam.* Suspensio quidem iure ordinario remissibilis est, depositio minime. Suspensio si sit ab Officio vel Beneficio nec munere



470 *Moral. Theologia Tract. IV. Censura,*  
nec Beneficio priuat; at depositio ipso priuat munere,  
& Beneficio.

*Ad suspensionis species præcipuas explicandum accede. Exprime primam speciem, quæ est suspensio ab officio.* Suspensio ab officio priuat omni vsu spiritualis potestatis ad aliquem spiritualem actum exercendum, siue sit ordinis, siue iurisdictionis, siue alicuius Ecclesiasticæ administrationis. *Extendit ne se ad omnia loca inibi, donec ab habente potestatem auferatur?* Extendit se ad omnia loca, durat autem donec auferatur, si sit suspensio absoluta: Si vero sit ad certum terminum, eo transacto, ipsa quoque suspensio cessat. *Includit ne suspensio hæc à Beneficio suspensionem?* Minime; quia per hæc illæ tantum actiones impediuntur, quæ ad ministerium aliquod Ecclesiasticum pertinent. *Suspensus quis est ab ordine.* Suspensus omni ordinis vsu priuatum puta, non autem iurisdictione, nisi quoad eius actus, qui cum ordine connexi sunt, v.g. absolutio in pœnitentiâ foro. *Suspensus est ab ordine determinato.* Solùm suspensus habet ab illius exercitio, sicut suspensio ab ordine Pontificali suspendit tantùm ab vsu & actibus, qui Pontificali ordinis proprij sunt; suspensio à collatione ordinum vnum tantùm actum Pontificali ordinis prohibet, qui scilicet est ordinis collatio. *Suspenditur à iurisdictione.* Ab omni spirituali iurisdictione suspensus existima, non autem ab omnibus iis ordinum actibus, qui iurisdictionem non requirunt. *Suspenditur à Diuinis Officiis.* A Missâ & Horis Canonis in Choro recitandis tanquam à Clericis priuatum reor, non tanquam à laicis audientibus illa, iisque interessentibus. Hinc tres Regulas ad suspensionis effectus dignoscendos tradiderim. Prima sit suspensionem ab inferiori ordine Superioris exercitium, qui cum eo necessariò connexus fuerit, etiam prohibere. Secunda suspensionem ab ordine Superiori inferiorem non repellere. Tertia suspensionem ab actu determinato ab alijs haud necessariò connexis non suspendere.

*Exprime*

Exprime secundam speciem principalem suspensionis, quæ est à Beneficio. Suspendio à Beneficio privatio est vsus iuris ad temporarium emolumentum percipiendum. Unde non vsu & potestate, sed legitimo tantum vsu privatur; nec obligationem aufert officium exercendi. Si suspensus vnum tantum habeat Beneficium, ab eo tantum suspensus erit; si plura; à pluribus, etiam à Pensionibus, quæ spirituali titulo tribuuntur. *Quidnam per fructus temporales intelligitur?* Omnes redditus, qui ratione Beneficij percipiuntur; etiam quotidianæ distributiones; non autem aliæ voluntariè à fidelibus propter opera personalia tributæ. Privat etiam iis, quæ ad percipiendos, vel augendos fructus ordinantur, v.g. Beneficij locationes, venditiones fructuum, & ipsa Beneficij administratio. *De huius extensione, & duratione quid?* Suspendio hæc ad omnia loca se extendit, in quibus Beneficia existunt; & si simpliciter lata sit, semper durat, donec per absolutionem auferatur. *Privat ne omnibus fructibus percipiendis?* Minimè, sed iis tantum, qui à tempore, quo suspensio lata est, percipiendi erant. *Suspendio fit solum ex Beneficij parte.* Vno, vel quibusdam tantum Beneficiis privat, vel etiam tantum parte aliqua fructuum. *Alendus ne suspensus à Beneficio fructibus eiusdem?* Si pro contumacia lata sit suspensio, alendus non est; si pro pœna, potest alii, quantum ad commodam satis sit sustentationem. *Impedit ne suspensio à Beneficio novam Beneficij collationem?* Si lata sit simpliciter, impedit, non autem quæ esset limitata, hoc est, à Beneficiis, quæ obtineret.

C A P V T II.

De causis suspensionis.

**C**edo causam subiectiuam suspensionis. Tantum est persona Clerici, siue sit priuata, vt simplex Sacerdos, &c. Siue publica, vt Episcopus, & Cardinalis:

34.

Causæ

suspensionis.

472 *Moralis Theologiae Tract. IV. Censura,*  
siue singularis: siue vniuersalis, vt communitas, & Ca-  
pitulum.

*Causa dispositiua quenam?* Si suspensio fertur ratione  
Censuræ debet esse culpa aliqua grauis, vel leuis pro  
suspensionis qualitate; si verò in vindictam, potest ferri  
sine culpa suspensi, sed non sine causa.

*Causam formalem aperiri.* In suspensione iuris exiguntur  
tantum legis verba, quibus sufficienter significetur, ta-  
lem poenam ipso facto incurrendam imponi. In su-  
spensione autem ab Homine tum propria admonitio,  
tum verba determinata, quæ suspensionis speciem signi-  
ficent, tum denique denunciatio eius requiritur.

*Causam auferentem assigna.* Quando suspensio lata est ad  
tempus determinatum, solo temporis lapsu tollitur.  
Quando in perpetuum, vel dispensatione, vel absolu-  
tione opus est. Porro si de ordinaria potestate sit sermo,  
ab auctore tantum Canonis potest auferri. *Quid si lata sit  
ob contumaciam?* Si à iure, tunc non reseruata à quolibet  
ordinario absoluitur: reseruata tantum ab auctore,  
vel Superiore eius; si ab Homine, eodem modo tan-  
tum auctor, vel Superior absoluit. *Formam absolutionis  
describere.* Illa potest usurpari: *Ego te absoluo à vinculo suspen-  
sionis, quam incurristi ob talem causam, & restituo te executio-  
ni tuorum Ordinum, vel Beneficiorum, vel officiorum, &c. in  
nomine Patris, &c.*

### C A P V T III.

*De suspensi peccatis, & irregularitatis  
contractione.*

35.  
Peccata  
suspensi,  
& irregu-  
laritas.

**S**uspensi obligationes ediffere. Si suspensus ab officio actum  
aliquem Ecclesiastici officij exerceat, mortaliter pec-  
cat ex genere suo. Item mortaliter peccat suspensus à  
Beneficio, si notabile aliquid ex Beneficij fructibus ca-  
piat,

piat, vel actionem aliquam ad illius administrationem pertinentem exerceat. Ex occultis actionibus prohibitis (non solum ex publicis) incurrit suspensionem. An validi actus ordinis, quos suspensus exerceat? Semper validi sunt, si iurisdictionem non requirant, siue sit occultus, siue publicus: si verò sint actus solius iurisdictionis, in occulto suspenso validi, in denunciato irriti sunt.

Quid si suspensus ab officio sese in actibus ordinis, ante absolutionem exerceat? Irregularitatem incurrit, etiam si Minorum ordinum actus sint, modò solemniter fiant. Nec refert, an actus competant ordini iure diuino, vel humano.

Si suspensus à Pontificalibus, actus Episcopi proprios exerceat? Irregularitatem contrahit, siue cum Pontificali apparatu, siue absque illo eos exerceat.

Ita ne qui suspensionem in actibus iurisdictionis violat? Minimè; nam præter culpam, alia ei poena inflictâ non est.

Suspensus quis est ab Ecclesiæ ingressu. Si celebret in ea, etiam si potiùs interdicti quaedam species sit, sit irregularis, siue consecrata, siue tantùm sit Ecclesia benedicta.

Ob delictum aliquod quis in ipsa ordinatione commissum suspensionem incurrit. Etiam si ordinem illum in ipsa ordinatione ministret, ex probabiliore sententia irregularitatem non incurrit.

Incurrit ne illam, qui suspensionem etiam in puram poenam inflictam violat? Incurrere assero cum Filiius.

C A P V T I V.

De omnibus suspensionibus in particulari.

Catalogum omnium suspensionum effinge, gratia memorie. Profectò & contra Episcopos, & contra Capitula, & contra Religiosos, & contra Clericos plures

474 *Moralis Theologia, Tract. IV. Censura,*  
Censurae contorquentur, numero quidem quinque su-  
per septuaginta.

*Contra Episcopos quotnam?* Viginti & quatuor. 1. contra conferentes Ordines simoniace. 2. contra conferentes suspenso propter malam promotionem. 3. contra ordinantes Religiosum non professum. 4. contra ordinantes accepto iuramento, quod non molestabuntur super eorum prouisione. 5. contra ordinantes Monachum sine licentia Abbatis. 6. contra non promulgantes Concilium prouinciale toti dicecesi. 7. contra intromittentes se in causis spectantibus ad Episcoporum electionem. 8. contra submittentibus laicis bona Ecclesie sine debito consensu. 9. contra occupantes bona vacantium pertinentium ad eorum prouisionem. 10. contra ingredientes Monasteria Monialium sine necessitate. 11. contra non visitantes limina Apostolorum tempore prescripto in Sixti V. constitutione. 12. contra publicantes populo indicem casuum. 13. contra non facientes comburi libros Talmud. 14. contra negligentes procedere aduersus Simoniacos. 15. contra relaxantes incendiariis poenam in iure expressam. 16. contra concubinarios a Synodo admonitos, & non se emendantes. 17. contra promotos a Sede Apostolica, sine literis authenticis eiusdem. 18. contra non seruantes Extrau. 2. de electione, quoad perceptionem fructuum primi, vel secundi anni. 19. contra delinquentes aduersum Clericorum immunitatem, 20. contra abutentes munere Inquisitorum in causa fidei. 21. contra fouentes vsuras, locando suas domos. 22. contra admittentes resignationes aduersus formam prescriptam in constitutione, *Quanta*. 23. contra alienantes bona Ecclesie ultra biennium. 24. contra male vtentes delegata potestate, in causa alienationis.

37.  
*Contra*  
*Capitula.*

*Quotnam contra Capitula?* Quatuor reperio. 1. Si dilapident bona relicta, vel obuentionia tempore vacationis. 2. Si recipiant Praelatos promotos in Curia, absque literis Papae. 3. Si petant in receptione ad Religionem,

nem, aut post illam, pastus, prandia. 4. Si non seruent contenta in constitutione, Quanta Pij V.

*Aduersum Religiosos quotnam suspensiones collegisti? No-*  
uem. 1. contra Apostatas, in apostasia ordines reci-  
pientes. 2. contra recipientes ad professionem ante  
probationis annum. 3. contra Superiores conceden-  
tes redditus Ecclesiarum alicui ad vitam. 4. contra  
vſurpantes decimas sibi non conuenientes. 5. contra  
non vtentes habitu, & vestitu, modo ipsis præscripto.  
6. contra Superiores, ad quos occasione excessuum suo-  
rum aliquid peruenerit. 7. contra introducentes mulie-  
res in Monasteria. 8. contra non professos recipientes  
ordines sacros. 9. contra non facientes conscientiam  
pœnitentibus de soluendis decimis.

38.  
Contra  
Regula-  
res.

*Aduersam denique Clericos quotnam suspensiones? Triginta*  
& octo adnumerabo. 1. contra disputantes de Conce-  
ptione B. Virginis. 2. contra prouocantes ad duellum,  
vel acceptantes. 3. contra Simoniacos. 4. contra pu-  
blicos concubenarios. 5. contra Sodomiam exercentes.  
6. contra publicos peccatores. 7. contra raptores, vel  
præbentes auxilium raptui. 8. contra iurantes de te-  
nendo schismate. 9. contra occupantes bona, census  
&c. Ecclesiæ, Beneficij vel alterius pij loci. 10. contra  
conseruatores se intromittentes in aliis quàm de mani-  
festis iniuriis. 11. contra facientes in iudicio per sor-  
des aliquid contra iustitiam, vel conscientiam in gra-  
uamen partis. 12. contra conferentes Beneficia eo-  
rum, qui seruiunt in Curia, vel eadem recipientes.  
13. contra inferiores Episcopis non seruantes in visita-  
tione constitutionem Innocentij IV. 14. contra vtentes  
Ordine in loco interdicto, præter modum iure conces-  
sum. 15. contra tradentes sepulturæ publicos Vſura-  
rios. 16. contra Parochos non prohibentes matrimo-  
nia clandestina, vel contra interdictum Ecclesiæ ope-  
rantes. 17. contra alienis debitis grauantes Ecclesias  
sibi commissas. 18. contra electores Episcoporum non  
præsentantes electionem electo infra octo dies.

39.  
Contra  
Clericos.

19. contra eligentes indignum ad Episcopatum, vel Curatum. 20. contra consentientes electioni, per abusum secularis potestatis. 21. contra postulantes in Prælatum Cathedralis eos, qui prohibentur. 22. contra compromissarios eligentes indignum. 23. contra occupantes bona Prælati defuncti. 24. contra abutentes vestibus contra iuris statuta. 25. contra Parochos iungentes sponfos alterius Parochiæ sine licentia. 26. contra celebrantes coram excommunicato, vel interdicto. 27. contra recipientes ordines ab eo, qui Episcopatum renunciauit. 28. contra recipientes ordines ab alieno sine proprii licentia. 29. contra recipientes à proprio in aliena diocesi sine licentia. 30. contra recipientes ab excommunicato, vel suspensio. 31. contra recipientes ante legitimam ætatem. 32. contra recipientes extra tempora sine dispensatione. 33. contra recipientes, non seruatis interstitiis. 34. contra ordinatos falso titulo. 35. contra promotos per saltum. 36. contra recipientes ordines post matrimonium ratum, etiam non consummatum. 37. contra recipientes ordines, si sint excommunicati, suspensi, vel interdicti. 38. contra recipientes ordines cum literis Capituli Sede vacante infra annum.

---

CAPVT V.

*Praxis circa prædicta ex Societatis*

IESV schola.

40. *De suspē-  
sione va-  
ri casus.* **Q**ueisnam in casibus præterea iudex Ecclesiasticus sit suspensus aperi. 1. Si ferat sententiam excommunicationis non præmissa trina admonitione, coram idoneis testibus. 2. Si sententiam excommunicationis, interdictive ferat, non expressa causa, ob quam fertur. 3. Si contra conscientiam, vel iustitiam in iudicio

cio aliquid faciat per gratiam vel fortes in grauamen partis alterius ; & est suspensus per annum. Sic *Busæus*.

Potest ne iudex, vel Episcopus, qui tulit suspensionis censuram ex iusta causa illam suspendere ad tempus? Potest, & concedere celebranti, vt tunc temporis non incurrat irregularitatem; quia Censura non ligat vltra iudicis intentionem.

Quidnam faciendum de fructibus suspensæ Beneficio? Conuertendi in Ecclesiæ vtilitatem (detractis iis, qui substituto ad inseruiendum traduntur) distributiones verò pro eo tempore, quo Clericus eas non lucratur, aliis tradendæ Clericis, qui diuinis officiis interfunt. Sic *Molina*.

Iniuste quis ab officio suspenditur; potest ne distributiones recipere? Possè existimo cum *Auila*, saltem si ante suspensionem chorum consueuerat frequentare.

Petens Sacramentum à Sacerdote suspensò ab officio, sed nondum denunciato, peccat? Minimè; quia cooperans, & communicans cum suspensò tolerato, seu nondum denunciato iis in actibus iurisdictionis, & officij, à quibus est suspensus non peccat mortaliter *Auila* auctore.

Acta ne per. suspensum, qui non est nominatim denunciatus, valida sunt? Valida *Pallao* asserit. Secus dicendum de actis nominatim denunciati, nisi titulus coloratus, aut communis error adestet.

Quid absolutè suspensus? Ex *Sanctio* respondet suspensum absolutè intelligi ab officio ordinum, & Beneficio, non autem ab auditione diuinorum, aut sepultura.


Quando quis propriè suspensus non est? Asserit *Saa* suspensum per non habentem iurisdictionem Ecclesiasticam exteriorem non esse propriè suspensum, sed prohibitum; item eum, qui solo verbo suspenditur, non scripto; vel qui ab officio non propriè Ecclesiastico.



*Suspensum me esse ab ingressu Ecclesiae, quid significat? Solum prohiberis in Ecclesia celebrare, & diuinis officiis interesse. Vnde potes in ea orare, & Sacramenta recipere, & iurisdictionem exercere, & sepeliri decedens cum poenitentiae signis, & extra celebrare, scilicet in loco non designato per Episcopum in perpetuum ad celebrandum. Saa sic ex Sayro.*

*Num suspensionis sententia, eiusque effectus per sequentem appellationem suspendatur? Minimè; quia Censura Ecclesiastica trahit secum executionem, ut dicitur in cap. Pastoralis.*

*Certus sum, me non peccasse: incido ne in suspensionem? Minimè; quia nunquam imponitur ab Homine sine culpa saltem veniali; nec à iure aut ab Homine ob contumaciam, nisi ob mortalem, Emanuele Saa auctore.*



## E X A M E N IV.

Circa materiam de Censura interdicti.

---

### CAPVT PRIMVM.

*De interdicti essentia, diuisione, causis,  
& relaxatione.*

41.  
*Interdictum.*



*Vid est interdictum? Ecclesiastica Censura priuans usu quarundam diuinarum rerum, quatenus fidelibus is usus communis est.*

*Quotuplex sit? Triplex, Locale, Personale & Mixtū, siue utrunque simul, hoc est cum interdicitur locus, cum interdicitur persona, & cum tam locus quam persona interdiciuntur. Porrò interdictum locale, ac Personale tum generale, tum speciale esse potest.*

*Interdictum*

*Interdictum locale fufius exprime.* Ciuitate aliqua interdicta, etiam suburbia & continentia ædificia debent intelligi. Et si generale fit, etiam Ecclesia exempta à iurisdictione eius qui interdictum tulit, interdicta censetur, sese Ecclesiæ totius menti templo omni accommodate in supplicium delinquentium. Si autem speciale, Capellas omnes eiusdem Ecclesiæ, & contiguum cœmeterium comprehendit.

*Personalis interdicti propria aperi.* Si generale fit, singulæ personæ quæ communitatis illius, in quam fertur, partes sunt, interdictæ manent. Interdicto populo, etiam habitantes in subvrbis, si populi partes sint, interdicti intelliguntur. Interdicta familia Principis, etiam Clerici, si qui in familia essent, sunt interdicti. *Interdicto populo, Clerus ne comprehenditur?* Non; nec interdicto Clero censentur interdictæ Religiosæ personæ, quæ Regulares propriæ dicuntur; quia nec Clericalis status cum seculari, nec Regularis cum Ecclesiastico confundendus est, præcipuè in odiosa materia. Si autem interdictum fit speciale, in eo quidam generaliter interdicti sunt, qui scilicet illius populi pars sunt, & interdicto causam non dederunt; quidam verò specialiter, qui culpabiles sunt, & interdicto causam exhibuere.

*De mixto quid dicendum?* Ex interdicto generali loci non necessario generale personale, nec è contra inferitur; idèmq; de interdicto speciali dici potest. Nec ex interdicto personali speciali non inferitur interdictum locale speciale. Contra verò interdictum locale speciale necessario personale speciale semper inferit: sicut etiam locale generale semper speciale personale comprehendit.

*Quinam interdicti lator?* In totam Ecclesiam à Papa, vel generali Concilio Sede vacante ferri potest. In Dioecesim ab Episcopo, In specialem locum aut personam Ordinarius. Porro vt in totam Ecclesiam feratur interdictum iusta causa moraliter assignari non potest. Personale in quamlibet personam



480 *Moral. Theologia Tract. IV. Censura,*  
personam ferri potest, si iurisdicção, & iusta causa concurrant.

*Ob quamnam culpam interdictum detorquetur?* Personale quidem propriam supponit culpam generale grauiorem. Locale verò si generale sit, grauem culpam & aliquo modo publicam exigit; si speciale, minorem, & non ita communem.

*De causa auferente interdictum, de eiusdemque relaxatione differre.* Si interdictum in puram poenam latum sit, solubile est à Superiore habente ad id facultatem, si absque limitatione latum sit; si autem sit latum cum temporis determinatione, eo elapso cessabit. Profectò si latum sit in contumaciam, siue absolute, siue cum conditione, si satisfaciat, absolute opus est. Interdictum locale si generale sit, ciuitatis destructione non tollitur; si speciale, eodem modo; quia semper remanet solum, in quo diuina fieri prohibitum est. At personale, dissoluto populo, vel communitate, sublarum est; quia de subiectiua causa interdicti nihil remanet. *Personaliter & specialiter interdictus in vo moritur.* Et si poenitens moriatur, absoluendus tamen post mortem indirectè est, vt viuentes illius possint corpus sepelire. *A quonam absoluendus, qui per sententiam particularem ab Homine esset interdictus?* Ab eo solo, qui tulit, vel à Superiore eius est absoluendus. *Interdictum locale est à iure.* In poenam latum si fuerit, regulariter ad certum tempus fertur; ideo eo elapso, per se finitur. Si antè tollendum sit, non nisi per conditorem iuris, vel Superiorem tollendum est. Idem assero, si absque temporis limitatione sit latum. Si verò in contumaciam sit latum tunc si reseruatum est, à solo reseruatore, eiusque Superiore soluitur; si non est reseruatum, tunc locale à solo Episcopo loci soluitur: personale eodem modo solus ordinarius tollit Episcopus. Si verò speciale, quilibet potest, qui ab excommunicatione soluit nemini reseruata.

## CAPVT II.

## De Interdicti effectibus.

**I**nterdicti effectus recense. Tres quidem sunt, Sacramentorum scilicet, Officiorum diuinorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ priuatio.

42.  
Effectus  
interdi-  
cti.

*Primum effectum explana.* Primus effectus interdicti est eorum Sacramentorum priuatio, quæ iure excepta non sunt. *Quenam autem sunt iure excepta Sacramenta?* 1. Baptismus exceptus est, etiam si solemniter conferatur. 2. Confirmatio. 3. Pœnitentia iure antiquo solis ægrotantibus concedebatur: at nouo cap. *Alma mater* etiam sanis quibuscunque permittitur, modo specialiter interdicti non sint, aut excommunicati. 4. Communio per modum viatici conferri potest; is tamen qui personaliter speciatim esset interdictus, ante Eucharistiam satisfactionem præmittere debet, & ab interdicto absolui. Porro extra mortis articulum conferri non potest. Scio probabiliter dari posse Clericis iis, qui diuinis officiis possunt interesse. 5. Extrema-unctio tempore interdicti absolutè est prohibita: vt etiam Ordo, & Matrimonium. Verùm Matrimonium sine solempni benedictione permitti posse probabiliter defendo. *Quodnam peccatum, in materia Sacramentorum interdictum violare?* Mortale crimen est, & Clerici si illud in ministerio Sacramentorum violent, fiunt irregulares. Religiosi verò & Moniales si generale interdictum non seruent, ipso iure sunt excommunicati.

*De secundo interdicti effectu differe.* Secundus effectus diuinorum officiorum priuatio est. Antiquo iure Missa singulis hebdomadis, ad Eucharistiam pro infirmis conficiendam, in Ecclesiis singulis permittebatur: Horæ Canonicæ in Ecclesia à binis vel ternis submissa voce, ianuis clausis & excommunicatis exclusis, poterant recitari. Nouo autem iure tempore interdicti localis genera

482 *Moralis Theologiae Tract. IV. Censurae,*  
generalis, vt in singulis diebus Missæ celebrari possint,  
concessum est, & alia diuina officia sicut prius, campa-  
nis tamen non pulsatis. Laici, qui nec excommunicati,  
nec interdicti specialiter sunt ab officiis diuinis exclu-  
duntur; nisi priuilegio fruantur. Quod si locale interd-  
ctum speciale sit, tantum priuata Missa semel in hebdo-  
mada, vt olim, dici poterit, si modò Ecclesia illa talis sit,  
vt in ea pro infirmis Eucharistia asseruetur. Personæ in-  
terdictæ siue generaliter, siue specialiter, in nullo loco  
celebrare, vel assistere sacro possunt, exceptis Festiuita-  
tibus quatuor Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, &  
Assumptionis Deiparæ. *Potest ne interdicti Sacerdotis Missa  
exaudiri?* Potest, etiamsi nominatim sit interdictus, mo-  
dò ad eam faciendam cooperatio vitetur. *Quenam igitur  
diuina officia prohibentur?* Omnia illa, quæ substantialiter  
diuina sunt, & non nisi ab Ecclesiæ ministris exercen-  
tur. Vnde affirmo generalem confessionem, Angelicam  
salutationem, benedictionem mensæ, Crucis adoratio-  
nem priuatam, officia recitari solita à confraternitati-  
bus, animæ commendationem, prædicationem, purifi-  
cationem mulierum post partum, & similia officia per-  
mitti tempore interdicti. *Quodnam peccatum est interdi-  
ctum in diuinorum officiorum materia violare?* Mortale qui-  
dem ex genere suo in Ecclesiasticis, & laicis. Ecclesiasti-  
ci autem præterea si proprium ordinis actum exer-  
ceant, incurrunt irregularitatem, & electionis passiue  
priuationem.

*Tertium denique interdicti effectum euoluat.* Tertius effectus  
Ecclesiasticæ sepulturæ priuatio est. Per interdictum  
generale loci prohibitum est, ne quis in eo loco Eccle-  
siasticæ sepulturæ amandetur, nisi per priuilegium à iu-  
re, vel ab Homine sit exempta persona. *Num Clerici eidem  
iuri subiacent?* Clerici, qui seruarunt interdictum, nec  
illi causam dederunt, in Ecclesiis sepeliri possunt anti-  
quo iure, cum silentio; nouo, cum officio etiam adhibi-  
ta moderatione cap. *Alma mater.* *Priuilegiatus quis est ad  
diuina: potest ne consequenter Ecclesiastica sepultura frui?*  
Non

Non hoc ipso in sacro loco ex probabiliori sententia potest tumulari. *Vbinam laici sepeliendi tempore interdicti?* In cœmeterio per Episcopum deputato, non tamen benedicto, postea quidem transferendi in Ecclesiam interdicto cessante, modò pœnitentes decesserint, qui culpabiles fuerant. Porro quæ dixi in generali interdicto, potiori iure in speciali procedunt. *Quid si interdictum sit personale?* Si speciale, certum est eas personas sic interdictas Ecclesiastica sepultura priuatas esse. Si generale, probabile est in sacro loco eas posse sepeliri. *Interdicitur ingressus Ecclesiæ.* Ad officia tantùm diuina participanda ingressum prohibitum esse reor, inter quæ etiam Ecclesiasticam sepulturam contineri Filiolius affirmat. *Quodnam peccatum est in hac materia interdictum violare?* Ex suo genere lethale peccatum. Vnde pœnam excommunicationis etiam incurrunt, qui aliquem in loco interdicto sepeliunt,

*De interdicti suspensione quid?* Tribus modis suspenditur. 1. Generali priuilegio, vt in Natali Domini, Paschate, Pentecoste, Assumptione Deiparæ, Festiuitate Corporis Christi & per totam octauam, Festo Conceptionis B. Virginis, & per totam octauam in Hispania. 2. Particulari priuilegio suspenditur à Sede Apostolica multis, Religiosis concessio. 3. Per iudicis sententiam, v.g. Papæ, Legati à latere, Episcopi, si à se latum sit, & inferiorum etiam Prælatorum eodem modo.

### CAPVT III.

#### De interdictis in particulari.

**Q**uotnam in casibus interdictum locale generale à iure latum est. Septem. 1. Si rector ciuitatis, vbi moritur Pa-  
pa non faciat contenta cap. vbi periculum de elect. in 6. Et in  
2. Si Dominus terræ iniuriosè Episcopum percutiat, particu-  
vel percuti mandet. 3. Si Legatum vel Nuncium lat.

Hh

Apqsto

484 *Moralis Theologiae Tract. IV. Censura,*  
Apostolicum in suo impediatur officio. 4. Si personæ  
Ecclesiæ manifestis vsurariis domos concedant. Post  
mensē enim, in quo percussi sunt excommunicatio-  
ne, ipsorum terræ sunt interdictæ. 5. Si ciuitas exigat  
gabellas à personis Ecclesiasticis de rebus ipsarum ex-  
portandis. 6. Si consentiat Cardinalis neci, vel infra  
mensē non puniat in eo delinquentes. 7. Si Episco-  
pum iniuriosè bannierit occiderit.

*Locale speciale quoniam in casibus incurritur?* Tribus. 1. Si  
in eo loco per vim Episcopus detineatur. 2. Si Clerici  
non restituerint infra dies decem funerals Ecclesiæ, in  
qua de iure sepeliendus erat is, quem induxerunt ad vo-  
uendum, ut eligeret sepulturam in sua. 3. Si hæreticus  
scienter in Ecclesia sepeliatur.

*Interdictum autem personale generale quoniam in casibus in-*  
*curretur?* Nouem. 1. Si vniuersitates alienigenis vsura-  
riis habitationem concedant. 2. Si concedant repres-  
salias, vel extendant contra Clericos. 3. Si Ecclesiasti-  
cis decimas imponant, vel ab iis exigant. 4. Si resistant  
statuti Papæ circa Episcopatus Tolosani diuisionem.  
5. Si non seruetur constitutio Ioannis XXII. circa  
Beneficiorum vacantium fructus. 6. Si à sententiis Pa-  
pæ ad futurum Concilium appellauerint. 7. Si Capi-  
tulum infra annum dimissorias concedat. 8. Si ab Ec-  
clesiasticis exigant tributa. 9. Cum ob crimen Vniuer-  
sitarum interdictum locale generale fertur.

*Quoniam denique casibus interdictum personale speciale in-*  
*curretur?* 1. Incurrit iudex Ecclesiasticus ferens Cen-  
suram contra cap. *Medicinalis*. 2. Recipiens digni-  
tatem de manu laici. 3. Vsurpans de redditibus va-  
cantis Ecclesiæ. 4. Episcopus vel Abbas alienans  
bona Ecclesiastica contra Paulinam. 5. Violantes  
interdictum locale ab Homine, vel à iure. 6. Præ-  
lati in visitatione vltra concessa recipientes. 7. Iu-  
dices Ecclesiastici priuantes Curiales Beneficiis. 8. Su-  
periores vsurpantes bona nonnullarum vacantium  
Ecclesiarum. 9. Clerici in Sacris, qui iacent in fornicationis

tionis crimine. 10. Prælati commentaria in Tridentinum edentes.

C A P V T I V.

Praxis circa præfata ex Societatis  
IESV schola.

**Q**uandonam obligat interdictum? Respondeo ex Fillio- 44.  
tio interdictum locale generale non obligare an- De inter-  
tequam denunciatur, sicut nec speciale respectu habito dicto va-  
ad specialem locum. Personale si generale sit satis esse ria.  
iudico contra talé communitatem esse denunciatum, &  
evidenter constare, talem personam de ea esse commu-  
nitate. Speciale autem statim obligare personam, in  
quam fertur: alios tamen ad eam personam vitandam non teneri, antequam interdictum sit denun-  
ciatum.

Tenetur ne interdictum servare ipse qui posuit? Maximè,  
alioquin poena illigatur, nisi sit Summus Præsul, aut nisi  
secum dispenset, Saa assertore.

Interdictum non denunciatum servandum ne est? Minimè;  
denunciandum est enim contra certum locum, aut per-  
sonam. Nec potest quis denunciari interdictus sine ci-  
tatione. Capitulum, aut populus est. Licet hic & illud  
sit denunciatum interdictum non sufficit, ut ideo sin-  
guli denunciati censeantur. Sic Saa ex Navarro.

Tenet ne interdictum post appellationem positum? Non te-  
nere ex Saa affirmo, quia iam illius causæ iudicium ad  
Superiorem transit.

Potest ne Episcopus relaxare interdictum iuris? Si non sit  
huiusmodi interdictum ad certum tempus, nec reser-  
vatum relaxari poterit ab Episcopo. Imo quiuis Præla-  
tus quantum ad subditos idem præstare poterit, eodem  
auctore.



*Quinam ab interdicto generali personali aut locali eximantur? Interdictis Clericis, non includuntur Religiosi; quia ordinis alterius. Interdicto loco, non includuntur in ea causa minimè culpabiles; quia interdicti Censura culpam torquet. Interdicto populo, non includuntur doli incapaces; quia innocentiam Censura non vexat; tamen in communem vindictam sepultura hi prohibentur. Consequenter assero eum, qui in populo interdicto sine culpa interdicti est, posse alibi, si absit scandalum, & celebrare, & officia diuina exaudire. Ex *Saa* doctrina.*

*An interdicta tota diocesi, aut omnibus ciuitatis Ecclesiis Cathedralis includatur? Minimè, nisi specialis fiat illius mentio; quia in odiosis sub communi nomine non venit.*

*Prohibetur ne interdicti tempore Eucharistia ministratio eis, qui ad assistendum diuinis officiis priuilegiati sunt? Non prohiberi Toletus affirmat.*

*An possit in Ecclesia particulariter interdicta aliquod aliquando officium celebrari, aut ministrari Sacramentum? Respondeo cum *Toleto* celebrari posse ad renouandum Sacramentum, vel dandum infirmo clausis tamen ianuis: & dari absolutionem pœnitenti, & dici officium à duobus vel tribus, sine animo tamen officandi.*


*Licet ne tempore interdicti etiam specialis communio Clericorum & Religiosorum, aut Ordinis ministratio? Assero ex *Toleto* licere quidem Clericorum ac Religiosorum communionem, non autem ministracionem, nisi Episcopus possum à se interdictum suspendat.*

*Quidnam possunt priuilegiati interdicti tempore? Respondeo ex eodem *Toleto* priuilegiatos ad diuina officia, quales Clerici & Religiosi, posse sepeliri in Ecclesia etiam specialiter interdicta, si alia desit, aut ea sit propria; posse & ad diuina familiares vel domesticos admittere; & qui potest celebrare, posse sibi ministrum quemuis non priuilegiatum adiungere.*

*Quid*

Quid si Sacerdos admittat interdictum? Si scienter admittit, alij exire non tenentur. Porrò Sacerdoti huiusmodi interdictus est Ecclesiæ ingressus vsque ad satisfactionem, Saa collectore.

Si contemptus adsit, est ne mortalis interdicti violatio? Afferit Saa quosdam negare esse mortalem culpam deficiente contemptu, & scandalo. Quoad laicos commune à Doctoribus id censetur, quoad Clericos autem mortale crimen affirmo, quando vt Clerici violant.



E X A M E N V.

Circa materiam de Pœna cessationis à Diuinis, Depositionis, ac Degradationis.

C A P V T P R I M V M.

Quidnam, & quotuplex cessatio à Diuinis.



Quid est à Diuinis cessatio? Simplex prohibitio Diuinorum in aliquo loco, imposita in signum afflictionis Ecclesiæ, & vt generale quoddam ipsius grauamen.

45.  
Cessatio à Diuinis:

Quotuplex illa? Duplex, vna generalis, qua prohibentur diuina in loco vniuersali, v.g. Regno, ciuitate; altera particularis, qua in loco particulari, v.g. in vna Ecclesia prohibentur.

Est ne Censura? Minimè; sed per modum simplicis prohibitionis fertur, & comminatoriè tantum.

Causam huiusce pœne efficientem assigna. Papa, Episcopus, & Capitulum Sede vacante possunt imponere cessationem; nam cessatio pertinet ad forum contentiosum, cui præest Papa, & Episcopus. Concilium item Prouinciale, & Dioecesanum potest cessationem imponere.

*Formam imponendi cessationem assigna. Hæc esse potest. Nos ob talem causam civitatem, vel Ecclesiam à Divinis officiis præcipimus abstinere.*

*Quenam condiciones in ferenda cessatione asseruanda?*  
 1. Delictum sit manifestum, & notorium. 2. Admonetur is, ob cuius culpam ferenda est cessatio. 3. Pareat, & satisfaciat, nisi ferens cessationem, & ille contra quem fertur, intra mensem se componant, & adeant Pontificem summum per se, vel Procuratorem. Porro qui cessationem tulit, potest transacto mense, postquam iter ad summum Præsulem suscipit, tollere cessationem.

*Causam exhibe cessationis materialem. Proxima quidem, ob quam cessatio imponitur, est delictum, & culpa manifesta, quæ grauis valde debet esse, & grauior eâ, ob quam ponitur interdictum.*

*Finis quinam? Remotus finis cessationis est reformationis, & emendatio illius, cuius causa lata est cessatio.*

## C A P V T II.

### *De cessationis effectibus.*

46.  
*Cessationis effectus.*

*Quinam sint effectus cessationis? An officia eo tempore recitari possint? Tempore cessationis tam generalis, quam particularis à diuinis officiis publicè recitandis, vt ab Horis Canonicis abstinetur. Item à Missa publicè celebranda, etiam si moderatio seruetur.*

*Num Sacramenta conferri valeant? Sacramentum ordinis cessationis tempore, aut Extremæ-vnctionis nec laicis, nec Clericis conferuntur. Porro alia Sacramenta, præcipuè Baptismus conferenda sunt, ob illorum necessitatem. Quid de Matrimonio? Licitum non videtur illud contrahere, nisi in articulo mortis ad legitimationem prolis, aut ad fœminæ alicuius nobilis decus necessaria*

necessarium esset, dum non facillè dispensatio esset adquirenda.

*Quidnam de sacra sepultura? Cessatio priuat laicos sepulturâ sacrâ saltem quoad diuina officia, etiam quo ad eos, qui habent sepulturæ priuilegium tempore interditi.*

*Quàm grauis est cessationis violatio? Violans eam grauius peccat, & irregularitatem, vel excommunicationem incurrit. Teneatur ne ad aliquam satisfactionem is, cuius causa cessatio lata est? Teneatur quidem ad faciendâ omnia damna Clericis, qui seruare cessationem coacti sunt; & distributiones amiserunt, vel alia damna subigere.*

### C A P V T III.

#### *De Pœna Depositionis, & Degradationis.*

**Q***uid est Depositio? Propriè accepta pœna quædam* 47.  
est Ecclesiastica, quæ Clericus munere Clericali *Depos-*  
priuatur, officio videlicet, & Beneficio absque spe *itio, &*  
restitutionis, & cum quadam verborum solemnitate. *Degradat-*

*Degradatio autem quidnam? Est Clericalis priuilegij*  
priuatio facta post Depositionem, adiuncta reali actio-  
ne & cæremonia per Canones instituta. Igitur Deposi-  
tioni addit Degradatio ipsam verborum executionem,  
quod enim in Depositione verbis innuitur, in Degradat-  
ione actione ipsa executioni mandatur.

*An Depositio, aut Degradatio Censuræ sint? Minimè; quia*  
sunt pœnæ iure ordinario irremissibiles; Censuræ au-  
tem per absolutionem remittuntur.

*Priuat ne Depositio ipso facto Beneficiis? Depositio ab of-*  
ficio, si lata à iure sit, non priuat ipso facto Beneficiis  
iam possessis: at si ab Homine, priuat etiam Bene-  
ficiis.

*A quonam faciendâ aut Depositio aut Degradatio? Si ver-*  
balis sit, hoc est, Depositio, à proprio Episcopo electo,

490 *Moral. Theolog. Tract. IV. Censura,*  
& confirmato facienda est; si autem sit actualis, hoc  
est, Degradatio, ab Episcopo consecrato. Num ab alieno?  
Ita planè de licentia proprij.

*Quæstionem in casibus sit Depositio?* Solùm in casibus à  
iure expressis, & aliis grauioribus delictis arbitrio Ec-  
clesiastici iudicis. *Degradatio autem?* Solùm in casibus,  
quibus post illam seculari brachio Clericus traditur.

## C A P V T I V.

*Praxis circa præfata ex Societatis  
IESV schola.*

48. **P**onitur ne à iure cessatio à Diuinis? Nunquam poni Tole-  
tus affirmat.

*De cessa-  
tione à  
Diuinis  
varij ca-  
sus.* *Potest ne tempore cessationis officium gregatim recitari?* To-  
letus asserit posse extra Ecclesiam dici officium à duo-  
bus vel tribus sine animo officianti.

*An sit cessatio à Diuinis Censura?* Filliutius affirmat  
Censuram non esse, nec eius violationem irregularita-  
tem inducere.

49. **D**epositus ne amittit priuilegium Clericale? Respondeo  
ex Toletis priuilegium fori, & Canonis retinere.

*De De-  
grada-  
tione.* *Ob quam crimina sit Depositio?* Depositione digna  
sunt stuprum, Incestus, Adulterium, & omnia Adulte-  
rio maiora, Furtum, Periurium, Homicidium etiam solo  
consilio, vel scortatione factum, & omne crimen indu-  
cens irregularitatem, aut enorme iudicis arbitrio. Sic  
ex Toletis & aliis *Saa*


*Potest ne Depositus per Episcopum, restitui?* Possè ab eo-  
dem Episcopo restitui *Saa* affirmat. Addunt tamen Do-  
ctores, nisi ob crimen sit adulterio maius, nec ad Degrada-  
tionem pertigerit verbalis Depositio. At tamen De-  
positi non assolent ad Clerum restitui.

*Quæstionem de causis quis degradatur, ita ut Curia seculari  
tradatur?*

radatur ? Tribus fermè. 1. Ob hæresim pertinacem. 2. Ob adulteratas literas Apostolicas. 3. Ob calumniam, vel contumeliam proprio Episcopo illatam, si post admonitionem, id est, punitionem contumacia, & incorrigibilitas accessit. Addo ex Doctoribus meis Degradationem præterea locum habere in homicidio iterato, parricidio, & homicidio Sacerdotis proditoriè facto, cum spoliatione bonorum, & in aliis grauissimis delictis.

Quæsnam priuatus est Degradatus ? Executione ordinis, & Beneficio, & priuilegio Clericali. Vnde potest per iudicem secularem puniri, nec qui eum percutit excommunicatus est. Profectò degradatus à solo Præsule summo restituendum esse affirmo.

Consecrat ne validè qui degradatus est ? Maximè ; quia per Degradationem characterem ordinis non amittit.



EXAMEN VI.

Circa materiam de Pœna Irregularitatis.

CAPVT PRIMVM.

De natura, institutione, & causis Irregularitatis.

**Q**uid est Irregularitas ? Canonicum impedimentum ex facto vel defectu proueniens, quod directè impedit susceptionem Ecclesiasticorum Ordinum, aut eorum usum. Colligo foeminam non esse Irregularè ; quia ordinum capax non est ; nec infidelem, qui nondum recepit Baptismum ; quia non baptizatus ordinis capax non est.

50.  
Irregularitas.

Efficientem Irregularitatis causam assigna. Sunt sacri Canones, seu potius Papa qui irregularitatem indixit,

H h 5 eamque

492 *Moralis Theologia Tract. IV. Censura,*  
eamque per sacros Canones expressit. Vnde Episcopus  
aut alius Summo Pontifice inferior haud potest ferre  
irregularitatem; quia ad ipsos non pertinet ius com-  
mune sancire. Negandum tamen non est Summum  
Præfulem posse per sententiam, seu ab Homine etiam  
irregularitatem nouam definire.

*Datur ne de facto vlla irregularitas; quæ scripta non sit?*  
Nulla adest quæ iure non sit expressa; vnde admittenda  
non est ob solam Doctorum authoritatem de consue-  
tudine testantium. Nec incurritur ob æquale, simile,  
aut maius delictum; quia iuri solummodo attenden-  
dum.

*Causam materiale irregularitatis exprime; seu potius sub-  
iectiuam.* Causa, in quam cadit irregularitas est omnis  
homo Ordinis capax, subditus iuri communi.

*Formalis causa quæ?* Verba irregularitatem exprimen-  
tia; v.g. *Nunquam ordinetur: Ad Clericatum non promouea-  
tur: Ad sacros ordines aspirare non audeat.* Hinc inuod  
differentiam irregularitatis à suspensione, quod ir-  
regularitas directè Clericatus & ordinum susce-  
ptione priuat. Suspendio verò ysu, & exercitiò ipsorum  
ordinum.

*Quamnam culpam irregularitas ex delicto punit?* Morta-  
lem quidem; nec probabile iudico eam posse pro ve-  
niali culpa ferri; quia improporcionata pœna delicto:  
Præterea actum exteriorem consummatum requirit;  
nec sufficit desiderium, vel attentatio; quamuis Ec-  
clesiam posse ob solam grauis delicti attentionem in-  
ducere irregularitatem existimo. Profectò non incurritur,  
quando interuenit ignorantia probabili; quia sicut  
huiusmodi ignorantia excusat à culpa, ita & à pœna.  
*An sufficiat actus internus?* Minimè; quia non subiacet  
Ecclesiæ potestati.

C A P V T II.

De effectibus irregularitatis, & eius dispensatione.

**Q**uot sunt irregularitatis effectus? Tres quidem, primus circa ordines, secundus circa Beneficium, tertius circa iurisdictionem.

§ 1.

Effectus irregularitatis.

Explica effectum irregularitatis respectu Ordinis. Præcipuus planè irregularitatis effectus est, ordinum susceptionem impedire. *Quid si suscipiat irregularis?* Mortaliter peccat, non tamen aliam pœnam ipso iure contrahit. *Impedit ne usum Ordinum susceptorum?* Impedit planè eodem modo, quo susceptionem. *Quisnam actibus non priuat?* Eis qui à laico possunt exerceri; nec aliis Sacramentis præter ordinem, aut recipiendis aut administrandis eo modo, quo per laicum fieret.

Expende effectum respectu Beneficij. Beneficio iam obtento ipso iure non priuat, nec ex vi irregularitatis ad Beneficium dimittendum oritur obligatio, antequam illo per sententiam priuatur. Nec etiam Beneficij fructibus nisi iis in casibus, in quibus vna cum irregularitate Beneficij quoque priuatio ipso facto annexa est, & ad criminis diem sententia retrahitur. Consequenter affirmo nec Beneficij administratione priuare.

Expone denique effectum irregularitatis respectu iurisdictionis. Non priuat iurisdictione fori contentiosi ex Beneficio proveniente, sicut neque aliis actibus, vt iure eligendi, vel electionem confirmandi. Iurisdictione equidem in foro pœnitentiæ non priuat; at vsu licito per se ipsum priuare certum est.

§ 2.

Quotnam modis in vniuersum potest irregularitas tolli? Tribus. Per Baptismum, per Religionis ingressum, & per Dispensationem.

Dispensatio irregularitatis.

Quamnam tollit Baptismus? Debet quidem omnem eam



494 *Moral. Theologiae Tract. IV. Censurae,*  
eam quæ provenit ex proprio delicto, aut ex Canonica  
infamia.

*Professio autem Religionis quammam abolet?* Professio in  
Religione approbata omnem eam, & solam aufert, quæ  
iure expressa est. Iure autem solum irregularitas ex de-  
fectu natalium expressa videtur.

*Dispensatio denique quammam tollit?* Quamcunque po-  
test tollere, modò fiat ab habente potestatem. *Causa irre-  
gularitatis cessat.* Dispensatio necessaria non est. *Aufertur*  
*lex, qua fertur irregularitas.* Aufertur & illa quoad eas irre-  
gularitates quæ adhuc contractæ non essent; quo ad  
contractas sine culpa etiam aufertur; quo ad eas au-  
tem, quæ contrahuntur ex delicto, probabilius est tolli,  
modò simpliciter abrogatio legis fiat.

*Quinam in irregularitate dispensant?* Ordinaria & uni-  
versalis dispensandi potestas in solo Summo Pontifice  
residet, iure quidem Divino. Episcopus in iis tantùm dis-  
pensat, quæ ipsi concessa esse noscuntur. Profecto de  
antiquo iure dispensat in ea, quæ continentur sub lege,  
in qua ipse potest dispensare: de nouo autem Triden-  
tini in omni ea, quæ ex occulto delicto procedit, præ-  
terquam homicidio voluntario, & aliis ad forum con-  
tentiosum deductis. *Quid si Episcopus irregularitatem con-  
traxerit?* *Quisnam cum eo dispensare potest?* Quoad irregu-  
laritates ipsi concessas dispensat is, cui vices suas ipse  
committit, & posset etiam ipse dispensare secum. Col-  
legium Cardinalium in ordine ad Pontificis electio-  
nem probabile iudico potestatem habere dispensandi.  
Capitulum Sede vacante in hac Episcopi potestate non  
succedit. Ex delegata potestate, iure quidem communi  
nullus potest; ex priuilegio verò illi poterunt, quibus  
id concessum reperitur. Dispensationes à Papa com-  
missæ Ordinario, vt veritate cognita dispenset, etiam  
mortuò Papa, & re integra non expirant. *Contingit Ordi-  
narium in dispensando alicuius irregularitatis obliuisci.*  
Postea vi facultatis concessæ etiam potest dispen-  
sare.

An aliqua determinata dispensandi forma? Nulla quidem, satis est quæcumque, modò irregularitatem auferri significet. Admonuerim tamen in ipsa forma dispensationis effectum esse explicandum.

C A P V T III.

De irregularitatibus ex defectu.

Innuisti sæpè duplicem esse irregularitatem, unam dici ex defectu, vel indecentia, quæ provenit absque culpa: alteram ex delicto. Duplicis huiusce irregularitatis species recense. Irregularitas ex defectu has continet species. Ex defectu animi, ex defectu corporis, ex defectu nataliù, ex defectu a-tatis, ex defectu libertatis, ex defectu Sacramenti, id est Bigamia, ex defectu lenitatis, id est ex homicidio licitè patrato. Irregularitas autem ex delicto ad hæc species extenditur. Ex iteratione Baptismi, ex indebita susce-ptione vel vsu ordinis, ex actu infidelitatis aut hæ-resis, ex infamia, ex homicidio illicitè patrato.

53.  
Irregu-  
laritas ex  
defectu.

Singulas species expende. Ac primo ex animæ defectu. Cha-racteris Baptismalis defectus potius affert incapacita-tem, quam irregularitatem. At si vetustæ fidei defectus sit, vt quia Neophytus sit aliquis, irregularitas oritur, multò magis fidei defectus in Apostata; verùm hæc ad irregularitates ex delicto pertinet. Qui defectum vsus rationis patitur, v.g. puer, amens perpetuò, furiosus, in-habilis ex natura rei est. Lunaticus, furiosus, vel amens ad tempus, arreptitius & similes aliquo pacto irregula-res, non absolutè dicuntur. Ignorantes, qui secundùm Canones necessaria sciencia carent irregulares censentur: ea sublata ignorantia, etiam auferitur irregularitas: durante autem nisi Papa dispenset, ordinari non possunt.

54.  
Ex defe-  
ctu ani-  
mæ.

Secundò ex defectu corporis inculpabili. Si defectus hic vel ordinis executionem impediat, vel notabilem deformi-tatem

55.  
Ex defe-  
ctu cor-  
poris.

tatem inducat apparente quidem deformitate, irregularem efficit. *Sexu ancipiti quis viget.* Si foemineus magis viget, incapacitatem potius efficit, quam irregularitatem. *Deformis est.* Si plura membra habet, vel eorum disparitas notabilem deformitatem inducit irregularis est. *Giganteam staturam gestat, aut Pygmaea contrahitur.* Apud similes non est irregularis, secus apud alios, quando talis disparitas ludibrio aliis esset futura. *In uno ex quinque sensibus patitur defectum.* Irregularis est, quando talis defectus vel usum Ordinis impedit, vel notabilem affert deformitatem. *Defectum membrorum patitur.* Si ex propria actione cum culpa talis defectus ortum habeat, irregularis ex delicto est; si absque culpa, tunc si ordinum usum non impediatur, nec indecentiam afferat, irregularitatem non inducit; secus si impedimentum, vel indecentiam contineat. *Morbo laborat.* Morbus quidem generaliter tunc irregularem efficit, quando perpetuus est, & moraliter incurabilis. Hinc iudicium de particularibus morbis fieri potest. *Notabilem deformitatem etiam sine ulla partis mutilatione ostendat.* Irregularis proculdubio est.

56.  
Ex defectu Naturalium.

*Tertio ex defectu Naturalium.* Omnes illegitimi Canonico iure irregulares sunt. *Expositus quis est.* Expositi quidem post ordines receptos pro legitimis debent haberi; ante illos autem pro illegitimis. *Ex matre adultera natus est.* Non tenetur credere matri dicenti se illegitimum: Si verò id sibi persuadeat, tanquam illegitimus se gerere debet. Profecto nati ex coniugatis in foro externo etiam si habeant irritans impedimentum, pro legitimis debent haberi, si de mala fide parentum non constet. Quod si uterque parens malam fidem affirmaret, in conscientia filius se deberet pro illegitimo habere. *Quonam modo hæc irregularitas auferatur?* Per Baptismum minimè; per Canonicam autem legitimationem, vel dispensationem à Papa quoad omnes Ordines & Beneficia auferatur; à Papa dixi, quia Episcopus tantùm quoad Ordines minores, & simplicia Beneficia potest dispen

dispensare. Tollitur etiam per professionem in Religione approbata quoad Ordines sacros, non tamen quoad praelaciones, & dignitates.

*Quartò ex defectu Aetatis.* Porro ætatis defectus irregularem reddit si ordinatus ante legitimam ætatem deinde Ordines exerceat, alteram irregularitatem incurrit, si suscepti Ordines ex Maioribus sint.

*Quintò ex defectu libertatis.* Libertatis defectus irregularem efficit. *Domini consensus adest?* Quicumque ille sit fatis est ad consequendam libertatè per ordinationem. *Ordinatur absque Domini consensu.* Etia si maneat ordinatus, irregularitatem tamen non effugit. *Efficitur ne liber?* Si Minores ordines tantùm receperit, propterea à seruitute: nõ liberatur: Si Maiores, liber efficitur, quando Episcopus scienter illum ordinasset, sed tenetur quidem Domino compensare. *Nescit Episcopus seruitutem.* Tenentur alij, qui mala fide Episcopum induxerunt. *Bona induxere fide.* Tenetur seruus ad eandem satisfactionem, vel ad reddendum pro se vicarium. *Non potest.* Inferior Sacerdote in seruitutem redigitur: Sacerdos peculium amittere cogitur, & Domino reddere. *Non habet peculium Sacerdos.* Domino ministret in Sacerdotali ministerio; quia cum proximi iniuria nulla iusta libertas.

*Sextò ex defectu Sacramenti.* Defectus hic Sacramenti dicitur, quia ex Bigamia Sacramenti ratio deest in matrimonio significata. *Quotuplex Bigamia?* Triplex. 1. *Velutu Sacramenti,* Vetus Sacramenti, quæ nec per Baptismum aufertur, si antea sit contracta. *seu Bigamia.* 2. Interpretatiua, cum duplex matrimonium inuolidum est, & consummatum, vel alterum eorum, etiam si ex defectu consensus nullum sit, vel per ignorantiam vtrumque contractum. Propriè dicitur ea, quæ ex matrimonio cum vidua, vel cum corrupta ab alio, vel repudiata, vel cum propria vxore cognita post adulterium eius, confurgit; contrahitur autem etiam si matrimonium cum vidua nullum sit. 3. Similitudinaria, cum quis post professionem in Religione approbata matrimo

498 *Moral. Theologia Tract. IV. Censura,*  
matrimonium contrahit, & consummat, vel post votum  
castitatis in Ordine sacro, eodem modo nuptias cele-  
bret, & consummet, ex sententia probabiliore. *Quantum*  
*est hæc pœna?* Priuat equidem Bigamia vsu omnium Or-  
dinum susceptorum, vltra inhabilitatem alios susci-  
piendi. Additur etiã in pœnam priuatio Clericalis  
priuilegij, si vera vel interpretatiua sit. In ea solus Pa-  
pa dispensat, excepta similitudinaria cum Clerico in  
sacris, & Religioso, in qua etiã dispensat Epi-  
scopus.

59.  
*Ex defe-*  
*ctu leni-*  
*tatis.*

*Septimò ex defectu lenitatis.* Qui iustè ex publica autho-  
ritate alium occidit, aut mutilat, irregularis est; quia  
Christum lenem, & mitem non valet repræsentare. *Est*  
*ne actualis occisio, aut mutilatio membri necessaria?* Ita planè;  
per membrum autem pars in humano corpore intelli-  
gitur, quæ actionis alicuius integrum, & proximum in-  
strumentum est. Profectò sufficit ad irregularitatem, si  
notabilis membri pars amputetur. Si non amputatur:  
totum, aufertur per Baptismum irregularitas contracta.  
*Occidit quis factum in utero.* Irregularis est; quia satis est  
ad irregularitatem cuiusvis hominis occisio vel muti-  
lacio. *An iudex, accusator, & testis in causa capitali irregula-*  
*res sint?* Iudex sanguinis sententiam ferens, & accusa-  
tor, & testis etiã inuoluntarius in criminali causa effe-  
ctu secuto, irregulares sunt. *An Inquisitor seculari brachio*  
*reos tradens, vel Dominus temporalis alteri munus iudicandi in*  
*criminalibus causis committens subiaceant irregularitati?* Mi-  
nimè; quia ille iudicat reum dignum morte, sed non  
pœnam executioni tradit; hic autem à fortiori abstinet  
à sanguinis sententia. *Quid de Clerico accusatore?* Clericus  
si accusator sit, & in causa propria petat emendam sibi  
fieri, cum protestatione (etiã si ficta esset, modò fictio  
non appareat) quod sanguinis pœnam minimè inten-  
dat, irregularis non est. Idem affirmo de teste coacto  
in aliqua causa ex iustitia, vel charitate, etiã si propria  
non sit, modo protestatio præmittatur, & tantum ad  
emendationem fiat, non ad vindictam. *Quidnam de*  
*Ministris*

*Ministris iustitiæ, Aduocato, assistentibusque in loco supplicij?*  
 Ministri quicumque in seculari Curia sunt, secuta morte, vel mutilatione, irregulares efficiuntur. Eodemque modo Aduocatus, si ex aduocatione sequatur effectus. Assistentes denique in loco supplicij, comitantésque reos irregulares non sunt, si nullo modo ad supplicium cooperentur, nec festinationi dent operam. *Clericus rogat Principem, ut iudici iubeat agere ex iustitia in aliqua causa particulari.* Si causa sit in principio, & adhuc dubia, etiam si postea sequatur mors, irregularis non est; secus si iam mortis sententia data esset, & ob iudicis negligentiam eius executio esset ambigua. *Num miles sit irregularis?* Si iustum bellum sit, id est, defensiuum propriæ personæ, patriæ, boni communis, tertiæ personæ innocentis, & bonorum etiam temporalium, militantes in eo irregulares non sunt. Si iniustum, & in eo homicidia, vel mutilationes contingant, ex quacunque parte sint, irregulares fiunt. Si aggressiuum sit bellum, & propriis manibus sanguinem non effundant, vel mutilent, irregularitatem euadunt, etiam si alioqui aliis effudentibus cooperari videantur, modò non proximè alicui homicidio in particulari præstent auxilium. *Clerici militant, aut exhortantur militantes in aggressiuo bello.* Si propriis manibus causa sint sanguinis, irregularitatem incurrunt; secus si non propriis manibus, etiam si militantes ad strenuè pugnandum hortentur, & animent etiam in congressu; quia id non est proximè ad necem alicuius particularis cooperari. *Medicus, quis est aut Chirurgus.* Ex eo quod præcipiant, vel consulant, vel etiam fecent brachia, & alia huiusmodi membra ægrotis, si ex arte id faciant, irregulares non sunt; quia etiam si suis actibus mortem infirmo accelerant, prudenter id agunt, & ex charitate, nec in eo culpam admittunt, vnde non arguitur defectus lenitatis. *Cuiusnam dispensatio pro militantibus in bello iniusto?* Solius Summi Præfulis, si homicidia ex parte innocentium fuere; si autem ex propria, & quidem occulta fuerint homicidia, etiam Episcopo concessa

500 *Moral. Theologia Tract. IV. Censura,*  
est. Si publica, Papæ reſeruatur. Profectò priuilegium  
habentes diſpenſandi in irregularitatibus, excepto homi-  
cidio voluntario, poſſunt etiam in ea, quæ ex lenita-  
tis defectu contingit, diſpenſare.

60. *Alij defe-  
ctus.* *Est ne alia species irregularitatis ex defectu?* Duplicem  
aliam apud Filliucium inueni, quam quidem adiicien-  
dam communibus duxi. Vna est defectus expeditionis  
ad ſacra, quando adest obligatio ad ratiocinia; ea enim  
durante irregularitas incurritur: dimiſſo autem officio,  
& ratione reddita, tollitur irregularitas ex hoc capite.  
Altera est temporalium bonorum defectus, qui quidem  
ſi tantus ſit, vt quis ſuſtentari congruè non poſſit, iure  
nouo Tridentini requirentis ſufficiens patrimonium in  
ſeculari, quodammodo irregularis eſt. Eodemque modo  
ſiquis nimium alieno ære grauatſus ſit ita, vt titulum  
fundare non poſſit, quodammodo irregularitatem in-  
currit.

---

#### C A P V T IV.

##### *De ſpeciebus irregularitatis ex delicto.*

61. *Irregula-  
ritas ex  
delicto.* *Plus recense species irregularitatis ex delicto expendens*  
*quidem quæ breuiter inuuiſti.* Octo ſpecies annume-  
rabo. Ex delicto circa Sacramentum Baptiſmi, ex deli-  
cto circa Ordinem, ex delicto circa Cenſuram, ex deli-  
cto hæreſis, ex infamia ob delictum, ex delicto homici-  
dij voluntarij, ex homicidio caſuali, & homicidio ne-  
ceſſario.

62. *Circa Ba-  
ptiſmum.* *Singulas percurre species.* Primò quidem ex delicto circa Ba-  
ptiſmum. Prouenit irregularitas ex iterata Baptiſmi rece-  
ptione. *Excusatur ne ignorantia?* Si ſit inuincibilis, excuſat,  
ſiue ſit facti, ſiue iuris, etſi hæc difficiliter præſumatur.  
*Per vim aut metum quis re baptizatur.* Si tamen habet in-  
tentionem recipiendi de nouo Baptiſmum irregularis  
eſt. *Eſt ne etiam irregularis qui Baptiſmum recipit ab hæretico.*

Ita

Ita planè. *Quid de rebaptizante?* Eandem irregularitatem incurrit, de iure quidem ex publica tantùm rebaptizatione, vsu verò etiam ex occulta. Quæ planè extenditur ad ministrum; quia aliquo pacto iterationi Baptismi cooperatur. Scio tamen hanc irregularitatem tantùm ascensû ad Superiores Ordines impedire. *Incurritur ne ante iudicis sententiam.* Ipso factò incurritur. *Rebaptizat quis absque animo.* In foro interiori irregularis non est: secus in foro externo; quia hoc nititur præsumptione. *Rebaptizat sub conditione.* Si prudèter, & probabili diligètia adhibita rebaptizet, effugit irregularitatem: secus si temerè, & nulla diligètia adhibita. *Ex ignorantia facti probabili rebaptizat.* Excusatur, sicut etiam ex ignorantia inuincibili iuris: Secus si culpabilis ignorantia sit. *Quid de dispensatione?* Huius irregularitatis dispensatio ad solum Præfulem summum pertinet.

*Secundò ex delicto circa Ordinem.* Incurrit irregularitatem qui furtivè Ordines recipit, siue quia non admittitur se se cum aliis ordinandis ingerit: siue quia alterius personæ nomine vsurpato, eius occupat locum: siue quia sub nomine suo facit alium examinari, & postea ipse proprio nomine vocatus, ad Ordines accedit. *Fius dispensatio?* Ad Papam est reservata; quia ab Episcopo sub excommunicatione ipso factò incurrenda denunciatur, nequis se furtivè audeat ingerere. *Qui ministrat in Ordine, quem non habet?* Irregularis est; quæ irregularitas tantùm impedit receptionem Ordinum quos non habet; ab aliis tantùm suspensus est per biennium, vel triennium iudicis arbitrio. Eodem pacto laicus ministrans in Ordine quò caret, irregularis fit quoad omnium receptionem. *Clericus per saltum promotus?* Si ministret in Ordine prætermisso, irregularis est circa prætermisum & alios. *Sacerdos Episcopi ministerium usurpans?* Irregularitatem respectu Episcopatus incurrit. *Episcopus consecratus Diaconato prætermisso?* Pontificalia exercendo, contrahit irregularitatem. *Ad huiusmodi irregularitatem incurrendam requiruntur ne alia?* Duo præ-

63.

Circa Ordinem.



502 *Moralis Theologia Tract. IV. Censurae,*  
terea requiruntur, vnum, vt Ordo receptus non sit; al-  
terum, vt in tali Ordine ministraretur.

64. *Ex Cen-  
sura vio-  
lacione  
delictum.* Tertio ex *Censurae violatione.* Prouenit quidem irregulari-  
ritas ex delicto violationis Ecclesiasticae Censurae. Ex-  
punde quonammodo haec poena incurratur? Profecto Cleri-  
cus, qui actum aliquem Ordinis exercet, ita vt Censu-  
ram dicendus sit violasse, irregularis est. Porro si Cleri-  
cus Censuram non violat, quamuis alioquin admini-  
stret indignè, non est irregularis. Rogo, an quis irregularis  
sit hisce in casibus: Exercet orationem contra Superioris prae-  
ceptum publicè, impositum quidem sub poena excommunicationis  
ipso facto incurrenda: Delictum commisit, ob quod secundum  
iura suspendi debet, & accedit Superioris praeceptum prohibens  
celebrationem, & tamen celebrat: Sine altari ab Episcopo conse-  
crato celebrat: Sacerdos ad sepulchram scienter excommunica-  
tum admittit: Pro persona viuente Missam defunctorum reci-  
tat, vt impetret illi mortem: Praetermissio sacrificandi ritu,  
quem seruat Ecclesia, Christi corpus, & sanguinem consecrat:  
Episcopus Clericos per saltum ordinar: Cardinalis electus in  
Papam est ab insufficienti numero Cardinalium. Irregularita-  
tem hi non incurrunt; quia etsi vel deponendi aliquan-  
do sint, vel alia iuris poena corrigendi, in iure expressa  
non est contra huiusmodi delinquentes irregularitas,  
quae quidem nec casum aequalem, nec grauiorem se-  
quitur, sed iuri praetextui solummodo adhaerescit.

65. *Delictum  
haereticis.* Quarto ex delicto haereticis. Si haereticis externa sit irregu-  
laritas incurritur. Extenditur ad Apostatas à fide,  
etiã si tantum exterius sint ex probabiliori sententia.  
Cuiusnam est eius dispensatio? Quoad promotionem ad  
Superiores Ordines, solius Papae: quoad susceptos  
Episcopus potest vsque ad Diaconatum inclusiuè, si  
per timorem tantum lapsi essent; alij Papae reseruan-  
tur. (Apostata inquam; nam de haereticis delicto infer-  
rius.) Quid de schismaticis? Ad hos haec irregularitas  
extenditur, si etiam hi haeretici sint, & haeticorum  
fautores, receptatores, consilium, & auxilium praestan-  
tes. Suspecti de haeresi? Irregulares potius ex infamia  
sunt,

sunt, quàm huius speciei. *Extendenda ne irregularitas hæc ad filios?* Extenditur planè ad filios hæreticorum, & nepotes per lineam paternam, siue legitimi filij sint; siue naturales cuiuscunque modi, siue ante, siue post hæresim patris nati sint. Idem dicendum de filiis relapsorum, qui reconciliantur Ecclesiæ, sed deinde seculari brachio traduntur, ex probabiliori sententia. *Extenditur ne etiam ad Neophytos?* Maximè, pro eo tempore, quo Episcopus arbitrabitur, si modò in adulta ætate baptizati sint. *Quisnam dispensat in irregularitate ex hæresis delicto?* Episcopus, quo ad vsum Ordinum receptorum; quo ad recipiendos solus Papa dispensat. Et licet Episcopi possent in ea, quando ex occulta hæresi procedit ex Tridentino, tamen per Bullam Cœnæ ius huiusmodi est reuocatum.

*Quintò ex infamia.* Hæc duplex, iuris, facti. *Expende, quoniammodo incurratur irregularitas per infamiam iuris.* Infamia iuris contingit, quando delinquens crimen suum in iudicio confessus est; aut per sententiam iudicis definitiuam; aut quando committitur delictum, cui imposita est à iure Canonico, vel Ciuili infamiæ pœna, v.g. à fide apostasia, raptus mulierum, Sodomia, &c. Ad incurrendam hanc infamiam declaratoria iudicis sententia requiritur. Infamia igitur iuris hominem irregularem efficit, & inhabilem ad Ordines suscipiendos, susceptosque exercendum. *Explica autem quomodo inducat irregularitatem infamia facti.* Contingit hæc, quando committitur delictum, quod apud graues & honestos viros censetur infame; quod quidem notorium esse debet. Profectò huiusmodi infamia irregularem efficit, & inhabilem ad recipiendos Ordines, quamdiu delinquens non fuerit emendatus. *Infamis pergit ab hoc in alium locum.* In vno loco infamis, in omni loco infamis remanet; vnde, nullo in loco potest aut Ordines, aut Beneficia suscipere, priusquam infamia deleatur. Infamia facti nemo fit irregularis, quæ in proprio delicto fundata non sit; at iuris infamia absque proprio delicto aliquo

66.

Ex infamia.

504 *Moralis Theologiæ Tract. IV. Censura,*  
in casu potest incurrere. *Quoniam modo infamia valeat auferv?*  
Quatuor modis aufertur: Per emendationem: Per dispensationem: Per Baptismum: Per Summum Pontificem. Porro dispensationem directè solus Papa concedit; indirectè verò laicus Princeps tollendo infamiam, quæ ex Ciuili iure oriretur. Per Baptismum infamia ex delicto proueniens aufertur, quæ meri facti dicitur. At ciuilis, quæ Christianorum legibus contracta esset, quibus antea tales subiecti fuissent, non tollitur: Secus si legibus Gentilium fuisset inducta.

57. *Ex homicidio voluntarij delicti.* Irregularitas ex voluntario prouenit homicidio, quod scilicet fit ex voluntate, & proposito occidendi. Ad quam irregularitatem incurrendam necessariò debet exequi mors. *Extenditur ne ad mutilationem?* Ita planè; sed talis debet esse mutilatio, ut vel sit alicuius membri abscissio, aut notabilis eius pars. Certè debilitatio aut deformatio quam aliquis in membro efficiat, mutilatio dicenda non est. *An incurrat ex proprij membri mutilatione?* Incurritur, imò etiam alicuius partis eius, quæ notabilis non sit, & quæ, si fieret in alio, irregularem non efficeret. *Quid si abscidatur membrum emortuum?* Abscissio hæc irregularitatem non inducit; quia nulla adest sanguinolenti animi ostentatio. *Quid de abortum procurante?* Si foetus sit animatus, fit irregularis, effectu quidem secundo. *Quid denique de mandante necem, aut eius executore?* Mandans secuto effectu, irregularis est, nisi mandatum reuocet, & mandatario intimet. Exècutor mortis post mandantem primas in homicidio partes habet. Is demum, qui causam dat mortis, ut si venenum alteri propinet, irregularitatem non effugit. *Consulit quis homicidium.* Si sequatur ex vi talis consilij, irregularis est, siue directè, siue indirectè consilium detur. *Reuocat consilium, sed non dissuadet,* Tenetur admonere eum, qui in periculo versaretur, ut sibi caueat. *Nihilominus sequitur mors.* Ex probabiliore sententia consulens irregularis non erit; quia post tam accurata

accuratam retractationem, & admonitionem, quasi non præstitit consilium. *Mandatarius, vel consultus occiditur.* Irregularis est mandans, vel consulens, qui tali eum periculo exposuere. Porro irregularis erit non homicidij voluntarij, sed casualis. *Consentio in homicidium.* Dum actu fit nomine consentientis, irregularis eris. At si postquam, in scio te, homicidium factum est tuo nomine, licet consentias, irregularis non es; quia in necem verè non influisti. Idem assero de eo, qui aliquem omnino inuoluntariè occideret, & postea ratum haberet. *Cooperatur quis homicidio, vel quouis modo prebet auxilium.* Incurrit irregularitatem. Tunc autem erit ex homicidio voluntario, quando alterius mortem, cui cooperatus esset, directè intendisset. *Ad quemnam pertinet dispensatio?* Solus Papa dispensat, & quidem difficile, & non nisi grauissima de causa, vt quodammodo indispensabilis soleat appellari.

*Septimò ex homicidio casuali.* Si casuale homicidium voluntarium fit saltem indirectè, incurritur irregularitas. *Ex opere sequitur licito.* Si sufficiens adhibita fit diligentia, non incurritur; secus si desit debita diligentia, quæ ad mortalem culpam pertingat. *Ex opere illicito sequitur.* Etiam si omnis diligentia adhibita fit probabile est incurri irregularitatem; at probabilius reputo minimè incurri, præsertim in conscientia foro, exceptis casibus iure expressis; in iis enim etiam si videatur homicidium inuoluntarium (quod in alijs excusat) & omnino casuale: tamen quia actio iniusta, & periculosa est, potuit ius tali poena punire, si quomodocumque ex illa effectus homicidij sequatur. Profectò talis actio debet esse prohibita tanquam homicidij periculosa; quia si prohibita esset, ob periculum alterius vitij, v.g. si contra castitatem, aut Religionem esset, non incurreretur. *Ad quemnam pertinet huius irregularitatis dispensatio?* Quando delictum occultum est, ad Episcopum, iure delegato; quando publicum, ad Pontificem solum. *Age, precor, de homicidij casualis cooperatoribus, num irregularitatem incurram?*

68.

*Ex homicidio casuali.*

*In primis executor actionis, ex qua homicidium oritur casuale, est ne irregularis. Si aliquo modo voluntarium sit homicidium, etsi non sit per se intentum, nec actio ex se proxima mortis causa, sufficit ad irregularitatem inducendam, siue opus ex quo homicidium sequitur licitum sit, siue illicitum: si enim incaute factum est, proculdubio inducit; quia aliquo modo voluntarium. Apponit quis mortis causam cum cognitione, quod proxima sit futura causa mortis. Irregularis esset, sed ex voluntario homicidio. Si autem non sit cum cognitione efficacie ipsius, sed tamen ignorantia fuit culpabilis? Tunc irregularitas ex homicidio casuali sequetur. Mandat quis percussorem. Si tantum expressit percuti hominem, & mandatarius fines mandati excessit, erit tamen ex hoc genere irregularis; quia ex mandato percussoris ille excessus habuit exortum. Quid si mandatum iustum fuisset, & prudenter datum, casu tamen mors accidisset? Non induceret irregularitatem; quia omnino fuit inuoluntaria. Consultit quis actionem iniuriosam, & vindicativam; sed admonet, ut ad homicidium non procedatur. Irregularis tamen erit, siue consultus occidatur, siue alius; quia consilij illa cooperatio est. Quid de remotis cooperantibus? Irregulares non censentur; quia effectus cooperatori proximo tribuenda. Porro remota causa illa dicitur, quæ ita per accidens se habet ad effectum, ut prudentis arbitrio, & moraliter loquendo, censenda non sit cooperari, & influere in effectum; proxima autem causa est quæ eodem arbitrio in effectum influat. Plures cum uno rixantur, & hic occiditur. Omnes erunt irregulares, siue omnes vulnerent, siue aliqui, modo alij auxilium, & cooperationem aliquam dederint. Plures aliquem prouocant ad rixam, & vnus ex iis occiditur. Probabile est, omnes socios irregulares esse; probabilius tamen, non esse, nisi communi consilio prouocassent ad pugnam.*

69.

*Ex homicidio necessario. Octauo, ex homicidio necessario. Irregularitas ex homicidio facto in defensionem incurritur. Defensio proprie per-*

*cessario. Sona est. Si adhibeatur inculpatae tutelæ moderamen,*

non

non incurritur irregularitas; secus autem si prædictum moderamen desit. *Fuga absque periculo, & infamia potest in-  
niri.* Si non fugit, sed occidit aduersarium, irregularitas  
contrahitur; secus si periculum adfit, vel sequatur infam-  
ia. *Indica, quænam moderata defensio sit.* Si de conscientia  
agamus foro, illa est moderata defensio, in qua primò  
alium occidens aggressus sit, & in ipso aggressionis actu  
occisio contingat; non est tamen necesse, expectare  
ictum, sed potest etiam aliquando præueniri. Secundò,  
debet se cum minore læsione non potuisse defendere.  
Tertiò, ne cum graui culpa defensio fiat, quæ in aggres-  
sionem transeat. Quartò denique, si periculum, quod ex  
insidiis imminet, tale sit, ut nisi præueniatur insidiator,  
occisurus sit eum, cui parantur insidiæ, probabile est,  
præueniri posse, si nullum aliud sit vitæ defendendæ re-  
medium. *Adulter cautè commisit adulterium, & diligentiam  
adhibuit, ne vir adulterium dignoscere posset: casu tamen conti-  
git ob id uxorem à viro occidi.* Adulter equidem non est  
irregularis. Imò nec si ipsemet virum occidat, ad sui de-  
fensionem, cum aliter absque proprio periculo fugere  
non posset. *Incurritur hæc irregularitas, quia moderatio non  
seruatur: rogo, num dicendum sit homicidium voluntarium?*  
Minimè; sed aut casuale, si directè volitum non sit; aut  
necessarium, cum pugnæ calore, ut se defendat, directè  
aduersarii mortem intenderet. *An dispensabilis?* Ita pla-  
nè, imo comprehenditur sub Episcopi potestate post  
Tridentinum si occultum homicidium sit. *Fit homicidium  
in bonorum temporalium defensione.* Si debitæ condiciones  
seruentur, irregularitatem non incurri ex probabiliori  
sententia affirmo, etiam post ius nouum Clementinæ.  
*Accidit mors in proximi defensione.* Si adfit obligatio ad eam  
faciendam defensionem, certum est irregularitatem mi-  
nimè incurri; quia actio laudabilis, imo obligatoria  
pœna non flagellatur, sed præmio afficitur. Imo proba-  
bilis idem assero, si defensio præcepta non sit modo  
liceat, & sit honesta; quia licitas omnino actiones or-  
tas ex charitate pœna tanta non sequitur. Admonuerim

C A P V T V.

*Praxis circa predicta ex Societatis*  
I E S U schola.

70. **R**equiritur ne aetas adulta ad irregularitatem ex delicto in-  
De irru-  
gularitate  
varij ca-  
sus. *currendam? Ex Azorio* respondeo requiri saltem de-  
cem annorum; quia cum peccatum mortale supponat,  
Ecclesia plenum omnino usum rationis exigit, & ma-  
litiā.

*Quenam per Baptismum irregularitates tollantur? Ex*  
*Gaspere Hurtado* assero omnes tolli, præter eam, quæ est  
ex defectu Sacramenti, id est Bigamia.

*An irregularitas ex homicidio in solo sit per Episcopum dispen-*  
*sabilis? Molina* negat probabilius, sed probabiliter con-  
trarium defendi potest. In utraque sententia potest Epi-  
scopus dispensare in irregularitate ex homicidio oc-  
culto, ut in suscepto Ordine ministret, quando magna  
necessitas urget, nec facilis est ad Papam recursus; quia  
tali in casu potest etiam in impedimentis Matrimonij  
dispensare; *Auila* auctore.

*Num possint Prælati Regulares dispensare in irregularitate*  
*quoad suos? Scio* aliquos extra Societatem asserentes  
posse dispensare eos in irregularitate ex defectu leni-  
tatis. At affirmarim cum *Hurtado* contrarium esse pro-  
babilius; quia Tridentinum eis facultatem concedit  
tantum quoad irregularitates ex delicto.

*An irregularitas ex defectu natalium, si occulta sit subiaceat*  
*Episcopi dispensationi? Suarius* docet non subiacere; *Auila*  
contrarium asseruit. Illud affirmo, posse dispensare, ut  
Ordinem exerceat, quem talis bona fide suscepit. Imò  
fortasse etiam mala fide, ut existimat *Laymannus*. Tollitur hæc  
*irregula*

irregularitas absolute per professionem religiosam non solum quoad Ordines, sed & quoad Prælaturas? Sanchez tolli absolute ait quoad Ordines, quoad Prælaturas autem posse Prælatos dispensare. Reincidunt autem in illam professi, si postea à Religione eiiciantur? Ex Sanchez iudicio non reincidere: quod etiam probabile existimo de iis, qui post tria vota simplicia è nostra Societate I E S V dimittuntur. Scio tamen contrarium esse probabilius; quia sic dimissi, (vri Turrianus docet) à votis absoluuntur, & fiunt merè sæculares.

Potest ne Episcopus dispensare in irregularitate ex delicto, quod deductum fuit ad forum contentiosum, ibique iudicatum, & punitum? Posse Sanchez tenet; quia casus hic in exceptione Tridentini non videtur contineri.

An possit dispensare Episcopus in irregularitate orta ex Bigamia propria, vel interpretatiua? Præpositus existimat posse quoad interpretatiuam, quando est occulta. Sanchez docet etiam posse quoad propriam circa minores Ordines, & Beneficium simplex. Contrarium tamen tenendum, propter Cardinalium declarationem. Turrianus item asserit in similitudinaria Bigamia posse dispensare, si contraxit cum virgine. An in hac irregularitate ex Bigamia possint Prælati Regulares dispensare? In qualibet quidem posse cum suis ex Henriquez & Auila cenfeo.

Circa defectum lenitatis rogo practicè exponas, quandonam hæc irregularitas incurratur quando non. Non incurritur ob concursum ad homicidium nisi aut factum à Ministro publico iustè, aut factum à persona priuata iniustè. Sic Vasquez, Turrianus, & Hurtado. Infero hinc eum qui vendit ligna ad viuos comburendos, & gladios, & funes ad interficiendum reos, irregularitatem non incurrere: Nec Confessarium, aliumve, qui hortando, vt scalam ascendat, vel simili modo accelerat mortem alicui; quia in iure vbi fit mentio irregularitatis ex defectu lenitatis tantum est sermo de iudicibus, & aliis officialibus, ac Ministris iustitiæ; ergo minime est hæc irregularitas ad alios extendenda. Hinc vterius affirmo Confessarium,

vcl

71.

De irregularitate ex defectu.



510 *Moralis Theologiae Tract. IV. Censuræ,*  
vel Doctorem à iudice rogatum, an teneatur reum moti tradere, & respondentem teneri, irregularitatem minimè incurrere. Præterea qui obligat poenitentem iuridicè interrogatum ad delictum faciendum, ex quo sequitur eius mors; aut persuadeat acquiescere iustæ sententiæ, quam non potest sine iusta appellatione differre, non est irregularis.

*Quid de Principum Consiliariis, Iudicibus, & Officialibus Episcoporum, Administrationibusque rerum Ecclesiasticarum, accipiatur? Non sunt irregulares, siue ex consuetudine præscripta, siue ex concessione Pontificis, Hurtado asserit.*

Ecclesiasticus temporalem iurisdictionem habet, & causas sanguinis aliis delegat: est ne irregularis? Negatiuè *Hurtado* respondet: imò & si committat in particulari casum aliquem morte dignum.

*Ex Suario protestationem accusatoris impedire irregularitatem, etsi fido animo fieret, supra asserui: rogo num Aduocatus & testes in causa sanguinis irregulares sunt, etiam si prætermittant protestationem, ut facit accusator? Molina docet irregulares, Coninch, & Præpositus excusant.*

*Quid si Aduocatus simpliciter defendat reum non petendo contra accusatorem talionis pœnam? Etsi sequatur accusatoris mors, ex Præpositi, & Turriani sententia, non fit irregularis. Neque qui in illo casu testimonium dixit pro reo, Suario auctore.*

*Testis ne, qui præcepto iudicis obligatus, vel graui metu coactus testimonium dixit, ex quo est mors alterius secuta, irregularis est? Probabiliter defendit Coninch irregularem non esse, contrarium tamen Hurtado asserit probabilius.*

*Circa Natalitium defectum, rogo, an infantes expositi irregulares sint? Affirmat Suarius irregulares non esse; quia legitimi præsumendi; vnde sine vlla dispensatione possunt ordinari.*

*Dubitatur, an quis sit legitimus. Irregularis non est, auctore Coninch; quia præsumitur quilibet legitimus donec contrarium probetur.*

*Illegiti*

*Examen V I. De Irregularitate. 511*

*Illegitimus ante matrimonium parentum promouetur ad Ordines, & per hoc scio suspensum esse: attamen parentes post hoc matrimonio iunguntur: quasi scio, num liberetur à suspensione? potest & susceptum Ordinem exercere, & abolita irregularitate, promoueri ad alios; quia sicut fit legitimus, ita cessat irregularitas, & per consequens suspensio, ut effectus causa cessante. Ita Reginaldus.*

*Circa defectum corporis, requiro, an qui habet in manu sex digitos, seu coniunctos, seu diuisos, sit irregularis? Cum Henriquez nego, modò non sit magna deformitas nec impedimentum in vsu membri.*

*Ad quem nam spectat iudicare, an defectus corporis sit ita notabilis, ut irregularitatem inducat? Suarez censet quoad Clericos ad Episcopum spectare, quoad Regulares ad eorum Prælatos; potest tamen eorum iudicium Episcopus reiicere.*

*Deformitates assigna, quæ non inducant irregularitatem, ut inde documentum ad alias assumatur. Non generat scandalum si quis careat vno pede, & ambulet ligneo, neque si oculo dextro careat, imo, Laymano auctore, neque si careat sinistro, quando potest altero oculo Canonem legere sine deformi faciei contorsione.*

*Circa Bigamiam, rogo, an Clericus secularis sacris initiatus, si contrahat cum virgine sit irregularis? Suarez irregularem fieri docet: Hurtado & alij affirmant Canones illos solum de Religiosis agere.*

*Exprime casus práticos, ubi Bigamie non contrahitur irregularitas. Irregularis ex Bigamia non fit, qui virginem à se defloratam ducit, ex Sanchez placito. Neque qui secundò contrahit, sed inualidè, aut qui secundum matrimonium vel cum vidua fictè contrahit, ex Coninch & Hurtado sententia. Neque qui cognoscit uxorem suam per vim ab adultero cognitam, ex Præpositi mente. Secus si sponte fuisset adulterata, etsi adulterium esset occultum, imò & si ipse id ignoraret, ex Sanchez doctrina. Notorietatem requirit Præpositus. Ut incurratur, requiritur in copula seminaio viri ex  
Sanchez*

72. *Circa mutilationem, an irregularis sit, qui in rixa alteri digi-*  
*De Irre-* *tum præscindit: Respondeo cum Anila negatiuè; quia irre-*  
*gularita-* *gularitas non incurritur nisi ob alicuius membri mutil-*  
*te ex de-* *lationem, aut notabilem, seu præcipuam partem eius: ut*  
*licio.* *digitus vnus non est notabilis, seu præcipua pars respec-*  
*tu manus. Consequenter adfirmat irregularem non esse,*  
*qui alicui amputat auriculam, id est, cartilaginem, quæ*  
*tantum pertinet ad ornatum. An qui femine amputat mam-*  
*millam? Quidquid Couaruias arguat, cum Molina assero*  
*irregularem esse; quia mamilla est membrum ab aliis*  
*partibus corporis distinctum officium gerens.*

*Quis sua mutilatus est culpa, v.g. vel à iudice, vel quia occa-*  
*sionem rixæ dedit: an sit irregularis? Irregularis quidem est,*  
*et si occultum sit membrum, nec vltim Ordinis impedi-*  
*at, vt Molina docet. Scio tamen Hurtado probabilius id*  
*obnegare; quia Canonis menti minimè derogatur.*

*Quis sibi sponte membrum ex indignatione vel impatientia*  
*abscindit: an sit irregularis? Docet Reginaldus non esse, si ex*  
*mutilatione notabilis deformitas non oriatur, nisi factum*  
*esset notorium.*

*Consulens alicui mutilationem, est ne irregularis? Molina*  
*putat non esse ab affirmatiua communi sententia recedendum,*  
*licet nullus textus asserat irregularem.*

*Circa homicidium voluntarium requiro, quidnam sit necessa-*  
*rium ad irregularitatem contrahendam super qua non possit Epi-*  
*scopus dispensare? Ex Turriano censeo requiri, vt homici-*  
*dium deliberato animo, & inito consilio fiat, ita vt sit*  
*intentum expressè, & volitum in se, & non tantum in*  
*causa; quia si in rixa repente exorta, aut propter con-*  
*tumeliosa verba subito homicidium perpetratur, casualis*  
*censetur, & non voluntarium, & in irregularitate inde*  
*exorta potest Episcopus dispensare.*

*Pura quis homicidia commisit; contraxit ne tot irregularitates?*  
*Adfirmat Sanchez vnicam irregularitatem incurrit, in*  
*petitione dispensationis exprimendam.*

*Procuratit*

Examen VI. De Irregularitate. 513

*Procuravit quis abortum, sed dubitat, an fetus fuerat animatus: censendus ne irregularis? Affirmat Sanchez, sed probabiliter cum Præposito censeo irregularitatem non contrahere; quia in dubio conditio melior abortum procurantis.*

*An in dubio facti censendus sit aliquis irregularis? Iudico ex Suario nullum, nisi in solo homicidio. Imo & hoc ipsum Suarius idem iudicat probabiliter posse abnegari. Dubitatum homicida motus sit meo consilio. Debes te gerere uti irregularis; sed si is neget, crede.*

*Non impediui homicidium, quod ex iniustitia etiam tenebar impedire: an sim irregularis? Vasquez negat; quia nil positivum neci adieci. Attamen cum Coninch arbitror probabiliter & receptius te esse irregularem; quia te subtrahendo ab eo, quod ex iustitia debebas, quasi in ipsam necem influxum exhibuisti. Præterea Hurtado excusat ab irregularitate eum, qui sciens mulierem à se corruptam procurare abortum, non impedit. Henriquez cum, qui à dato antè consilio abortus, conatur foeminam auocare, nec potest. Turrianus autem eum, qui sciens alios velle occidere propter iniuriam sibi illatam non contradicit.*

*An irregularis, alicui datus consilium occidendi, duellandi ex eo, quod is occisus est, cui consilium dederat? Vasquez docet probabiliter irregularem non esse; contrarium probabiliter Suarius defendit.*

*Antonius arma Ioanni tradidit, quibus Petrum occidit: est ne irregularis? Scio aliquos extra Societatem asserere irregularem esse, quando saltem suspicabatur arma ad homicidium peti. Attamen hæreo Hurtado neganti, nisi tradantur arma ex homicidij intentione.*

*Casus occido; num irregularis sim, si occisio evenit dum darem operam rei illicitæ? Coninch asserit irregularitatem non incurri, nisi actio præcisè ratione occidendi periculi sit peccatum mortale, vel moralis negligentia interueniat.*

*Mandavi verberari Ioannem, ita ut non esset motus homicidij;*

at ille occisus est: incurro irregularitatem? Præpositus docet non incurrere. Imo qui homicidium mandauit, effugit irregularitatem, si mandatum reuocet, ne teneri moneatur eum qui periclitatur existimat *Henriquez*. Idem de suadente Præpositus asserit. Ego communius abnegandum ducere.

*A me non lethaliter vulneratus Antonius, sua incuria, vel Medici mortuus est: an sum irregularis?* Minimè ex *Lessij* iudicio; quia adhuc post vulnus viueret, nisi aliena accessisset incuria.

*Dixisti, non esse irregularem eum, qui potuit se defendere fugiendo, & non fecit, sed alterum occidit, quia non poterat sine nota graui fugam inire: rogo, quid si sua culpa in eam se necessitatem coniecisset?* Tunc ex *Suarij* sententiâ assero proculdubio irregularem esse.

*Occidit quis adulteram uxorem: adulter ne fit irregularis?* Cum *Auila* censeo probabiliter, irregularem non fieri; quia adulterium per se ad homicidium non ordinabatur.

*Defendit se adulter contra maritum inuasorem, & illum occidit, culpa sua se ingerens in eam necessitatem vitæ suæ sic defendendæ: irregularis ne?* Negat *Lessius*, si occidit tamen cum inculpata tutelæ moderamine.

*Dixisti in bello iniusto omnes milites fieri irregulares, etiamsi neminem sua manu occidant, uti Hurtado sentit: addenda ne aliqua limitatio?* Adde quidem ex *Coninch* limitationem illam, nisi sint valdè multi milites saltem supra centum; quia tunc non videntur omnes se mutuo posse animare ad occisionem. Adiecit *Præpositus* etiam in bello iniusto non fieri irregulares qui propria manu occidunt ad propriam vitam defendendam eum moderamine inculpatae tutelæ. *Auila* denique existimat eum, qui ad bellum iustum vendit, aut subministrat arma, non fieri irregularem, nec qui pugnavit quidem, sed dubitat, an aliquem occiderit, aut mutilauerit.

*Circa infamiam rogarim, num damnati ad triremes sint irregulares?* Respondeo negatiuè; quia nec infamia, nec irregularitas

irregularitas incurritur nisi in casibus à iure expressis, qualis non hic.

*Occulta ne crimina inducunt irregularitatem ex infamia iuris ?* Cum *Henriquez* assero, nulla delicta, quantumvis enormia sint, irregularitatem ex infamia iuris inducere, nisi notoria sint.

*Ex infamia verò facti oritur ne irregularitas simpliciter dicta, & indelebilis nisi per dispensationem ?* Non; quia ipsa emendatio locum obtinet dispensationis. Vnde *Laymanus* affirmat Sacerdotem publicum concubinarium, vel adulterum, post peractam poenitentiam, & vitæ emendationem publicam, interposito saltem aliquo temporis spatio, sine dispensatione posse celebrare.

*Filius natus est à patre Catholico : num irregularis fiat, si pater postea fiat hereticus ?* Iudico cum *Coninch* ex hoc capite præcisè non esse irregularem ; quia ab arbore nondum infecta processit. At tamen ex alio capite in Regnis hæresi non infectis eum irregularem censeo, ratione scilicet infamiæ ad filium ex parentis hæresi deriuatæ.

*Accusatus quis de hæresi, illam cogitur abiurare : an sit irregularis ?* Docet *Sanchez* haud irregularem esse propter suspicionem illam etiam vehementem. Vnde *Suarus* adicit multò minus esse irregulares, qui de hæresi sunt suspecti, nisi suspicio oriatur ex favore, & defensione hæreticorum, quâ tales; hinc enim irregularitas exoritur.

*Negavit quis fidei fidem, siue sponte siue metu coactus : sit ne irregularis ?* Non, nisi crimen sit notorium; tunc enim, teste *Sanchez*, fieret infamiæ ratione.

*Potest ne Clericus in hæresim lapsus post poenitentiam, & ab iurationem ordines ante susceptos exercere ?* Auila docet probabiliter exercere posse.

*Num irregularitas incurratur ob hæresim exteriorè minimè notoriam ?* Asserit *Suarus* incurri. At probabiliter *Sanchez* contrarium affirmat. An *Episcopus* possit dispensare, si incurratur ? Possè *Sanchez* iudicat; quia licet per Bullam Cœnæ adempta sit *Episcopis* facultas absoluendi ab hæresi occulta : non tamen adempta est potestas

516 *Moral. Theolog. Tract. IV. Censura, &c.*  
super irregularitate ex ea contracta dispensandi.

*Circa vsum Ordinum rogo, an irregularis sit, qui carens Ordine ad id requisito, Sacramenta administrat? Præpositus ait irregularem non esse, excepto solemnî Baptismo, & Missæ celebratione.*

*Sacerdos nondum approbatus absoluit sit ne irregularis? Fieri si excommunicatus absoluat Suarez docet, non tamen irregularitatem incurreret si absoluat minimè approbatus. Auila addit irregularem esse, si excommunicatus Eucharistiam administrat, etiam non celebrando. Non ita si exercent solum actum jurisdictionis fori externi, excommunicando, suspendendo, vel absoluendo ab excommunicatione, modò id sine solemnitate fiat, id est, sine stola, & Psalms: sicut neque Parochus matrimonio assistens, eodem Auila auctore.*

*An excommunicatus, qui priuatim Horas recitat dicens, Dominus vobiscum, fiat irregularis: aut qui coram se facit alterum celebrare? Primum defendit ab irregularitate Hurtado, secundum ab eadem Præpositus liberat. Plura mitto.*



TRACTA



TRACTATUS QUINTVS  
 LIBRI THEOLOGIÆ  
 MORALIS,  
 EXPRIMENS SIGILLVM  
 QUINTVM, VIDELICET  
 virtutes.

---


*Vbi Materia de Fide, Spe, Charitate, &  
 Religione expenduntur.*

P R O L V S I O.



O S T quinti sigilli apertionem *Vidi*  
 (ait Ioannes) *subtus Altare animas inter-*  
*fectorum propter verbum Dei, & date sunt*  
*illis singule stola alba.* Martyres quidem  
 adhuc clamitantes subtus altare, diuini  
 amoris igne succensi, Theologicarum  
 Virtutum Fidei, Spei, ac charitatis victorias concele-  
 brant, Religionisque gloriæ thura libant. Doctrinam  
 equidem magistri mei Doctissimi Petri Hurtado de Men-  
 doza, Suarij, Castro Pallao, Meratij, Gordonij, Fillutij, Lay-  
 mani, Toleti, Reginaldi, Gasparis Hurtado ac Rainandi  
 digessi.





## EXAMEN PRIMVM.

Circa Materiam de Fide virtute Theologica.

## CAPVT PRIMVM.

*De Fidei essentia, & materia.*I.  
Materia  
Fidei.

**Q**uid est Fides? Virtus Theologica à Deo infusa, per quam firmiter assentimur ob Dei auctoritatem iis, quæ à Deo reuelata sunt, & ab Ecclesia proposita vt à nobis credantur.

Quotnam sunt necessaria, vt i Fidei assensus exhibeatur? Quinque. 1. Prædicatio. 2. Externa motiua, quæ rei credulitatem commendent. 3. Voluntatis inclinatio. 4. Fidei lumen. 5. Assensus humanus per modum dispositionis.

Fidei quænam materia? Omnes veritatis articuli, quos proponit Ecclesia à nobis credendos, tanquam à Deo reuelatos. In primis quidem ea quæ propriis terminis in Canonicis scripturis continentur ( quænam sint *Azorius* cap. 1. quæst. 4. exponit. ) 2. Quæ clarè ex scripturis Canonicis deducuntur. 3. Quæ ex traditione Apostolica ediscimus. 4. Quæ Concilia legitime congregata à summoque confirmata Præsule definiunt. 5. Quæ vnanimi consensu à Patribus vti de fide proponuntur, & aduersus hæreticos affirmantur. 6. Quæ euidenter ex tribus proximioribus gradibus deducuntur.

Quænam libri Canonici pollent auctoritate? Non solum Canonici libri, verum singula illorum verba ab Spiritu sancto indicta sunt. Ecclesia definit quinam Canonici habendi, de quo *Azor.* cap. 1. q. 11.

Quid de traditionibus Ecclesiæ dicendum? Sunt hæ Fidei ac probò

proborum morum doctrinæ ab antiquis Patribus acceptæ ad Fidem quidem pertinentes.

*Quenam debemus credere?* Septem articulos ad Diuinitatem atinentes, septem ad Humanitatem Christi, quorum breuem summam Apostolorum Symbolum exprimit. Porro Dei sapientia, immensitas, prouidentia, Eucharistiæ Mysterium illo verbo Symboli innuuntur, *Credo in Deum omnipotentem.* Scio *Azorum* Eucharistiam asserere eo verbo exprimi, *Remissionem peccatorum*; quia per Eucharistiam peccata abolentur, primaque gratia aliquando accidentaliter exhibetur.

## C A P V T II.

*De Fidei necessitate, & ratione mediæ, & ratione præcepti.*

**A**N Fides sit simpliciter necessaria ratione mediæ? 2.  
Necessitas  
Fidei ra-  
tione me-  
diæ.  
Quidem est vti medium. Et opus est, vt sit supernaturalis non solum ea ratione, quod est medium quo credimus; verum & ex parte rei, quæ creditur, videlicet, quia naturaliter agnosci non potest: v.g. Deum esse trinum & vnum.

*Num explicita fides Christi sit ad salutem necessaria?* Ante sufficientem Euangelij euulgationem implicita fides sufficiens fuit. At post Euangelium sufficienter euulgatum explicitam fidem mortis & resurrectionis Christi Dei & hominis veri necessariam esse affirmo. Dixi equidem mortis, & resurrectionis. Neque enim explicita fides omnium Mysteriorum, quæ Ecclesia celebrat, & credit, est necessaria.

*An Fides Trinitatis medium sit necessarium?* Ita plane, quæ quidem post sufficientem Euangelij prædicationem explicita esse debet: quia eodem modo est salutis nostræ fundamentum Trinitatis fides, ac Christi Domini.

*Possunt ne salutem adipisci, qui inuincibiliter Trinitatis, ac Christi fidem ignorant? Minimè; quia si legis naturalis diuino auxilio fulti obseruationi adhærescerent, Deus prouideret, quonammodo Trinitatis, ac Christi mysteria callerent. Non prouidit de magistro? Signum euident, eos legem naturalem violasse, digno damnationis æternæ flagitio. Scio planè huiusmodi homines à crimine infidelitatis posse excusari; quia non omnes infideles eo ex crimine damnantur, cum inuincibili ignorantia teneantur.*

3.  
Necessitas  
Fidei ra-  
tione præ-  
cepti.

*Fidei necessitatem ratione præcepti expendas queso. Ac primum expone quotnam sunt Fidei præcepta generatim? Quinque. 1. Res Fidei cognoscere. 2. Certa quædam Mytheria, seu articulos credere. 3. In rebus Fidei non dissentire. 4. Fidem pro opportunitate confiteri. 5. Nunquam eam abnegare. Profectò quidem articuli Fidei ex præcepto Diuino credendi, v.g. Deum esse, remuneratorem eundem bonorum, malorum autem correptorem, carnem accepisse, pro hominum salute neci traditum, vnum & trinum esse. Alij autem credendi sunt præcepto humano Ecclesiastico.*

*Præceptum hoc humanum Ecclesiasticum quænam cunctis fidelibus credenda præscribit? Quæ in Symbolo includuntur & cognosci, & credi debent; quia hi articuli prima Christiana Fidei rudimenta vocantur. Profectò sufficit, vt intelligantur secundùm substantiam ac significationem vocis generalem, quæ illo in articulo continetur; quia particularis ad ignorantium eruditionem necessaria ad Pastores pertinet.*

*An debeant hi articuli cognosci eo ordine, quo ab Ecclesia in Symbolo proponuntur? Sufficit sensum & veritatem eorum intelligere, & respondere, quando quis fuerit interrogatus: Assero tamen veniale crimen ponderis esse breue Symbolum & Dominicam orationem haud memoriæ mandare materno idiomate, quo possint verba intelligi à recitante.*

*Quænam cognitio rudioribus sufficet? Aliquos articulos debent*

debent secundum substantiam explicitè dignoscere. v. g. Deum esse supernaturaliter remuneratorem, Dei Filium carnem assumpsisse, & fuisse pro hominum salute neci traditum, Deum esse trinum & unum; quia eiusmodi Fides Myfteriorum medium necessarium est. *Quid si tanta vuditate laboret, vt non valeat explicitè callere?* Sufficiet implicitè adhibere Fidem; sed non ideo obligatio ediscendi vterius aboletur, dum spes proficiendi adest.

*Quonammodo absoluendus sit, qui Symboli ignorat Myfteria?* Haud absoluendus donec instruat; id quod disertus Confessarius facili potest negotio præstare ex Crucis signo, festisque Ecclesiæ solemnioribus, scilicet Incarnatione, Natiuitate, Resurrectione, Ascensione, Passione, Eucharistia. Circa alia autem Myfteria sufficit pœnitentem tunc promptum sese ad ediscendum præstare. Quod si negligat, aut difficulter absolutio detur, aut differatur.

*An aliquando possit ignorantia excusare?* Inuincibilis excusat. Attamen inter Christicolas vix huiusmodi potest ignorantia admitti. Vnde Parochi negligentes circa rudioram eruditionem graui sese flagitio illigant.

*Preceptum hoc credendi res Fidei est ne naturale, an positium: diuinum, an Ecclesiasticum?* Partim est diuinum, naturale, partim positium, Ecclesiasticum.

*Num fideles alia extra Symbolum callere teneantur?* Tenentur quidem dignoscere Sacramenta quæ debent recipere, decem Decalogi mandata, quinque Ecclesiæ præcepta, ex Oratione Dominica petitiones promiscuè saltem. Angelica salutatio, ac oratio SALVE REGINA, haud necessariò quidem, sed tamen laudabiliter ediscenda.

*Quanam in ætate fideles explicitè teneantur prædicta credere?* Quando vsu rationis fungantur, sufficienti instructione præcedente. Equidem obligatio hæc sub peccato mortali, nisi ignorantia excuset.

*Quandonam Confessarius teneatur de Christiana doctrina*

322 *Moralis Theologiae Tract. V. Virtutes,*  
*pœnitentem interrogare? Quando probabiliter eum igno-*  
*rare iudicauerit. Qui vrbibus educantur haud interro-*  
*gandi, secus ij, qui villis degunt.*

*Sufficit ne in mortis articulo ea egrotanti proponere, quæ*  
*credi debent medij necessitate? Sufficit ei proponere Trini-*  
*tatis Mysterium, esse Deum remuneratorem, carnem*  
*sumpsisse, mortuum esse; quia ægrotus haud vberioris*  
*doctrinæ capax.*

### C A P V T III.

#### *De exteriori Fidei Confessione, ac disputatione* *eius Mysteriorum.*

4. *Confessio*  
*Fidei.* **T**enemur ne præcepto, Fidem exterius profiteri? De Fide est  
nos ad id præcepto obligari.

*Quandonam hoc præceptum obligat? Quando in odium*  
*Fidei interrogamur. Quando iudico ex mea publica*  
*confessione aliquem fidelem ad Christum accessu-*  
*rum. Quando ex silentio Deo debitus honor au-*  
*fertur.*

*Qui rogatus de Fide, tacet, violat ne præceptum confessionis*  
*Fidei? Publicè rogatus tenetur respondere, ne præcep-*  
*tum transgrediatur. At clam interrogatus, amphibolo-*  
*gica responsione potest interrogantem illudere. Profes-*  
*sio aut interrogetur quis, aut non, nunquam est licitum*  
*se Christianam abnegare. Qui se Turcam, aut hæreti-*  
*cum esse falsò affirmat contra debitam Fidei confes-*  
*sionem agit; non autem qui se abnegat Sacerdotem, aut*  
*Missam exaudisse; quia veritatem quidem violat, non*  
*Fidei confessionem. Nec Clerici, qui vestes deponunt,*  
*quando per vrbes hæreticorum iter peragunt, ne Ca-*  
*tholici habitus vexatione afficiantur, Fidei violant con-*  
*fessionem.*

*Quisnam licita fuga persecutionis tempore, quisnam illicita?*  
Eis

Eis solis fugere licet, quorum præsentia non est necessaria. At Parochi, Pastores, personæque publicæ haud fugæ se dare possunt; quia eorum præsentia fidelibus est necessaria.

*Tenemur ne aliquando fugere? Minimè, nisi periculum adsit Fidei abnegandæ. Porro quando necessitas non vrget, aut maioris boni probabilitas desit, ex lege naturæ vitam tueri debemus.*

*An liceat externis vestibus Religionem dissimulare, aut infidelem cultum fingere? Licet, modò non sit vestis illa distinctiua expressè Religionis, ob specialem cultum debitum sectæ authori.*

*Num liceat Catholico apud infidelium hospitia carnibus vesci sexta feria, ad Fidem dissimulandam? Si se simulat debilem, aut ægrotañtem, non delinquit aduersus Fidei confessionem; quia tunc Fides celatur quidem, non abnegatur. Porro si carne vescatur, ad vitæ periculum fugiendum, non delinquit; quia ex se carniū esus haud est signum infidelitatis.*

*Quid de ingressu ad hæreticorum delubra, sermonum auditione, &c. Potest quis interesse, modò non adsit scandalum, aut periculum peruersionis. Princeps hæreticus id præcipit in Religionis signum. Non licet, ex Pauli V. declaratione.*

*Licet ne non gestiare statutum signum, ut vera Religio distinguatur à falsa? Regulariter non licet affirmo; secus ob grauem causam, modò absit scandalum.*

*An possit seruus Domino hæretico in templo famulari? Potest, modò in ritu infideli cum illo non communicet. Ad falsam Religionem simulare, nunquam est licitum, nisi fortè per iocum.*

*Quam teneantur ad externam Fidei professionem ex præcepto Tridentini? Parochi tenentur, aut Canonici, & Dignitates Cathedralis Ecclesiæ Episcopi, Archiepiscopi Prouinciali Concilio assistentes. Extenditur quidem ad Magistros regulares, & ad quoscunque facultatis cuiusvis professores. Quæ quidem publica professio Fidei*

§ 24 *Moralis Theologia Tract. V. Virtutes,*  
personaliter facienda intra duos menses à Beneficii  
possessione, sub poena fructuum amissionis.

5. *Disputatio de Fidei My-  
steriis.*  
*Quæisnam prohibitum sit, de rebus Fidei disputare? Cùm sit*  
duplex disputatio, vna materialis sine animo quidem  
impugnandi Fidem, altera formalis inter Catholicos &  
hæreticos: hæc naturali iure prohibetur ignorantibus,  
ob periculum Fidei despectionis. At Canonico iure  
omniò laicis prohibita est, modò necessitas non  
vrgeat.

## C A P V T I V.

### *De Peccatis contra Fidem.*

6. *Ignoran-  
tia rerum  
Fidei.*  
**P**Recipua crimina contra Fidem assigna. Sunt ignorantia,  
Paganismus, Iudaismus, Hæresis.

*Ignorantiae crimen expendere. Licet ignorantia eorum, quæ*  
necessaria sunt, nec est actus malus, nec actus boni præ-  
cepti cessatio, sed habitus quidam: tamen ex aliquo ca-  
pite potest esse peccatum. *Quis voluntariè Fidem ignorat,*  
*& ideo in aliquem errorem aduersus eam incidit. Si promptus*  
sit ad emendationem, & credat implicite quod credit  
Ecclesia, hæreticus non est. *An possit dari inculpabilis igno-  
rantia circa Fidei Mysteria? Potest, & tunc est quædam in-  
fidelitas purè negatiua. Porro ignorantia vincibilis du-  
plex est, vna priuatiua, cùm ad actus caret Fide, quam &  
potuit, & debuit habere: altera positiua, cùm iudicat  
falsum aliquod Fidei Mysterium, aut res, quæ credenda  
proponitur.*

7. *Paganis-  
mus.*  
*Paganismi crimen exponas. Pagani haud sacris scripturis*  
adhibent fidem. *An cogendi ad fidem suscipiendam? Minimè,*  
præcipuè cum subditi non sunt; licet & amicis verbis,  
& munusculis illos allicere. Subditi possunt cogi ad Fi-  
dem audiendam, non subditi minimè. Potest Princeps,  
aut Dominus cogere eos ad naturalis legis obseruationem,  
& ne impediunt Euangelij prædicationem, & pu-  
nire

nire eos ob iniuriam Christianæ Religionis illatam. *An vitus Paganorum tolerari possint?* Ita planè, si non cedant in Ecclesiæ iniuriam. Prohibitum quidem iure, Paganos Ecclesiæ subditos Christicola mancipia habere; quæ quidem possunt fugere, uti ad propria se referant. *Num liceat Paganis vendere ea, quæ ex se ad superstitionem pertinent, v.g. idola?* Minimè. Indifferentia autem, v.g. lapides, ligna, vendi possunt, licet ab eis sint infidelem in usum conuertenda.

*Iudaismi crimen aperias, ac simul Sarracenorum infidelitatem.* Iudæi ac Sarraceni in eo conveniunt, quod non credunt in Christum uti Messiam verum. *Prohibita ne Christianis cum Iudæis communio?* Prohibita quidem non diuisa habitatio, conuiuia, balnea, medicamina ab eis præscripta, nutrire eorum infantes apud eorum domos, aut in eisdem ministrare, eis vinculo seruitutis subiaccere, de eorum azimis sumere, interesse nuptiis, solemnibus Synagogis. Possunt eis conduci boues, currus, &c. iuxta Romanum usum. Licent contractus circa emptiorem, & venditionem. Multa Iudæis inter Christicolas degentibus & ciuili, & Canonica lege prohibentur (de quibus Azor hic quæst. 10.) Possunt puniri ciuili correptione ob crimina aduersus Rempublicam, aut ciues commissa. *An eis usure permittantur?* Ita quidem ad maiorum malorum abstractionem. Licitum Principibus statuta præscribere circa earum vsurarum solutionem; & abnegare ne restitutio petatur apud seculare tribunal, modò recursus ad Ecclesiasticum non obturetur, licet Tabellioni instrumentum vsurarium conficere in gratiam Christiani. Potèstque Ecclesia Iudæum recens conuersum liberare ab vsurarum solutione, quas ignoto creditori debebat; quia tali in casu pauperibus erant distribuendæ.

*Prohibitum ne Sarracenis arma exhibere?* Ita quidem, & alia, de quibus in Bulla Cœnæ. *Possunt ne Christiani triremibus Sarracenorum inferuire?* Delinquunt si remigando dent operam sine causa graui, v.g. metu mortis, mutilationis,

8.

Iudaismus.

9.

Sarraceni.



526 *Moralis Theologiae Tract. V. Virtutes,*  
 tionis, &c. *Possunt puniri Sarraceni Principibus Christianis*  
*subditi? Possunt quidem ob crimina contra naturalem*  
*& diuinam legem, & ob Christianæ Religionis illatam*  
*iniuriam. Possunt eis sui vitus permuti? Possunt in maioris*  
*mali propulsationem modò eorum superstitio propriæ*  
*sectæ limites non excedat.*

10.  
*Hæresis,*  
*& Apo-*  
*stasia.*

*Iam verò Hæresis, ac Apostasie delictum insinua. In primis,*  
*quid est Hæresis? Voluntarius error in intellectu, ac liber*  
*contra aliquam sententiam Fidei, cum pertinacia con-*  
*iunctus. Quotnam ad Hæresim requiruntur? Quatuor. 1. Er-*  
*ror in intellectu. 2. Baptizatum esse. 3. Credere ali-*  
*quas Fidei sententias, & aliquas abnegare. 4. Pertinacia.*  
*Dubitat quis de Fidei Mysteriis. Hæreticus est. Suspendit assensum.*  
*Metaphysicè loquendo hæreticus non est; moraliter autem ita; quia accedit iudicium firmans res*  
*Fidei dubias esse. Non adest interior assensus, licet exterius*  
*quis videatur Fidei sententiam abnegare. Haud est hæresis, li-*  
*cet exterius appareat. At qui exterius abnegat Fidem*  
*iuris pœnis tanquam hæreticus potest affici. Tentationi-*  
*bus quis aduersus Fidem agitur. Haud hæreticus est; me-*  
*dicamen autem huiusmodi ægritudinis est eam despi-*  
*cere, eius vires contemnere. Cedo Hæresis ac Apostasie dif-*  
*ferentiam. Apostata totaliter à Fide recedit; hæreticus*  
*solum ex parte; sed omnis Apostata hæresi videtur la-*  
*borare. Errat quis circa Fidem ob crassam ignorantiam. Hæ-*  
*resis est, sed non completa, & ideo non incurritur Cen-*  
*sura. At si ignorantia sit affectata, aut hæresis est, aut ad*  
*hæresim reducitur. Quidnam est Perinacia? Assensus ad*  
*sententiam, aut propositionem, quam quis ex certa*  
*scientia dignoscit ab Ecclesia reiectam esse vti omnino*  
*falsam. Quinam habentur pertinaces? Qui scientes Eccle-*  
*siam aliquam veritatem definiisse, non credunt. Qui ita*  
*vni propositioni adhærescunt, vt adhuc defenderent*  
*postquam Ecclesia contrarium definiret. Qui sibi falsò*  
*persuadentes rem aliquam ab Ecclesia definitam esse,*  
*contrarium sentiunt. Non assentit quis reuelationi, quam iu-*  
*dicat esse diuinam. Probabiliter defendi potest hæreticum*  
*esse.*

esse. Negat Theologicam propositionem ex vno Fidei principio, & altero luminis naturalis euidenti illatam. Indirectè hæreticus est. *Quotuplex hæresis?* Duplex, interna seu mentalis, & externa: interna quidem Censuris non subiacet, externa secus, nam & ratione culpæ Censuræ subiacet referuatæ. *Quotnam ad externam hæresim requiruntur conditiones?* Tres. 1. Exteriorius signum hæresim sufficienter manifestet. 2. Actus exterior ex se sit mortaliter prauus. 3. Hic idem prauus actus exterior sit hæresim manifestatiuus. Vnde si quis actionibus indifferentibus hæresim manifestat, hæreticus non est. Nec qui scribit hæresim characteribus, aut signis sibi soli cognitis.

## CAPVT V.

## Praxis circa præfata ex Societatis

## IESV schola.

**I**gnorantia crassa Mysteriorum Fidei quis laborauit: est ne id **II.**  
speciale peccatum in Confessione exponendum? Ita planè; De Fide  
quia est negligentia addiscendi articulos Fidei, quæ varij ca-  
virtuti studiositatis opponitur, vti Vasquez aiebat. sus.

*Committit ne plura peccata, qui vincibiliter plures Fidei arti-  
culos ignorat? Ex Suarij doctrina probabiliter assero vni-  
cum tantùm peccatum committere.*

*Quorumnam Sacramentorum substantiam quis necessariò  
scire debet? Baptismi, Poenitentiae, & Eucharistiae omnes  
debent explicite callere substantiam; quia necessaria ad  
salutem cunctis fidelibus. Quid de cæteris? Si qui susci-  
pere voluerint, callere tenebuntur ex Suario; reliqui  
minimè. Peccant ne adulti grauiter nescientes se Signo Crucis  
inuitare? Venialiter tantùm delinquere Sanchez docet. Ne-  
scientes Symbolum Apostolorum, Decalogum, & Orationem Domi-  
nicam, quoniam crimine maculantur? Asserit Suaris veniali  
solum, dummodo eorum substantiam sciant.*

Licet

*Licet ne in terris Turcarum pileo Turcico uti?* Licet planè vel ad euitandum mortis periculum, vel ad iustam de hoste victoriam reportandum, vel ad aliam causam factis grauem, & necessariam *Suario* authore; quia huiusmodi vestes per se & directè non sunt signa falsæ religionis protestatiua, sed res ex se indifferentes, v. g. nationis habitum repræsentans signum, non fidei distinctiuum. Infero hinc posse Christianum Romæ gestare pileum cum signo flauo more Iudæorum, vt dum quaeritur ad necem incognitus valeat effugere.

*Quanta debet esse manifestatio hæresis externæ, vt excommunicatio incurratur?* Debet quis illam ita proferre, vt secundùm quantitatem operis externi, & non sola relatione ad consensum internum sit peccatum mortale. Quare debet manifestari per tale signum, vt si quis esset tunc præsens, posset ex eo cognoscere illum in talem hæresim esse lapsum. Sic *Granadus*, & *Henriquez*.

*Errat in rebus fidei ex ignorantia non solùm crassa & supina, sed etiam affectata homo rudis: est ne censendus hæreticus?* Sentio cum *Suario*, non esse hæreticum verum in foro interno, defectu pertinaciæ, quamuis etiam moneatur ab Episcopo, vel Inquisitoribus de suo errore, si nihilominus pergat iudicare suam opinionem non esse contrariam Romanæ Ecclesiæ. In foro tamen externo hæreticus censendus est, & vt talis damnandus.

*Quare dubius in Fide hæreticus non est censendus?* Quia hæresis est error Fidei contrarius, seu assensus contra Fidem: at qui est dubius neutri parti assentitur, sed sustinet assensum: ergo. Sic *Sanchez*.


*Atteu, vi, fraude inter infideles Petrus exterius Fidem abnegauit corde tamen illam retinuit: est ne hæreticus?* Peccauit quidem grauissimè contra externam Fidei professionem, non tamen est hæreticus, nec incurrit excommunicationem; vnde posse à quocumque Confessario absolui cum *Suario* iudico; sed tamen in foro externo excommunicandum hæreticum iudicandum fateor.

*Quasnam pœnas incurruunt hæreticorum filij?* Sunt inhabil-

sbile

biles ad officia publica, Magistratus, Prætoriatuſ, Notariatus, &c. *Suario* auctore. Sunt inhabiles ad Beneficia Eccleſiaſtica, & irrita eſt eis facta collatio Beneficij, aut Penſionis ex doctrina *Sanchez*. Quæ locum habent, & ſi filij antè parentum hæreſim eſſent exorti, vel etſi parentes brachio traditi ſæculari, mortui ſint pœnitentes, & Catholici, *Suario* Doctore. Si filij ſint Clerici Beneficij etiam obtentis priuantur, poſtquam parentes in hæreſim lapſi erant; non autem poſſeſſis ante illorum hæreſim, eodem *Suario* adnotante. Admonuero tamen nullas pœnas ex ſtatutis contra hæreticorum filios incurere eos, qui hæreſim parentum ſponte reuelant, etſi ipſi poſt parentum hæreſim geniti fuiſſent.

*Legit quis librum hæretici auctoris qui non tractat de religione ex profeſſo: vel librum auctoris Catholici cum ſcholjſ, aut commentariis hæreticorum: incidit ne in Bullæ Cœnæ excommunicationem?* Incidere *Suarus* docet, quidquid alij exteri conclament. *Audit librum hæreticum legentem.* Non incidere *Sanchez* ait; quia audire non eſt legere, & verba legis pœnalis in ſua ſunt propria ſignificatione accipienda. Probabiliorem tamen exiſtimo contrariam *Suarij* ſententiam: quia nomine audientis legit ille. *Legit librum hæreticum in Prouincia, ubi Bulla Cœnæ non eſt recepta.* Non incurere excommunicationem *Sanchez* exiſtimat. *Legit illum librum rûdis idiomatis, quo conſcriptus eſt.* Non incidere in excommunicationem *Suarus* iudicat; quia mens Pontificis non violatur. *Libros hæreticos comburit auctoritate propria, nec Inquiſitoribus tradit.* *Suarus* defendit eum ab excommunicatione; quia dum liber comburitur, non retinetur, quod Bulla præſcribit.



## EXAMEN II.

Circa Materiam de Augusto Inquisitionis  
Tribunali.

## CAPVT PRIMVM.

## De DD. Inquisitorum potestate.

**12.** *Potestas ac iurisdic-  
tio DD. In-  
quisitorū.* **A**D materiei Fidei complementum operæ pretium duxi  
adiicere Tribunalis Inquisitionis translationem. In primis  
itaque Inquisitorum exprime iurisdictionem. An sit Or-  
dinaria vel delegata? In se & à principio delegata est, &  
omnibus excellentiis delegatae fungitur; attamen valde  
accedit ad Ordinariam, ita vt careat delegatae imperfe-  
ctionibus. Colligo hinc posse causas hæresis alteri dele-  
gare. Imò dubium est, num sic delegatus ab Inquisitori-  
bus possit subdelegare. Tam augusta eorum iurisdic-  
tio. Ad quenam sese Inquisitorum extendit iurisdic-  
tio? Non solum ad ea, quæ ipsis competunt ex iure communi; sed  
ad ea etiam, quæ sunt consuetudine recepta.

An sit hæc iurisdic-  
tio Ecclesiastica, an secularis? Tota est Ec-  
clesiastica, & si iudices etiam sint in civilibus causis suo-  
rum familiarium.

Habent ne familiam armatam? Ita planè, & huiusmodi  
armorum licentiam suis ministris, etiam Aduocatis, &  
Consultoribus possunt concedere.

Possunt ne Inquisitores ab Inquisitore generali aut deponi, aut  
de loco in locum transferri? Minimè sine iusta causa. Quod si  
causa mutandi sit ex aliorum parte iniusta, v.g. quia contra In-  
quisitorem odia, vel dissensiones personarum principum insurre-  
xere? Debet provideri de meliore Inquisitione; ne alio-  
rum culpa in ipsius vergat incommodum.

¶ Inquisitores

*Examen II. De Tribunali S. Inquisitionis. 531*

*Inquisitores Regulares possunt ne delinquentes à suis Superioribus puniri? Non solum puniri nequeunt in proprio officio, sed neque in aliis, saltem ea poena, quae aliquo modo proprii officij exercitium posset impedire.*

*vt Inquisitor recusatur iudex, vt suspectus: ad quemnam recurrendum? Ad summum planè Inquisitorem.*

*Quam necessarium sit Consultorum, seu Qualificatorum iudicium? Ad declarationem propositionum vocari assolent; at id fortè necessarium non est quando Inquisitores sunt Theologi. Verùm eorum suffragia decisiva non sunt, sed consultiva tantùm.*

*Possunt ne Clerum ac iudices laicos cogere per Censuras? Clerum quidem possunt Censuris obligare, vt cum populo confluat in templum ad edictum Fidei exaudiendum. Et iudicem laicum ad sententiæ à se latæ executionem. Quid si negligat iudex? Possunt contra ipsum procedere tanquam hæreticorum fautorem.*

*Incurrunt ne hinc Inquisitores ullam irregularitatem? Iam asserui in Censurarum materia non incurrere; quia quomodocunque concurrant ad reorum condemnationem, non fiunt irregulares ex Decreto Pauli I V. & Pij V.*

*Assolent Dominorum temporalium statuta iurisdictionem Inquisitorum impedire: quid tali in casu? Profectò quæcunque eiusmodi statuta sunt ipso iure nulla; possuntque Inquisitores cogere temporarios Dominos sub excommunicationis poena ad statuta illa reuocanda.*

*Possunt ne rei ab Inquisitorum sententia appellare? Ab interlocutoria possunt, non tamen à definitiua. Illud item affirmo reos Superiorem adire non posse per viam querelæ, & supplicationis.*

*Habentur ne Inquisitores pro presentibus suis in Præbendis, & Dignitatibus? Ita planè, etiam quò ad quotidianas distributiones.*

*Inquisitorum peritiam, & ætatem expendo. Magis eos iurisperitos quàm Theologos esse debere assero:*

532 *Moralis Theologiae Tract. V. Virtutes.*  
nec necessario habere quadraginta annorum aetatem  
affirmo.

*Expirat ne Inquisitorum iurisdictio morte concedentis, v. g.  
Papae vel supremi Inquisitoris? Non expirat, etsi fuerit con-  
cessa cum clausula, ad beneplacitum.*

---

## C A P V T II.

*In quos habeant DD. Inquisitores iurisditionem,  
& de quibus cognoscant.*

13. *Subditi Inquisitorum iurisditioni.*  
**H**abent ne Inquisitores iurisditionem in Episcopum? Titu-  
larem tantum vel electum & non confirmatum  
non possunt capere, ( nisi forte esset de fuga suspectus,  
vel aliquid in detrimentum fidei moliretur; ) possunt ta-  
men dicta testium contra illum accipere, vt sic negotium  
instructum ad Pontificem immittant.

*Habent ne iurisditionem in Generales Ordinum Regula-  
rium? Generales hi non funguntur Episcoporum pri-  
uilegio. At tamen Inquisitores non debent contra il-  
los procedere, sed supremum Inquisitorum admonere  
Senatum.*

*Possunt ne contra Nuncium Sedis Apostolicae procede-  
re, aut eiusdem Sedis Apostolicae Officiales? Non pos-  
sunt.*

*Subditus ne Inquisitoribus non baptizatus? Sicut non est  
Ecclesiae subditus, ita nec Inquisitoribus pro Ecclesia  
decertantibus.*

*Dubitatur, an baptizatus sit. Praesumendus quidem ba-  
ptizatus, si educatus & natus inter Christianos;  
non si inter infideles. Quid si ab infidelibus captus esset  
ante discretionis annos? Non posset vti haereticus puniri;  
quia sufficienter non fuit in Fide instructus.*

14. *Causae In-  
quisitori-  
bus addi-  
tiae.*  
*De quibusnam causis possunt cognoscere Inquisitores? Non so-  
lum de causa haeresis, sed etiam de omnibus connexis,  
&*

*Examen II. De Tribunali S. Inquisitionis. § 33*  
& incidentibus. Item non solum corripunt hæreticas propositiones, sed etiam alias notæ inferioris, v. g. hæresim sapientes, malè sonantes piarum aurium offensivas, temerarias, scandalosas, stultas.

*In quonam sensu ab Inquisitoribus accipienda verba dubia?*  
In sensu Catholico, nisi qualitas personæ de hæresi suspectæ obstare videatur.

*Subiecti ne Inquisitoribus disputantes de Fide? Possunt eos punire in casibus à iure prohibitis.*

*An assistentes conuenticulis, vel concionibus hæreticorum ab Inquisitoribus puniantur?* Si id fiat in partibus hæreticorum per duas vices, non parit grauem hæresis suspicionem. Si autem fiat in Catholicorum Prouinciis, etiam semel tantum, fieret quis vehementer de hæresi suspectus, & deberet abiurare, nisi aut ignorantia, aut qualitas personæ contrarium testarentur.

*Qui sortilegiis vsus est subiacet ne Inquisitorum animaduersioni?* Ita quidem, si vsus est aliquo Sacramento vt oleo sacro, Chrismate: Si miscuit Sacramentalia, aut verba sacra, vt Euangelium orationem Dominicam; Agnus Dei, vestes Sacerdotales; à fortiori si reliquiæ Sanctorum; quia sunt hæc sortilegia hæreticalia, siue, vt ait *Del-Rius*, hæresim sapientia. Imò ex Bulla Sixti V. cognoscunt de sortilegiis etiam hæresim non sapientibus.

*Quid de eo, qui ope Dæmonis præterita, vel præsentia indicit, v. g. furta?* Ab Inquisitoribus punitur; quia omne cum diabolo commercium hæresim sapit.

*Quinam suspecti de Hæresi ab Inquisitoribus corripuntur?*  
Qui in communionem sumunt plures aut maiores hostias. Qui non communicant in Paschate. Qui non abstinent à carnibus diebus veneris. Qui asserunt confessos Regularibus teneri eadem peccata confiteri Parocho. Qui deturpant, vel lacerant schedulas affixas, quibus aliqui excommunicati declarantur. Qui ipsomet Inquisitores factis aut verbis lædunt; læditur enim S. Officium.



Quosnam alios puniunt delinquentes? Eos, qui consilium aliquod etiam iustum dederint reo ab Inquisitoribus incarcerato, ipsis inficiis. Egyptianas, quæ bonam, vel malam fortunam diuinant. Reconciliatos, dum sunt in carceribus, vel propter habitum poenitentiae vnus alteri conuitra dixerit. Ad ipsos spectat reuelationes mulierularum examinare; & inuigilare, ne non Beatificatorum imagines cum sanctitatis signis publicè exponantur, iuxta Urbani VIII. constitutionem.

---

### C A P V T III.

#### *De modo procedendi, tortura, sententia.*

15. *Modus procedendi s. Inquisitionis.* **Q**uoniam modo assolent procedere DD. Inquisitores circa delictorum probationem? Reus quidem est in territorio alieno: quid tunc? Possunt non solum verbaliter, sed & realiter citare, & capere reum, & mandare, vt ad se libri, & alia necessaria ad causam sine licentia domini loci, etiam Ecclesiasticorum transmittantur.

*Ut reus possit capi, qualia debeant indicia procedere? Ea quidem, quæ sint ad torturam sufficientia. Vnde non semper vnum testem etiam idoneum sufficere affirmarim.*

*Possunt ne DD. Inquisitores ex suspitione leui formare Inquisitionem, & reum interrogare, etsi diffamatio non precedat? Possunt, quando est homo vilis, improbus, & abiectus; secus si honestus, nobilis, & Religiosus. De quanam leui suspitione fit sermo? Voco leuem suspitionem comparatiue ad vehementem; scio enim in se debere esse notabilem iudicis arbitrio.*

*Denunciatio facta est per chartam sine nomine, in qua etiam testes nominantur: potest ne reus ex vi huius denunciationis examinari? Minimè; quia est suspecta. Sed tamen præcipuam rationem proximam esse existimo.*

*Post sententiam absolutoriam in crimine heresis noua superueniunt*

*Examen II. De Tribunali S. Inquisitionis. § 35*  
veniunt indicia. Coniunguntur cum prioribus, & potest reus de nouo examinari.

*Imposita fuit pœna arbitraria: quidnam faciendum, quando post superuenit plena probatio? Si nondum arbitraria illa pœna impleta est, puniri debet reus pœna ordinaria; si autem est impleta, detrahitur de secunda, nisi hæc esset capitalis, nempe indiuisibilis.*

*Possunt ne in causis fidei de plano sine strepitu, & figura iudicij procedere? Possunt, seruatis tamen iis, quæ per se necessaria sunt ad sententiæ æquitatem.*

*An teneantur, dum reum interrogant, manifestare ei indicia, & semiplenam probationem, ex qua ius habent legitime interrogandi? Minime tenentur. Profecto ad id tenentur in aliis exceptis criminibus, v. g. læsæ Maiestatis, &c.*

*Negat reus: possunt ne Inquisitores impunitatem promittere, si verum fateatur? Non possunt; quia implere non semper valent. Annon hæreticus, præsertim relapsus adhuc post promissam impunitatem esset necessariò puniendus?*

*Quonammodo se Inquisitores debeant habere circa torturam, exprime, si quidè proni plerumque ad eam esse tenentur, cum crimen heresis suapte natura sit difficilis probationis. Potest ne reus à sententia torture appellare? Potest, & appellatio admitti debet, nisi esset friuola, & calumniosa, v. g. quando in processu allata sunt legitima ad torturam indicia, nec purgata sunt in termino ad defensionem concessio.*

16.

Tortura reorum.

*Debet ne dari torquendo copia indiciorum, & depositionum? Debet planè, sed sine testium nómine, aut circumstantiis, ex quibus possent innouescere.*

*Est torquendus minor viginti quinque annis? Debet ei dari curator, sed non ex S. Officij Officialibus. Datus ei curator non est. Confessio rei sine curatore, etiam spontanea, & iurata nullius est momenti. An necesse sit, curatorem interesse torture? Minime.*

*Constitetur quis proprium delictum: potest ne pro complicibus torqueri? Minime, nisi adsit semiplena probatio, quod socios criminis habuerit.*

*Plures sunt complices eiusdem delicti, & necessarium est ad torturam procedere. Prior ille torquendus est, à quo facilius veritas elici poterit, v.g. qui timidior, debilior, delicatior fuerit.*

*Possunt ne torqueri persone privilegiatæ? Ita quidem, exceptis minoribus annis quatuordecim, & prægnantibus vsque ad quadragesimum à partu diem. De Clerico specialiter differe. Mitiùs quidem Clericus torquendus est, quàm laicus. Est ex externis qui asserat Clericum non posse torqueri, etsi plurima sint indicia, quandiu non est de crimine diffamatus. Affirmo contrarium præcipuè quando de hæresis crimine inquiritur.*

*Quanta debeant esse indicia ad torturam. Inquisitorum prudentiæ relinquo, id asserens, quod si quis sine sufficientibus indicis torqueretur, eius confessionem esse nullam, nec posse ex ea condemnari.*

*Quot testibus indicia hæc probanda? Probari possunt per vnum testem omni exceptione maiorem, qui deponit de ipso met delicto, Audiui Petrum blasphemantem. Quia si tantum deponeret de aliquo actu remoto, vel proximo ipsi flagitio, duo testes essent necessarij. Sufficiunt ne ad testificationem hanc familiares, infames, &c. Sufficiunt, dummodo sint contestes. Sufficit ne aliquando vnus testis, qui non sit omni exceptione maior? Sufficit vnus testis de visu, quando reus est malæ famæ.*

*Vnicum adest indicium remotum per duos testes probatum: potest ne reus per id torqueri? Minimè, sed debent minimum esse duo, nisi illud vnicum esset proximum, & delictum maximè inferens. Adsunt plura indicia testibus tamen singularibus probata. Sufficiunt ad torturam.*

*An sufficiat sola fama, ut quis possit torqueri? Non sufficit, nisi adminiculis hisce iuuetur, quod reus sit vilis, & infamatus: quod fama orta sit non à maleuolis, sed fide dignis: quod ipsa per testes probetur idoneos.*

*Est ne sufficiens ad torturam, testem accusatum fugisse? Si ante accusationem post commissum delictum fugeret, præberet sufficiens indicium ad torturam, tanquam femiplenæ*

*Examen II. De Tribunali S. Inquisitionis. § 37*  
miplenæ probationis. At fugere potuit post accusationem ob effectus calumniæ fugiendos, unde haud sufficiens indicamentum est.

*An sufficiens sit confessio rei extraiudicialis? Sufficit si est verosimilis: si facta est serio & non iocosè neque ex iracundiæ calore: si est specialis, quo loco, & tempore factum sit: si duobus testibus saltem singularibus, & non contestibus probetur.*

*An vnus socij criminis confessio faciat semiplenam probationem, sufficientem ad torturam? Minimè, nisi alia concurrant adminicula, v.g. stricta amicitia cum tali socio: secreta inter ipsos collocutio: fama: fuga accusati: alij testes de auditu.*

*In crimine Magiæ duæ sage testantur se minam quandam suis conuentibus interfuisse: sufficit ne ad torturam? Minimè, si foramina bonæ famæ sit.*

*Tempore torture est ne reus de re aliqua particulariter interrogandus? Minimè; quia hoc esset eum ad falsitatem inducere: cum vi tormentorum quilibet sæpè dicere soleant. Profectò generatim monendus est, vt circa obiecta veritatem aperiat.*

*Semel tortus est reus, & non confessus: potest ne iterum torqueri? Non potest, nisi noua superueniant indicia à prioribus distincta, quæ per se ad torturam sufficerent.*

*Reus in tortura crimen confessus est: debet ne eandem confessionem ratificare? Debet quidem extra locum torture, & post viginti quatuor horas. Quid si abneget? Secundò torqueatur. Etiam tunc abneget. Post secundam torturam, non potest amplius torqueri; nisi forte vtraque vice leuissimè fuisset tortus, & in posteriori confessione alia noua signa prioribus addidisset.*

*Circa sententiam ferendam rogo, vtrum possit vnus Inquisitor sine aliis ad cunctas cause actiones procedere? Vbi plures sunt Inquisitores, non potest vnus sine altero procedere ad capturam, ad purgationem indicendam, ad publicationem testium, ad copiam actorum reo dandam: si vendat.*

17.

538 *Moralis Theologiae Tract. V. Virtutes,*  
equidem alter, aut alteri praesentes sint; nam in absen-  
tia omnia illa solus potest. Haec Hispaniae praxis. *Quid*  
*ab Hispaniae praxi independenter? Quilibet Inquisitor per*  
*se potest procedere independenter ab altero.*

*An Inquisitores sine Episcopo possint aut sententiam tor-*  
*turae ferre, aut actu reum torquere? Minimè; aliàs omnia*  
*erunt inualida. Idem assero de Episcopi Vicario Sede*  
*vacante.*

*An possint permittere laicis, ut unus ipsorum assistat in causis*  
*Fidei, sicut fit Venetiis? Non possunt sine speciali Papæ*  
*priuilegio.*

*Quonammodo sententiae ferendae? De die, & non de no-*  
*cte debent ferre sententias, nisi multitudo negotio-*  
*rum ad tenebras cogat; & in publico, & in scripto;*  
*aliter non valent. Non tamen necessariò pro tribunali*  
*sedentes.*

*Quid de actu publico traditionis Curiae seculari, & executio-*  
*nis? Hunc actum debent in die festo exercere, ob ma-*  
*giorem populi concursum.*

*Quanam probationes sufficiunt ut reus condemnari possit ad*  
*pœnam ordinariam? Debent esse (vti Doctores affirmant)*  
*luce meridiana clariores. Vnde ex praesumptionibus &*  
*indiciis plenè probatis, potest haereticus condemnari ad*  
*pœnam extraordinariam triremium, fustigationis, exi-*  
*lij, carceris, &c. Non tamen ad Ordinariam pœnam.*  
*Scio equidem ex praesumptionibus & indiciis indubita-*  
*tis posse etiam pœnam ordinariam inferri, v.g. si quis è*  
*genere Iudæorum aliquam caeremoniam Iudaicam ger-*  
*rat. Sic Menoch. Adiucio ex aliis ad pœnam ordinariam*  
*duas semiplenas probationes inter se vniri non posse,*  
*nisi alia concurrant indicia.*

*An abiuratio publicè debeat fieri? Assolet abiuratio de*  
*leui priuatim fieri; de vehementi publicè. Porrò*  
*quando Inquisitoribus iusta ex causa visum fuerit,*  
*potest etiam de leui publicè fieri; & de vehementi pri-*  
*uatim.*

*Quenam ad abiurationem aetas necessaria? In masculis*  
*annus*

*Examen II. De Tribunali S. Inquisitionis.* 539  
annus decimus quartus, in foeminis duodecimus.

*Exprime abiurantium relapsum.* Qui abiurarunt de vehementi, si in secundo lapsu plenè conuincantur hæretici, puniendi sunt tanquam relapsi: non autem si priùs tantùm de leui abiurarant; vel si secunda vice non conuincantur hæretici, sed tantùm eorum fautores.

*Qui abiurarunt, possunt ad confessiones admitti?* Qui abiurarunt de vehementi, minimè possunt; secus qui tantùm de leui abiurarunt: neutros tamen irregulares esse affirmo. Profectò Regulares ex Urbani VIII. decreto ad officia & dignitates inhabiles fiunt.

---

## C A P V T I V.

*De bonorum confiscatione, pœnisque delictorum.*

**Q**uandonam confiscatio bonorum facienda sit? Sequestratio & descriptio bonorum in Ordine ad confiscationem non est facienda nisi in captura pro hæresi formali; non autem pro aliis delictis sapientibus hæresim.

18.  
Confiscatio.

*Possunt ne Inquisitores bona illa hæreticis pœnitentibus relinquere?* Minimè, quia Regio fisco applicanda, aut applicata, iam fiscus ad ea ius habet.

*Quid si Inquisitores non damnent reum, quando debent tenentur ne illa confiscanda bona illi restituere fisco?* Non tenentur; quia ius fisci ad illa bona tantùm est roptum, & iudicis condemnatoria sententia supposita.

*Debet ne fiscus debitum rei satisfacere?* Satisfacere quidem debet iis, quæ ante delictum contracta sunt; quia post delictum iam sunt bona illa confiscationi obnoxia. *Dubium est, an sint contracta debita post delictum.* Incumbit fisco probare fuisse post contracta.

*Quenam bona non possunt confiscari?* Maioratus institutus non solum ex bonis propriis, sed etiam à Rege donatis. Neque bona fideicommisso subiecta, nisi id factum esset in fauorem solum delinquentis. Neque bona castrensia, aut quasi castrensia filij, sed hæc cedunt patri. Quod à fortiori dicendum de bonis profectitiis.

19.  
*Pæne*  
*Hæretici.*

*Expende delictorum pœnas. Quenam hæretico infliguntur?* Hæresiarchis, & dogmatizantibus raro reconciliatio conceditur, etsi pœnitentiam ostendant; præsertim si tunc id faciant, quando iam iam sunt Curie seculari tradendi. *Hæretici absentes sunt conuicti.* Si citati non compareant infra triginta dies, sæculari Curie traduntur, & eorum comburitur statua. *Non sunt conuicti, sed eodem modo citati, addita etiam excommunicatione infra annum non compareant.* Declarantur hæretici, & bona à die, quo testes deposuere eos in hæresim incidisse, confiscantur. *Hæretici defuncti sunt.* Si plene eorum hæresis probata est, vel si in carcere existentes sese interemerunt, vel etiam si per annum contumaces fuere in excommunicatione ex causa Fidei (ex quibus sufficienter quis probatur hæreticus) eorum memoria damnatur, statua comburitur, ossa exhumentur si possint distingui, bona confiscantur. Porro quamuis contra bonorum confiscationem spatium quadraginta annorum præscribatur, contra damnationem memorie, & combustionem statue nullius temporis interstitio præsumitur. *Hæretici pœnitentes sunt.* Post publicatos contra eos testes pœnitent? Ad perpetuos carceres damnantur. Scio mitius puniendos fuisse, si ante accusationem pœniterent. *Possunt ne Inquisitores id mutare in aliam pœnam arbitrariam?* Possunt quidem ante latam sententiam; quia post sententiam semel latam solus Supremus Inquisitor illam mutare potest saltem in Hispaniæ Inquisitionibus. *Pœnitent illi solum in publico Theatro, proxime ad supplicium.* Vix fides ei habenda videtur. *Sunt hæretici impœnitentes.* Puniuntur morte. *Impœnitens quis est fictione iuris, id est, negat se unquam hereti-*

cum fuisse, etsi crimen contra eum plenè probatum sit. Etiam morte punitur; quia obliuio hîc non præsumitur, sicut in nullis factis arduis, atrocibus, & horrendis. *Quid si is confitens diminutus sit, id est, vel non omnes suos errores fateri vult, vel negat de complicitibus, quos scire conuincitur?* Eidem pœnæ addici solet e certum est. Scio tamen aliquando in hoc facilius obliuionem admitti. *Confessus est quidam heresim, & ante impletam pœnitentiam reuocat confessionem.* Si non probat talis reuocationis causam impœnitens, & negatiuus censetur; & nisi resipiscat, Curix est seculari tradendus; nisi in continenti, id est, in iudicis præsentia reuocaret. *Constitetur quis verba, vel facta hæreticalia sed negat intentionem.* De hac solùm est torquendus. Sin autem non solùm ipse ea fatetur, sed & de iis conuincitur, Curix est sæculari addicendus. *Hæreticus relapsus est.* Tradendus eidem Curix, nisi spontè ad pœnitentiam rediret. *Quid est sponte redire ad pœnitentiam?* Non certè dicitur sponte redire, qui redit eo quod timeat: vel faciliè præuidere potest se accusandum; sed qui sincerè redit. Monuerim non posse damnari tanquam relapsum, qui secunda vice tantùm est vehementer de hæresi suspectus.

*Apostata pœnam subiunge.* Qui apud infideles abnegauit Fidem si sponte petat reconciliationem, & dicat se 20.  
Fidem interius seruasse, debet abiurare vt vehementer Puna A-  
suspectus, & aliæ pœnitentiæ salutares ei imponi. Si postate,  
verò etiam interius Fidem abnegauit, debet abiurare, vt & aliorum  
formalis Apostata, & grauius puniri. reorum.  
*Non comparet sponte.*  
Tunc si negat internam abnegationem, torquetur super intentione, & in negatione persistens, abiurat de vehementi. *Fatetur intentionis nequitiam.* De iure ad carcerem perpetuum damnandus est. Sed ferè arbitrariis pœnis pecunia, triremium, fustigationis, &c. punitur.

*Astrologi iudicarij pœnas aperi.* Prædicens futura contingentia etsi asserat se non certò id affirmare, potest pœnis Canonice puniri, vel aliis arbitrariis.

*Binas quis Nuptias contrahit simul.* Iuxta Inquisitionis Romanæ stilum vt vehementer suspectus torquetur super



§ 42 *Moral. Theologia Tract. V. Virtutes;*  
super intentione, & negans post abiurationem ad triremes per quinquennium, aut septennium damnatur. Iuxta Hispanicam verò vt leuiter suspecti non torquentur; sed pœnitentiis salutaribus, vel etiam triremibus puniuntur. *Capiendi ne mox huiusmodi delinquentes? Minimè; nisi præcedat plena probatio.*

*Hereticaster quis blasphemauit.* In Hispaniâ Inquisitionibus ferè tantum abiurat de leui. Pœnæ verò sunt pro delicti qualitate. v.g. si dixerint blasphemiam ex subita ira, vel alia passione, damnantur ad triremes. Aliàs nudo capite, & pedibus, recte succincti, dextera ardentem faciem tenentes die festo stant in Ecclesia, ibique sacris peractis, sententia illis legitur cum aliis pœnitentiis, v.g. ieiuniis, precationibus, pœna pecuniaria. *Expende; quænam Blasphemie hereticales sint? Quæ continent formaliter falsitatem contra Fidem, vel virtualiter quidem: v.g. cum quis Deum nominat iniustum, etsi non affirmet esse talem.*

*Clericus in sacris, vel Religiosus professus contrahit matrimonium.* Abiurat de leui, & ad triremes ad minus per quinquennium damnatur. *Quid si alia indicia sint vehementis suspicionis, v.g. si talis esset de Prouincia heresi Lutherana infecta? Grauior esset & abiuratio, & pœna.*

*Conculcauit quis Crucem, aut imagines Sanctorum percussit.* Fit suspectus de hæresi, & si id ex iracundia fiat, pœnis punitur arbitrariis.

*Obsordescit in excommunicatione per annum.* Potest quidem ab Inquisitoribus vt suspectus puniri, sed non assolet; nisi excommunicatio illa in Fidei causa esset.

*Confessarius sollicitauit.* Respondeo generatim iuxta Romanæ Inquisitionis morem vehementer esse suspectum; iuxta Hispanicæ leuiter. Consequenter in illa torquetur, in hac minimè. Pœnæ ordinariæ ex constitutione Gregorij X V. Suspendio ab executione Ordinis. Beneficiorum priuatio, ac perpetua inhabilitas ad illa, etsi Religiosus sit, vocis actiue & passiuæ priuatio. Interdum etiam adduntur aliæ pœnæ pro delicti qualitate.

*Examen II. De Tribunali S. Inquisitionis. 543*  
tate. v.g. damnatio ad triremes, carcer perpetuus. Mox  
fermo redibit.

*Non Sacerdos Confessiones audit, & absolvit.* Si est laicus &  
persona vilis, fustibus cæditur, & ad triremes immitti-  
tur. Si sit persona honesta, & Religiosa ad triremes so-  
lùm: sin talis est, vt ad triremes mitti non debeat, exi-  
lio addicitur. Si est in aliquo Ordine, ab eo toto tempo-  
re exilij suspenditur. Porrò secundùm Bullas tradi de-  
beret sæculari Curia, sed id ab Hispanica Inquisitione  
non obseruatur. Idem iudicium fero de non Sacerdoti-  
bus Missam celebrantibus, etsi verba consecrationis  
non proferant, aut etiam illam non perficiant, modò  
vestibus Sacerdotalibus illam incipient.

*Fautor quis, defensor, receptator hereticorum est.* Fit suspe-  
ctus, sed non æqualiter. Hinc prudentia Inquisitorum  
permittitur eum cogere abiurare de leui, aut de vehe-  
menti. Punitur a bitraryè pecunia, exilio, fustigatione,  
triremibus, imò & bonorum confiscatione. *Fautor ineffi-  
cax fuit.* Licet fuerit inefficax, id est, si non obstante fa-  
uore reus ab Inquisitione fuit captus. *Fiunt ne suspecti qui  
non denunciant hereticos?* Non, nisi ex officio ad denun-  
ciandum non tenerentur.

*Retinet quis, vel legit libros hereticos.* Pro qualitate facti &  
personæ fit vel leuiter, vel vehementer suspectus. Porrò  
ordinariè tantùm de leui abiurat, & poenæ etiam leuio-  
res ei imponuntur.

*Impedit quis S. Inquisitionis Officium.* Fit de Fide suspe-  
ctus, non tantùm si id faciat ex odio Fidei, sed etiam ex  
amore consanguinitatis, amicitia, pretio, &c. Abiurat  
tamen de leui, & mitiùs punitur, si ex Fidei odio non  
impediuit.

*Transfert ad infideles arma, equos, &c.* Si vilis per-  
sona sit fustibus cæditur: Si non vilis, exilio & pe-  
cunia in ea quantitate, qua equi, armaque va-  
lebant. Si arma non transmissa fuere, confiscan-  
tus: si transmissa, duplicatur pecunia. Profectò  
hæc ita, si arma transmisit lucri causa; nam si causa  
auxilij,

544 *Moralis Theologiae Tract. V. Virtutes,*  
auxilij, tunc agendum tanquam cum fautore hæreticorum.

*Quid de Iudæis & Mauris conuersis?* Pro qualitate delicti ab Inquisitoribus puniuntur abiuratione, veste, & reliquis pœnis.

*An Malefici & Sortilegi ad Tribunal S. Inquisitionis spectent, & quonammodo puniantur?* Si sortilegia hæresim sapiant spectant ad Tribunal. Torquentur de intentione, & quamuis abnegent, de vehementi abiurant. Si laici, & ignobiles sint, plerumque triremibus traduntur; aliis alia imponitur pœna. *Inuocat quis Dæmonem ad tentandam alterius pudicitiam.* Est sortilegium hæreticale, etsi per modum imperij fiat; quia illud imperium fictitium proculdubio est. *Vititur ille in sortilegio Hostia super quam Missam celebravit.* Licet eam non consecravit, est hæreticale, non quidem propter hostiam quæ non est consecrata; sed propter super eam celebratam Missam. *Abusus fuit miser Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento in sortilegio.* Tradendus planè est Curix seculari. *Maleficio vir, aut femina unicam personam occidit, aut damnum graue infert.* Si occidit, Curix seculari tradatur; si verò citra mortem damnum notabile sit illatum, ex constitutione Gregorij XV. carceribus mancipatur.

*Quis non implet pœnitentiam ab Inquisitoribus impostam.* Non tanquam relapsus, sed tanquam impœnitens arbitrariè punitur, v.g. ieiunio, fustigatione, &c. *Pertinaciter adhuc implere recusat.* Curix tradendus seculari.

*Pœnas expone schismaticorum.* Ordinariè tantùm sunt de leui suspecti. Potest tamen suspicio ex temporis diuturnitate, & aliis circumstantiis vehemens fieri. Puniuntur Beneficiorum priuatione, & inhabilitate ad illa, exilio, carcere, triremibus. *Pertinaces illi.* Traduntur Curix seculari.

*Delicto quis sodomitico sædatur.* Vbi sodomitæ ab Inquisitoribus puniuntur, non est cogendus ille abiurare, sed conuictus, vel confessus Curix seculari traditur.

*Testis*

Ex  
T  
quic  
mor  
que  
tio  
Agi  
ad te  
teste  
  
O  
trib  
di, &  
ling  
Reg  
actu  
tente  
fessio  
prou  
men  
His  
tero  
tia, f  
multi  
carn  
no  
tante  
firm  
rum  
firmi

*Testis falsus apud hoc Tribunal quoniammodo punitur? Non quidē pœna talionis, nisi quādo alter propter tale testimonium vt hæreticus combustus fuisset. Quamuis neque in eo casu id præstandum nisi supremo S. Inquisitionis Senatu consulto. Falsus fuit testis pro absolutione rei. Agitur cum eo vt cum hæresis fautore. Alios quis induxit ad testimonium falsum. Eadem quidem pœna, qua ipsi falsi testes, puniendū sunt.*

C A P V T V.

*De Sacerdote pœnitentem sollicitante ad venerem.*

**Q**uidam Pontifices aduersum sollicitantes statuerunt? Pius IV. in Bulla publicata die 16. Aprilis anno 1561. tribuit Inquisitori generali iurisdictionem cognoscendi, & puniendi per se, vel per alios à se deputatos delinquentes Sacerdotes tam seculares quàm Regulares Regnorum Hispaniæ, qui Sacramento pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutuntur, mulieres pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt Confessiones alliciendo, & prouocando: seu allicere, & prouocare tentando, & procurando. Deinde Clemens VIII. solūm statuit Inquisitorem generalem in Hispania procedere posse aduersus quoslibet Præsbyteros seculares, & Regulares in Sacramento pœnitentiæ, seu in actu Confessionis; Sacramentalis sollicitantes mulieres pœnitentes ad impudicitiam, seu peccata carnis. Demum Gregorius XV. die 30. Augusti anno 1622. & sui Pontificatus 2. edidit aduersus sollicitantes Sacerdotes constitutionem. Primò refert, & confirmat Bullam Pij IV. illamque non solūm in Hispaniarum Regnis, sed in quibusuis Christiani Orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipit. Secundò,  
ne

21.

*In Sacerdotem sollicitantem ad venerem. Bullæ Pontificum.*

546 *Moral. Theologia Tract. V. Virtutes,*  
ne de poena his delinquentibus imponenda, & de modo procedendi ab aliquo dubitari possit, statuit, quod omnes & singuli Sacerdotes tam exempti, quam non exempti, qui personas, quaecumque illae sint, ad inbonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, siue ante vel post immediatè, seu occasione vel pretextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta; siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inbonestos sermones, siue tractatus habuerint, in officio S. Inquisitionis seuerissimè puniantur. Tertio apponit modum cognoscendi de huiusmodi delicto; remittit enim eius cognitionem tam Inquisitoribus, quam locorum Ordinariis simul, vel separatis. Quarto, poenas assignat sollicitanti Sacerdoti. Quinto ad delicti huius difficilis quidem probationis punitionem praecipit Inquisitores vii testibus singularibus, concurrentibus praesumptionibus, iudiciis, & aliis administrandis. Sexto mandat omnibus confessariis, vt suos poenitentes, quos nouerint fuisse ab aliis vt supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi.

22.  
Bullarum  
expositio.

Enim verò in decretorum huiusmodi expositionem rogo, an denunciandus sit Confessarius virum ad nefarium congressum inducens? Ita planè; quia sic statuit Gregorius, Qui personas, quaecumque illae sint, ad inbonesta sollicitare, &c.

An sollicitans feminam aut virum ad actus solum venialiter malos sub graui culpa sit denunciandus? Tangere manum vel mammillas foeminae, digitos intorquere, vellicare, in genere castitatis peccata venialia sunt, quando ob solam delectationem absque vltiori fine, vel periculo pollutionis habentur. At aliqua actiones veniales ex se assolent frequenter mortales fieri ex affectu prauo; quia obnoxiae amplius sunt periculo, & assertiuæ prauis affectus. v.g. mamillarum contrectatio. Vnde assero si Sacerdos poenitentem tactibus honestioribus tangat, v.g. manum

manum apprehendat, qui quidem tactus leuiter indicat internum affectum, sed potiùs pœnitens prudenter agnoscat Sacerdotem haud animum habere vteriùs progrediendi, non esse sub graui culpa denunciandum. Secus si ex immodestiori tactu, aliisque circumstantiis animus vteriùs progrediendi colligeretur.

*Tribuit quis femina in confessione chartam, in qua ad venerem incitat: censendus ne sollicitator in confessione?* Scio Ferdinandum de Castro Pallao probabilem asserere partem negatiuam, si charta illa non immediatè post susceptum Sacramentum legatur, sed transacto iam tempore. At tanti amici mei venia affirmo huiusmodi traditionem chartæ sollicitationem esse, iniuriamque Sacramentum fieri; si quidem tempore, quo monendus erat pœnitens de mutatione vitæ, instrumentum tradatur ei, quo grauius saucietur. Adde accidentale omnino esse chartam proximè legi, aut non legi; grauitas enim aut leuitas traditionis chartæ solummodò statuitur in eo quod charta immediatè post susceptum Sacramentum legatur, aut differatur.

*Denunciandus ne, qui feminam incitat, vt alium ad copulam admittat?* Ita planè iuxta illa, *sive inter se sive cum aliis*, &c. quia pœnitentem verè ad turpes actus inducit, per accidentemque sit, sint secum, aut cum alio exercendi.

*An sollicitans feminam aut virum, vt mediet, comprehendatur?* Comprehenditur planè illis verbis: *qui ad inbonestiam sive inter se sive cum aliis perpetranda, sollicitauerint.* Scio graues Doctores affirmare probabiliter non esse sollicitationem in Bulla comprehensam; quia cum non sit ad exequendum carnis flagitium cum pœnitente, non videtur in Bullis prohibita. Attamen assero probabilius denunciandum; quia prouocans pœnitentem, vt mediet, absolutè ad actus inhonestos prouocat.

*Te femina sollicitat ad venerem explendam, tu renuis, contentus tactibus: an denunciandus sis?* Si femina prouocat et Confessarium ad sodomiam, ille verò ad naturalem

M m congressum

548 *Moralis Theologia Tract. V. Virtutes,*  
congressum incitaret, vel e contra, denunciandus esset;  
quia absolute Confessarius inductor est ad malum, ad  
quod non est à pœnitente prouocatus. At quando so-  
lùm requirit congressum, volens se tactibus tantùm dele-  
ctare, non censetur Confessarius sollicitare ad ma-  
lum, sed sollicitationi factæ à fœminâ consentire.

*Num ad alia crimina sollicitans Confessarius, v.g. ad homi-  
cidium, furtum denunciandus sit? Minimè; quia in Bullis  
cautum non est editis planè in odium ad venereum deli-  
ctum sollicitantium,*

*An hæc ad venereum sollicitatio in alijs Sacramentis sit de-  
nuncianda necessariò Inquisitoribus? Non; qui nullibi de hu-  
iusmodi delicto specialiter cautum est fieri denuncia-  
tionem.*

*Quanam dicatur sollicitatio facta ante vel post immediatè  
ad confessionem? Illa dicitur sollicitatio ante vel post  
confessionem immediatè, quando inter sollicitationem  
& confessionem nihil mediat, ita vt neque Confessarius  
nec fœmina ad extraneos actus diuerterint. Vnde si ab-  
solute impensa aliquis illorum ad extraneum actum  
diuerterit, & sic diuersus vel fœminam diuersam statim  
sollicitauerit, non dicendus est proximè immediatè sol-  
licitare. Vt ante Confessionem dicatur Confessarius sollicitare,  
requiritur ne confessionem ipsam sequi? Sufficit planè, si fœmi-  
nam accedentem confiteri, venereum persuadeat, & dis-  
suadeat Confessionem, quia tunc Confessarius laqueum  
parat, vbi à laqueis pœnitentem deberet absolueri,  
Vnde Gregorius adiicit. *Etiã ipsa Confessione non secuta.  
Quid si fœmina non vult statim confiteri, sed dicit Confessario  
se velle confiteri in crastinum, & tunc occasione arrepta Confessa-  
rius de veneris tractet? Talis sollicitatio non est proxima  
confessionis faciendæ, sed solùm conuentioni de Con-  
fessione, ac proinde non deliquit in Confessione, nec  
proximè ad illam, & consequenter haud est denunciandus.  
Fœminam volentem confiteri Confessarius per verba alio-  
quin honesta, aut indifferentia dissuadet Confessionem, animo  
incitandi potest ad libidinem: an sit denunciandus? Respon-  
dent**

dent quidam sollicitationem minimè denunciandam, si animum prauum illis verbis dissuasoriis non manifestauit; secus si animus improbus manifestatus est. At ego censeo denunciandum; quia etsi aliis illa verba vel signa indifferentia sint, at foeminae hinc & nunc non sunt indifferentia, sed ad malum determinata, & satis prauae voluntatis confessarij expressiuæ. Igitur saltem respectu foeminae sollicitationem exteriorem constituunt.

*Quidnam sollicitare in confessionario simulando confessionem?*  
Simulatio hæc dupliciter potest contingere. Primò si tam poenitens quam Sacerdos, vt liberius de rebus inhonestis tractent, simulent confessionem. Secundò, si poenitens non animo confitendi, sed alia negotia tractandi, accedat ad confessarium, cum tamen ab iis à quibus videtur, intelligatur ad confessionem accedere; tunc inquam confessio simulatur.

*Rogo igitur, an sit obligatio denunciandi, si vterque conuenit in simulatione?* Scio vtrumque grauius non solùm aduersus temperantiam, sed etiam aduersus religionem debitam Sacramento Poenitentiae in huiusmodi locutione lasciuia delinquere. At assero, nemini incumbere denunciandi obligationem; non Sacerdoti, vt constat, neq; poenitenti, alias se ipsam denunciare teneretur. Imò nec hæc sollicitatio est Sacerdotis propria, sed mutua, ac proinde in sollicitationem sibi factam vterque conuenit. Faciliùs dixeris non tam esse sollicitationem, quam sollicitati iam amoris iniqui fruitionem.

*Poenitens bono animo accedit alia tractandi negotia, & ad venerem incitatur à Confessario.* Si Sacerdos aspicientibus consultò exhibet speciem eius qui Confessiones audit, aut poenitens genuflectit, ipseque confessarius habitu audiendi confessionis adstat, vti assolet qui confessionibus audiendis dat operam: denunciandus est; quia in confessionario simulans confessionem audire sollicitat, aut praua verba texit. Gregorius autem inquit, *Sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in*

23.

*De collo-  
cutione  
lasciuia in  
Confessio-  
nario si-  
mulando  
confessio-  
nem.*



350 *Moralis Theologia Tract. V. Virtutes,*  
*loco quocunque, ubi confessiones audiuntur, &c. Simulantes ibi-*  
*dem confessiones audire sollicitare, &c.*

*Potest ne Sacerdos aliquando in Confessionario de rebus in-*  
*honestis tractare cum foemina quin sit denunciandus? Potest, si*  
*nulla adsit simulatio confessionis audiendae. v.g. si sedet at*  
*foemina, si vnus aut alter stet, si nullus adsit, qui possit*  
*de simulatione iudicare, vt si clauso Ecclesiae ostio, &c.*  
*Ratio est, quia non quaelibet sollicitatio in confessiona-*  
*rio facta illo Gregorij decreto cauetur, sed ea solum,*  
*quae confessionem simulet fieri: Simulantes ibidem con-*  
*fessiones audire. Legendus Castro Pallao.*

*An ubique denunciandus qui simulans confessionem audire*  
*sollicitauit? Vbi Bulla Gregorij recepta non est, haud ten-*  
*etur foemina sollicitata Confessarium Inquisitoribus*  
*denunciare; quia haec sollicitatio non est facta in con-*  
*fessione, nec proximè ad illam quod solum in Bullis*  
*Pij IV. & Clementis VIII. praecauetur.*

*Quinam intelligendus sit nomine Confessarij seu Sacerdotis*  
*sollicitantis? An simplex Sacerdos? Si exponatur Confessio-*  
*nes audire, & sollicitet poenitentem, nomine Confessa-*  
*rij intelligitur; quia potestatem Ordinis habet, & po-*  
*test à venialibus, & mortalibus iam confessis absoluere.*  
*An Episcopus, Nuncius, Officialesque Sedis Apostolicae? Sollici-*  
*tantes non sunt denunciandi Inquisitoribus; quia ipsis*  
*subiecti non sunt. An Hispanus Inquisitor sollicitans? Nul-*  
*lo modo Tribunali vel Episcopo denunciandus est; quia*  
*si delegati sunt Sedis Apostolicae, seu inter delegatos*  
*officialesque eius numerandi, vt affirmant Eymeric. &*  
*Pegna, Sedi Apostolicae denunciandi; si autem subde-*  
*legati, ac commissarij sunt Inquisitoris Generalis, supre-*  
*mo Senatui addicenda denunciatio est. An laici fingentes*  
*se Sacerdotes & Confessionem excipientes, si sollicitent, sint ex hoc*  
*decreto denunciandi? Minimè; quia decreta solummodò*  
*Sacerdotes comprehendunt. Profectò ex constitutione*  
*lata à Gregorio XII. aduersùs eos, qui se Sacerdotes*  
*simulant, & sub tali simulatione confessiones excipientes,*  
*denunciandi sunt. An poenitens Confessarium sollicitans*  
*compre*

*Examen II. De Tribunali S. Inquisitionis.* 55 t  
comprehendatur? Non; quia constitutio non aduersus  
pœnitentes, sed aduersus Confessarios pœnitentes soli-  
citantés lata est.

Quandonam cesset obligatio denunciandi Confessarium? Cessat in primis si emendatus præsumatur, nec periculum sit recidui; quia decreta non tam punitionem attendunt Sacerdotis, quàm Sacramenti pœnitentiæ reuerentiam. Id quod intelligendum est, quando ex Inquisitorum mandato aliud non constat. Quandonam autem emendatum esse præsumam? Quando rursus accedit pœnitens & minimè sollicitatur, aut talem ostendat erga ipsum pœnitentiam, ut pœnitens coniciat non tam ex metu denunciationis, quàm ex interna immutatione ducere exortum. Deinde cessat, si correctione fraterna integrè emendandus speratur; quia ex iure naturali tenemur reuerentiæ Sacramenti providere minori damno proximi quo fieri possit, uti affirmat *Fagundez*. Profectò existimo rarè hanc emendationem huiusmodi correctione secreta sperari, ac proinde raro cessare obligationem, ut adnotat *Pallao*. Tertio ab aliquibus excusatur; quoties Sacerdos aliquo modo de tali delicto infamatus non est; quia Bulla Clementis VIII. petit Sacerdotem esse infamatum; ait enim, *De quomodolibet infamatis*. Contrarium assero; quia rarè fœmina sollicitata teneatur denunciationem facere; siquidem hoc crimen secretissimè committitur, neque aliud à sollicitato pœnitente illud agnoscit, neque infamatio contingit, nisi quando hoc delictum denunciatum est. Quarto excusat *Fagundez*, si Episcopo denunciatur. Non probò; quia iudico Clementem VIII. cuius ille decreto nititur, ab Ordinariis abstulisse huius criminis cognitionem, & priuatiuè Inquisitoribus concessisse. At Gregorij X V. constitutio ideo ab Inquisitoribus Hispaniæ recepta non est, quia æque ipsis, & Ordinariis concedit facultatem in hoc crimine procedendi, præcipuè circa inhonestam fermocinationem in Confessionario cum simulatione Confessionis. Quintò denique idem excusat, si

24.

De cessat-  
tione  
obligationis de-  
nunciandi.

552 *Moralis Theologie Tract. V. Virtutes,*  
sub secreto naturali sollicitatio cognoscatur. Etiam im-  
probare cogor; quia secretum seruare non debeo, quo-  
ties eius obseruatio in damnum commune cedit: &  
quodnam, precor, damnum æquale quàm in Sacramen-  
to poenitentiae venenum loco medicaminis pro-  
pinari?

25. *Sollicitati-  
tjii pœnæ.* *Quæsnam pœnis, & quanam ratione Inquisitores in hoc cri-  
mine procedant? Quovsq; reus à duobus vel tribus tes-  
tibus denunciatus sit non recluditur; quia cùm testes  
singulares sint, & regulariter præsumptio stet pro Sa-  
cerdote, probatio efficacior, quàm in aliis delictis re-  
quiritur. Quapropter Inquisitores Hispaniæ non asse-  
rent inconsulto supremo senatu aliquem specialiter  
Religiosum, in secretum carcerem detrudere. Causa  
conclusa Ecclesiastici Consultores vocantur, vt ex eo-  
rum consilio sententia proferatur, & reo in secreto tri-  
bunali (non in publico actu Fidei) denunciatur. *Delin-  
quens sese post vnus testis depositionem detulit Inquisitoribus.*  
In carcerem secretum non recluditur, sed lite contestata,  
& causa conclusa abiurat de leui, & ab audiendis  
Confessionibus priuatur, neque aliæ pœnæ ei impo-  
nuntur. *Quid si semel sollicitans antè vnus testis depositionem  
sese detulisset?* Grauius reprehenditur, neque vltra puni-  
tur. Idem fit in casu, quo sollicitatæ personæ examinatæ  
negant, sollicitationem sibi factam esse. *Reus abnegat deli-  
ctum duobus testibus singularibus probatum.* Inquisitores in-  
uestigant diligenter testium qualitatem, & animaduertunt,  
an aliquibus indiciis verosimilibus suas deposi-  
tiones comprobent; si sic repererint, etiam si reus ne-  
get, dummodo ob inimicitiam testes non repellantur,  
illum damnant, vt abiuret de leui, & ab audiendis con-  
fessionibus absteat.*

CAPVT VI.

De denunciatione, & testificatione in hoc  
Tribunali.

**A**N denuntiatio facienda sit in casibus ad S. Inquisitionem  
pertinentibus, quando delator crimen probare non valet?  
Ita planè; quia aliàs rarò casus adesset, cuius denuncia-  
tio obligatoria appareret; cum rarò quis probare pos-  
set crimen, quòd tam secretò assolet perpetrari.

26.  
Denun-  
ciatio  
Tribunali  
facienda.

An filius teneatur in crimine hæresis patrem denunciare, vxor  
maritum, frater fratrem? Ad solum hæresis crimen denun-  
ciandum ius obligat cognatos, qui vna, eademque per-  
sona censentur.

An quis teneatur denunciare complices? Non tenetur; quia  
nemò tenetur denunciare seipsum: si autem complices  
delicti denunciarer, seipsum proderet.

Excusatur ne ad hanc denunciationem faciendam damnum ami-  
ci? Ad denunciationem criminis hæresis non excusatur;  
imo nec proprium damnum, nisi tantum esset, vt statum  
mutare cogeret.

Circa testificationem autem, aperias testium qualitatem. An  
inimicus capitalis rei sit admittendus in testem? Minimè, etiam  
in articulo mortis constitutus, etiam in tortura, etiam si  
sit reconciliatus, modò hæc reconciliatio sit recens; se-  
cus si inimicitia non est capitalis. Scio tamen etiam  
tunc fidem minuere quamlibet inimicitiam. Quid si ini-  
mici capitalis consanguinei, aut subditi testimonium ferant?  
Non credendi, nisi legitimo adminiculo adiuuentur,  
vnde probabiliter constet, eos odio ad testandum mi-  
nimè duci.

27.  
Testifica-  
tio apud  
Tribun. l.

An excommunicati, infames, socij criminis, periuri, heretici, do-  
mestici, familiares, consanguinei, mulieres, & minores quatuorde-  
cim annorum in testes admittantur? Ita quidem, & omnes

554. *Moralis Theologiae Tract. V. Virtutes,*  
sine tortura, propter difficilem delictorum ad Fidem  
pertinentium probationem.

*Est ne testis omni exceptione maior reputandus is, cui reus ni-  
hil opponit? Non eo ipso habendus talis, sed debent In-  
quisitores in eius vitam, conditionem, & qualitatem in-  
quirere.*

*Concurrit aliquando vnus testis inhabilis cum altero valde  
digno: potest ne huius dignitas alterius supplere defectum, vt  
faciant plenam probationem? Minimè, nisi cum vtriuf-  
que depositione aliæ circumstantiæ, & indicia con-  
currant.*

*An duo testes singulares valde digni, nobiles, & eximie per-  
sonæ possint facere plenam probationem? Existimo non posse:  
quia singulares.*

*Poterit ne reus damnari propter multitudinem testium non  
idoneorum? Poterit etiam ad pœnam ordinariam. Sed ad  
hoc saltem quatuor non sufficiunt.*

*Quonammodo audiendi testes? Debent adesse duæ reli-  
giosæ personæ, non quidem professione, sed religionis  
zelo. Possunt ne hoc examen Inquisitores aliis committere? Non,  
nisi nec testes ad ipsos, nec ipsi ad testes ex legitima cau-  
sa accedere valerent.*

*In causa hæresis expedit ne testes cum reo confrontare? Licet  
in aliis causis expediat, in causa tamen hæresis non ex-  
pedire reor.*

*Testes in summario iudicio recepti sunt, & examinati in ple-  
nario medio præstito iuramento: debent ne iterum examinari,  
& ratificari? Ita quidem, aliàs in iudicio fidem non effi-  
ciunt. Ad memoriam reuoco tunc non debere eis pri-  
mam attestationem ostendi, vt appareat, an idem prorsus  
testentur.*

*Possunt ne vniui plures testes singulares etiam de eadem hæ-  
resi diuerso tempore prolata? Non quidem possunt, vt fa-  
ciant plenam probationem. Scio contrarium probabili  
esse.*

*Potest ne reus mala vitæ & fame pœna ordinaria puniri,  
quando sunt duo idonei testes? Potest. Attamen in praxi  
Inqui*

*Examen II. De Tribunali S. Inquisitionis. § 55*  
Inquisitionis Hispanicæ nemo ad pœnam ordinariam damnatur, nisi per tres testes, contestes, idoneos.

*An possint testes recipi ad perpetuam rei memoriam ad Fiscalis instantiam, ita ut deponant testimonium, quod postea, illis etiam absentibus, faciat fidem contra reum in plenario iudicio? Possunt equidem; imo etiam per talem testem quis potest torturæ addici, si deponit verosimilia, & exhibet sui dicti rationem. Et hæc omnia in fauorem Fidei.*

## C A P V T VII.

*Praxis circa prædicta ex Societatis  
I E S V schola.*

**N**um sit Inquisitorum potestas cumulatiua? Minimè, sed priuatiuam esse Molina asserit; neque enim tunc Episcopi de hæresi cognoscere, nec edicta Fidei proponere possunt saltem in Regnis Hispaniæ.

28.

*De In-  
quisitori  
potestate,*

*Si Episcopi & Inquisitores incompatibilia præcipiant, v.g. ut reus eadem hora apud ipsos compareat, cuiam debet parere? Affirmo ex Azario magis Inquisitoribus, quam Episcopo teneri parere.*

*& iuris-  
dictione.*

*Possunt ne Inquisitores libros hæreticos legere? Solus potest, Suario authore, generalis Inquisitor. Nec aliis hanc potestatem ex eodem Suario licentiam impertire.*

*Potest Inquisitor generalis in irregularitate contracta ex hæresi dispensare? Non posse idem Suarez testatur in odium delicti, quod tam aperto Marte Fidei aduersatur.*

*Dixisti Inquisitores quomodocunque concurrant ad reorum condemnationem non fieri irregulares: rogo, an teneantur protestationem præmittere? Non teneri respondeo cum Anila; quia sic decretum Pauli I V. & Pij V. disposuit.*

*An possint munera accipere Inquisitores? Si prætextu*

M m 5

Officii

556 *Moralis Theologiae Tract. V. Virtutes,*  
Officij sui pecuniam extorquere Clemētinae secundae de  
haereticis teste Suario, incurreret excommunicationem.  
Porro tanta Inquisitoribus Hispaniae manuum puritas,  
vt non solum munera, sed & esculenta, aut poculenta  
accipere prohibeantur; qua quidem lege & eorum Mi-  
nistri tenentur.

*Potest ne vnus Inquisitor contra alium Inquisitorem procedere?* Negatiuè respondeo cum Suario; quia in parem non habet iurisdictionem.

*Suppone quendam minimè esse baptizatum, aut saltem inualidè, sed communiter reputari baptizatum: an hic contra Fidem delinquens possit haereticorum pœna puniri?* Azor affirmat posse; quia in hac re plus operatur opinio, quam veritas. Iudico tamen Suarium probabiliter contrarium asserere, licet sentiam cum Azorio.

*Dixisti confessum proprium delictum posse torqueri pro complicitibus, cum adest semiplena probatio: num hæc tortura æque grauis futura sit?* Cum Lessio assero leuiorem esse debere, quam ad proprium delictum extorquendum. Adiciò ex Del Rio, quando sic torquendus est, debere ad id condemnari cum clausula: *citra præiudicium probatorum*; quæ quidem hoc operatur, vt quamuis proprium iudicium iterum neget; nullum inde fit præiudicium ad condemnationem.

*An senes & pueri possint torqueri?* Cum Sanchez respondeo terreri quidem posse, sed non torqueri. Addo ex Del-Rio nobiles cæteris paribus mitius torquendos quam alios; & Clericos quam laicos.

*Vt quis possit torqueri, sufficit deprehendi in eo mendacium, aut variationem quò ad circumstantias, seu qualitates delicti?* Minimè sufficere Lessius docet, nisi alia indicia, coniecturæ, & præsumptiones accedant.

*Inquisitor secutus opinionem probabilem probabiliori religione, iussit reum torqueri: an subiaceat visitationi?* Del Rio asserit propter hoc iustè quidem gestum minimè posse à Superiori puniri.

*Num Inquisitores tradere possint quemuis sæculari brachio supremo*

*Examen II. De Tribunali S. Inquisitionis. 557*

*supremo Inquisitionis Senatu, inconsulto? Non posse Molina* affirmat; quia illud inter causas grauissimas computatur. Vnde ad memoriam reuoco quod asserui in Hispania Religiosum aliquem, aut nobilem, aut alia ratione insignem non posse comprehendere, nisi ex eiusdem senatus præscripto, missis ad eum iudiciis & probationibus gestis, vti *Pallaus* confirmat.

*An sine Episcopo possint Inquisitores aliquem ad abiurationem cogere, aut ferre sententiam rei absolutoriam.* Primum negat *Molina*, secundum *Axorius*. *Quid si dissensio sit suffragium inter Episcopum & Inquisitores?* In Romana Inquisitione causa ad Papam remittitur, in Hispanica ad Inquisitorem supremum auctore *Molina*.

*Quinam applicantur Ecclesiasticorum delinquentium bona?* 29. In Hispanica Inquisitione Regio fisco applicantur; *De confiscatione.* quia Rex aliunde Inquisitoribus prospicit. Sic *Sanchez*.

*Debetur ne hereticorum filiis sustentatio?* De iure non debetur. In Hispania tamen solet illis prospici, vt filiarum minores apud matronas honestas collocentur, filij arti applicentur mechanicæ; qui verò per valerudinem, vel ætatem nequeunt laborare, ex misericordia tenuia alimenta accipiant. *Sanchez* affirmat.

*Quando Inquisitores reuocant bona ab hereticis post delictum alienata, tenentur ne emptoribus pretium restituere?* Negat *Vasquez* appositè.

*Qui contumaces suere, id est, qui ter citati non comparuerunt, audiuntur ne comparentes postea?* Assero ex *Sanchez* audientes si post annum compareant, quoad suam personam, non quoad bona confiscata.

*Quidam Sacerdos Confessario amico mandat, vt sollicitet pro se pœnitentem: num huiusmodi mandans Sacerdos denunciante Confessario.* 30. *De sollicitante Confessario.* Minimè; quia verba legis pœnalis (vt ait *Pallaus*) non sunt extendenda.

*Sacerdos quidam fit interpres confessionis alteri principali Sacerdoti qui absoluturus est, huius ministerio confessarius sollicitat pœnitentem: quæserim, num interpres Sacerdos sollicitantium pœnas incurrat?* Respondeo



558 *Moralis Theologiae Tract. V. Virtutes,*  
spondeo ex Fagundez non incurrere; quia potius ex  
parte poenitentis se tenet.

*Quidam Sacerdos non habens facultatem audiendi confessio-  
nes fingit se habere & feminam in confessione sollicitat: est ne  
denunciandus? Ita planè; quia simplex Sacerdos potens  
abfoluere de venialibus, aut de mortalibus aliàs confes-  
sis abfolutè confessarius est. Ex Pallao doctrina.*

*An sit denunciandus qui in confessione à poenitente petit do-  
mum, ut eò adducat concubinam, vel pecunias dandas meretrici?  
Denunciandum esse affirmo ex Pallao; quia Bulla poe-  
nas decernit Sacerdotibus sollicitantibus poenitentes ad  
inhonestà siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpe-  
tranda.*

*Quam locus intelligendus est confessionarij nomine? Non  
est opus esse locum ad hoc tantummodo ministerium  
deputatum, ut aliqui volunt; quia Decretum Gregorij  
ait, In Confessionario, aut in loco quocunque, ubi Confessiones Sa-  
cerdamentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo.  
Per Confessionarium intelligitur locus qui huic solummodo  
ministerio deseruit. Per locum autem ad audiendam  
Confessionem electum quicunque intelligitur locus qui ex  
professo aut per transennam ad audiendam confes-  
sionem eligitur. Itaque si adest simulatio confessionis, qui-  
cunque locus ubi confessio exauditur confessionarium  
reputatur; vitiatur enim quicunque locus à simulatio-  
ne Sacramenti. Monialium locutorium communis lo-  
cus est ad quemcunque sermonem instituendum; at si  
Confessionis adsit simulatio, confessionarium est; Con-  
fessionarium autem, si non adsit simulatio Sacramenti  
quasi communis sacer locus existit, quia decretum il-  
lud non editum in loci sacri reuerentiam augendam,  
sed in odium simulationis Sacramenti.*

*Simulat feminam confiteri: sufficit ne, ut confessionis adsit  
simulatio? Minimè, nisi simulet Confessarius audire.  
Quid si ratam ipse habeat simulationem? Non sufficit; quia  
abfolutè non simulat. Quid autem si ipse iubeat, feminam  
simulare, ut in Confessionario clauso, ubi Confessarius non vide-*

*Examen II. De Tribunali S. Inquisitionis. 559*  
tur, sed sola fœmina speciem referat Confessionis? Profectò simulatio fœminæ præcepta à Sacerdote ipsius Sacerdotis simulatio est; unde sollicitans hoc habitu erit denunciandus.

*Aduocatur Confessarius ad lectum fœminæ egrotantis, & simulans inibi audire Confessionem, sollicitat. Denunciandus est; quia in loco ad audiendam Confessionem electo, sollicitauit. Quid si fœmina ægritudinem simulasset ad captandam occasionem voluptatis ex pacto cum Sacerdote? Haud adest Confessionis simulatio.*

*In Confessionario ipso Ecclesiæ collocato Sacerdos operi libidinoso vacat? Si non adest simulatio Confessionis ut certum est non adeste, quia si aliquis tectis adesset minimè opera daretur sacrilegio: denunciandus non est, tunc enim ex sacrilegio locus sacer violatur, non Sacramenti reuerentia.*

*Fœminam ad Confessionem accedentem antè Crucis signum Sacerdos sollicitat, dilata in aliud tempus Confessione: vel id facit, quando ex alia iusta causa non potest penitentem absolueret: an sit denunciandus? Ita plane ex Pallao; quia sollicitatio saltem fit in confessionario aut simulatione Confessionis, aut per Confessionis occasionem.*

*Statim post Confessionem Sacerdos in cubiculum ducens puerum, cum sollicitat chirographum Confessionis ei traditurus: denunciandus ne? Maximè; quia, teste Castro Pallao, iste casus ratione dependentiæ Confessionem includit.*

*Propter audita in Confessione fœminam Sacerdos à templo discedentem post aliquod temporis interstitium insequitur, & sollicitat. Denunciandum non esse reor; quia non est illa immediata dependentia Confessionem includens. Quid se statim insequatur? Ratione dependentiæ Confessionem includeret, si esset infecutio illa consequens Confessionis, ut Chirographi traditio penitenti. At quia illa infecutio dependens non fit, nullatenus includere Confessionem puto. Sacerdos rogauit fœminam, vndenam eius domus adesset, aut dixit se inuisurum, & postea sollicitauit vel immediate insequens, vel post tempus accedens. Denunciandus*

NON



560 *Moralis Theologiae Tract. V. Virtutes,*  
non est, nisi animum futurum foeminae ostendisset. Ipsa  
presumpsit sollicitationis gratia futurae verba illa proferri. Si  
verba erant indifferentia, nec gestus inhonestus adfuit  
libidinis assertor iniquae foemina iudicauit. Potuit enim  
tunc indifferenter loqui, & postmodum ex occasione  
illam sollicitare. Ex *Castro Pallao* doctrina.

*Consensit foemina sollicitationi: tenetur ne denunciare?* Te-  
netur, ac si non praebuisset assensum, nec debet fateri  
proprium delictum, nec ipsa aut Confessarius de hoc  
possunt interrogari. *Quid si illa aut Sacerdos profiterentur?*  
Tanquam impertinens ad Officium S. Inquisitionis  
haud est in acta referendum.

*Audiuisti Confessarium foeminam sollicitasse, sed erant illi infirma  
notae & fidei: teneor sub excommunicatione denunciare?* Te-  
neri te *Castro Pallao* docet, etiamsi illud audisses sub se-  
creti naturalis sigillo, ad boni scilicet communis ad-  
structionem.

*Quoniam tempore denunciatio fit facienda?* Respondeo ex  
*Auila, & Fagundes*, quocumque tempore durante toto an-  
no; quia prius edictum durat, donec sequenti anno  
nouum promulgetur. *Quid si negligentia Inquisitorum se-  
quenti anno non promulgaretur?* Teneretur quilibet sub  
mortali, & excommunicatione nihilominus denuncia-  
re; quia cum Sacerdotes sollicitantes sint de haeresi sus-  
pecti semper sunt denunciandi, *Pallao* auctore.

*Ignorauit quis edictum.* Si iam terminus praefixus, intra  
quem denunciare tenebatur, expirauit: ubi id rescit,  
non tenetur, nisi infra similem terminum dierum, ac si  
tunc sibi edictum promulgaretur. Scio tamen *Suarium*  
& *Filiutium* asserentes statim teneri. Quod si ultra il-  
lum terminum ob iustum impedimentum distulit, te-  
netur statim. Haereo horum sententiae; quia huius-  
modi crimina ex dilatione denunciationis virus exe-  
runt. *Præideo expirante termino praefixo me fore impoten-  
tem denunciare, quia absens ero.* Teneris praenire.


*Scio ex vnius foeminae quantumuis honestae delatione haud  
esse Confessarium in carcerem detrudendum: requiro tamen num  
illa*

Examen II. De Tribunali S. Inquisitionis. § 61

illa delatio sit sufficiens ad Inquisitionem? Sufficiens planè est. Quod si in inquisitione Confessarius leuis admōdum, & malæ vitæ deprehendatur, poterit etiam capi; at sine duplicata testificatione nunquam recluditur.

Timet quis ea denunciatione graue damnum vitæ, fame, vel honorum in se, vel in consanguineis. Asserit Fagundez, tunc à denunciatione excusari.

Possunt ne Episcopi de hoc crimine cognoscere? Post Bullam Gregorij XV. possunt extra Hispaniam, in Regnis Hispaniæ minimè separati ab Inquisitoribus possunt cognoscere authore Molina. Imò & in locis extra Hispaniam, licet possint Episcopi de causa cognoscere, non tamen ferre sine Inquisitoribus sententiam non tantùm condemnatoriam, vt ait Molina; sed nec absolutoriam, vt assertit Azorius. Scio tamen Molinam de absolutoria sententia negare.



EXAMEN III.

Circa Materiam de virtute Spei,

CAPVT PRIMVM.

De Spei essentia, & Præceptis.

**Q**uid Spes? Est virtus Theologica diuinitus infusa, per quam certo expectamus futuram beatitudinem per merita ex diuina gratia prouenientia. Profectò donum est Dei speciale, & ex parte eius spes est certa, & infallibilis; secus autem ex parte hominis; respicit enim illa cooperationem nostram.

An prima Fides? Ita planè, mox spes; quia non possumus sperare quod non credimus.

30.

Præcepta  
spei.

Quotnam

*Quotnam sunt praecepta spei?* Quatuor. Primum est beatitudinem expectare; quod quidem naturale est, supposito rerum supernaturalium Ordine; quia creatura rationalis eo ipso, quod beatitudinem non habet, eam ex rei natura debet expectare. Secundum est, Dei supplicij timere; quia spes ultimi finis, ac timor aeterni supplicij sunt quasi prima vitae honestae principia. Tertium, non desperare de beatitudinis consecutione. Quartum denique non praesumere consequi illam indebitè, hoc est absque meritis.

*Quotnam haec obligent Praecepta?* Quo sunt affirmatiua non semper obligant sed in his casibus. 1. Quando homo ex proprio actu iustificatur saltè primo. 2. Quando grauius ex praesumptione tentatur. 3. Quando desperationis aut praesumptionis crimine maculatus quis est, ut ad iustificationem redeat debet sperare, & timere. 4. In sententia quorundam quando oranti necessitas occurrit; quia inefficax sine spe oratio ad impetrandum profectò quo sunt praecepta negatiua semper obligare affirmo.

*Quotuplex Timor?* Duplex, Seruilis, & Filialis, hic ex timore poenarum non exoritur, sed ex amore Dei; ille autem ex poenarum horrore.

*Est ne speciale Timoris praeceptum?* Probabilius existimo non adesse, sed eodem praecepto imperari Timorem, ac reliquae virtutes praecipuntur, quo quidem Timore homo à transgressione praceptorum circa alias virtutes liberatur.

## C A P V T II.

### *De Peccatis aduersus spem.*

31.  
Peccata  
contra  
spem.

*Quotnam sunt Peccata aduersus spem?* Quatuor, scilicet Omissio spei cum habenda sit, Omissio Timoris debito tempore, Desperatio, & Praesumptio.

*Quaeso*

*Quæso Præsumptionis Originem assignes.* Frequentius quidem ab infidelitate exoritur, & ad eam Dei tentatio re-ducitur.


*Quid est Deum tentare?* Se quemuis exponere sine necessitate Martyrio. Defensionem ex exitalibus aut periculosis mediis procurare. Maleficiis aut incantationibus spem adhibere.

*Mortalis ne, an venialis Dei tentatio?* Deum tentare etiam tacitè in graui materia, aut alio mediante, aut immediate, sine speciali inspiratione, aut reuelatione, mortis discrimini se exponendo sine necessitate, vel graui in ægritudine ordinaria medicamina respuendo, mortale est: Veniale autem, quando Deus in leui materia, aut sine plena deliberatione tentatur.

*Quidnam peccatum est in creatura spem collocare?* Crimen est contra spei virtutem, nisi simul in Deo ac creatura spem collocetur, primariò quidem in Deo, secundariò autem in creatura quatenus simul confert ad beatitudinem consequendam.

*Differt quis poenitentiam vsque ad mortem spe veniæ obtinendæ: peccat ne contra præceptum spei?* Potius peccat contra præceptum poenitentia; quia hic tantùm differt confessionem.

*Fit alicui reuelatio damnationis suæ: debet ne amplius sperare?* Imò desperare sine mortali culpa potest, modò damnatio non reducat ab eo in omnipotentia vel misericordia Dei defectum; quia impossibile est sperare id quod non est possibile, nempe ascensionem beatitudinis supposita certa damnationis reuelatione.



## EXAMEN IV.

Circa Materiam de charitate ad Deum.

## CAPVT PRIMVM.

*De essentia, & Præceptis charitatis.*32.  
*Præcepta  
charitatis  
ad Deum.*

*Q*uid est charitas? Virtus Theologica à Deo infusa, qua Deum propter se ipsum, & suam bonitatem super omnia diligimus, & reliqua omnia propter Deum. Datur enim amicitia supernaturalis inter Deum & hominem, fundata quidem in quadam veluti hominis eleuati per gratiam æqualitate.

*Est ne charitas virtutum omnium perfectissima? Ita equidem; quia per se proximè & adæquatè Deum contingit.*

*Quotuplex charitas? Duplex est erga Deum & erga proximum. Hæc quidem quinto in examine euoluetur; de illa in præfenti.*

*Quoniam modo in hac vita charitas augeatur? Per actus ex charitate elicitos, ac imperatos; quia per bona opera propria, aliarumque virtutum in gratia gesta augetur; & per actus intensos, (imò, secundum Suarij opinionem, remissos) accipit incrementum.*

*Minuitur ne charitas per culpæ venialis multiplicatiōnem? Posset Deus facere, vt per peccata venialia minueretur; quia nec repugnat, nec contra iusticiam esset. At de factō minimè per venialia remittitur. Num per accidens ob veniale minuitur? Non repugnat; peccatum enim veniale obstare potest, ne Deus plus charitatis animo impendat. Amittitur ne, an remittitur per culpam leualem? Omnino amitti certum est.*

Ad

*Examen IV. De Charitate ad Deum. 365*

*Ad quam ex charitatis præcepto tenemur? Debemus Deum super omnia diligere saltem appetitiuè, cuiuslibet dilectioni hanc præferendo.*

*Potest ne præceptum charitatis impleri ab iis qui in peccato mortali existunt? Minimè; quia præcipuè est supernaturale, & requirit hominem in gratia existentem. Neque enim qui creaturæ hæret in mortali constitutus Deum super omnia diligere potest.*

*Quoniam tempore per se obligat præceptum charitatis ad Deum? Mitto sententiam Azorij octo tempora assignantis: & Sanchez vnicum. Sequor autem Henriquez tria ad præceptum hoc tempora præscribentem. Primum quidem est morale principium vsus rationis. Secundum, mortis articulus. Tertium tempus vitæ intermedium saltem singulis quinquennijs. Adde ex Fillintio probabile esse non quinquennijs singulis rigorosè obligare, sed sapientum arbitrio.*

*Quoniam autem tempore idem charitatis præceptum per accidens obligat? Primò quidem in mortis spiritualis periculo, quod aliter vitari non possit. Deinde ad usum Sacramentorum passiuum, cum Confessarij copia non adest: & actiuum, cum non vult Sacerdos confiteri, quia non obligat confessionis præceptum. 3. Quando obligat contritio. 4. Quando operi extraordinario Martyrio scilicet opera impenditur.*

---

C A P V T II.

*De Peccatis contra charitatem ad Deum.*


**Q**uotnam sunt contra charitatem crimina? Duo, commissionis vnum, alterum omissionis. Commissionis quidem Dei odium appellatum, cum quis ob ineuirabiles tartari poenas vellet Deum non esse; quo quidem odio Dæmones ac damnati homines accenduntur. Omissionis autem, vel quia Deus haud ea ratione dili-

33.  
Peccata  
contra  
charitatē  
ad Deum.



366 *Moralis Theologiae Tract. V. Virtutes,*  
gitur, ac debetur; aut quia amatur ob poenarum infer-  
ni euitationem; aut propter bonum creatum; aut quia  
non amatur quantum debet amari; seu tempore quo  
amandus est.

*Quidnam est schisma?* Vitium oppositum charitati. Se-  
paratio quidem ab vnitatem Catholicæ Ecclesiæ, & eius  
capite Summo Pontifice. Profectò non est schismaticus  
quicumque Summi Pontificis præcepto recusat obedi-  
re; quia vt schismaticus sit, necessarium est contra Pon-  
tificem vt Ecclesiæ caput rebellare. Nec schismaticus est  
qui Papæ recusat obedire, quia putat illegitimè electum.  
Nec, propriè loquendo, qui ab obedientia sui Episcopi  
recedit. *Quisnam pœnis schismaticus subiacet?* Eisdem ac  
Hæreticus, excommunicationi scilicet, priuationi iuris-  
dictionis, inhabilitati ad Beneficia obtinenda, obtento-  
rumque priuationi, necnon irregularitati.



## EXAMEN V.

Circa materiam de charitate ad proximum.

---

### CAPVT PRIMVM.

*De præcepto charitatis ad proximum.*

34.  
*Præceptum  
charitatis  
ad proxi-  
mum.*

**Q**uosnam teneamur diligere ex præcepto charitatis?  
Nosmetipsos, proximos, Angelos bonos (malos  
solummodò quoad naturam) gratiam, & virtu-  
tes, tanquam rem amici.

*Quoniammodo à nobis proximus diligendus?* Sicut nos-  
metipsi. Porro particula præcepti huius: *Diliges pro-  
ximum tuum sicut te ipsum*, non significat æqualitatem,  
sed similitudinem; vt quemadmodum quis seipsum  
diligit propter Deum, sic etiam à me proximus propter  
Deum

*Examen V. De Charitate ad proximum. 567*

Deum diligatur; quemadmodum mihi bona, non mala exopto: proximo sic exoptem, sed non ad æqualitatem.

*Quonam tempore hoc præceptum obligat?* Vt negatiuum est, temper obligat. Vt affirmatiuum aliquibus in casibus, cum scilicet tenemur proximo seu spiritualiter, seu temporaliter benefacere.

*Præceptum ne inimicos diligendi?* Ita planè; quia proximi nostri sunt. *Quonammodo amandi?* Haud eos ex generali proximorum dilectione excludendo: Ostendendo illis communia signa amicitiae; nam specialia amoris documenta non sunt ex præcepto, sed ex consilio, nisi aut excitandum esset scandalum; aut tempus extremæ necessitatis adesset; aut inimicus ex corde veniam precaretur; aut probabiliter speraretur fore, vt speciali amoris documento exhibito spiritualis illius salus acquireretur. Illicitum quidè est salutanti inimico resalutationem non precari, aut iubere duos saluere, tertium insalutatam relinquere; quia inimicus est. Et generaliter communia signa amoris inimico abnegare peccatum lethale est, modò non excuset aut materiae paruitas, aut maioris boni desiderium, v. g. vt corrigatur.

*Teneor ne inimico ignoscere satisfactionem?* Minimè; quia tenetur ille eam dare, licet non exigatur. Nec quidem aliquando licitum erit satisfactionem ignoscere, v. g. si in damnum tertij, vxoris, filiorum venia illa recidat. Porro huiusmodi satisfactio aut pecuniaria, aut pœnalis exigenda non est vindictæ prætextu, sed i iustitiæ.

*Teneor ne cum inimico pacem inire?* Ita quidem, quando satisfactionem offert, & sufficiens tempus fuerit transactum. Monuerim plerumque non expedire ad satisfactionem iustitiæ etiã in foro exteriori supplicium expetere, ob scandali, ac vindictæ supplicium.

*Qui iniuriam alteri intulit, debet ne veniam ab eo precari?* Debet quidem, si sit ex notis, & per se aut tertium potens id præstare; quia sic iustitiæ ratio exigat.

## CAPVT II.

*De ordine seruando circa proximi  
charitatem.*

35.  
Ordo  
charitatis  
ad proximum.

**T**Enemur ne prius proximo, quàm nobis in spiritualibus bonis occurrere? Prius sibi homo, quàm proximo debet; quia veræ charitatis illa regula est, proximum amare sicut te ipsum; ergo amoris proximo impendendi norma propius amor est.

*Licet ne, ad tempus velle carere beatitudine ob spirituales proximi salutem? Licet, modò peccatum nullum adfit.*

*Circa temporalia autem bona occurrendum ne prius mihi, an proximo? Tibi occurrendum. Scio tamen posse te exponere probabili vitæ discrimini vt proximum eripias ab euidenti occasione moriendi. Vnde pestis tempore, aut grauis ægritudinis laudabile admodum, ægrotantibus inferuire.*

*Tenebor ne in spiritualibus bonis occurrere prius proximo, quàm mihi in temporalibus? Ita quidem. v. g. si tempore pestis quis sine confessionis Sacramento esset moriturus, aut si puer non baptizatus ad necem duceretur: tunc vitæ propriæ periculo debeo tantæ necessitati consulere; quia charitas plus spiritualibus, quàm temporariis bonis addicta est.*

*Quando non adest extrema necessitas, sed tantum grauis, quidnam Pastores præstare debent? Oves tueri, quas deserere minimè possunt nisi mercenariorum poenâ. Qui autem Pastoris munere non fungitur, quando periculum vitæ non adest, debet ex charitate procurare proximi spirituales salutem; attamen cum vitæ periculo, aut grauis damni non tenetur. Quid si egens sit persona publica aut aliqua Communitas? In spiritualibus bonis mihi prius occurrere debeo: in temporalibus prius personæ publicæ*

*Examen V. De Charitate ad proximum.* 569  
publicæ aut Communitati; quia proprium bonum commune est.

*Diligendus ne vnus, magis quàm alius ex charitate?* Ita quidem & interiori, & exteriori affectu; quia quidam coniunctior est amanti, quidam Deo, qui obiectum formale est charitatis: vnde ardentius quis amandus quò propinquior duplici huic dilectionis principio. Maior tamen necessitas semper maiori sanctitati, aut propinquitati præferenda est; tota enim huiusce præcepti obligatio ex necessitate pendet. *Necessitas æqualis est.* Sanctior minùs sancto præferatur. *Propinquus adest iustus quidem, & non propinquus sanctior.* Cæteris paribus maior sanctitas maiori propinquitati est præferenda, ex parte obiecti. At ex parte amantis maior propinquitas potest maiori sanctitudini præferri ad eò, vt licet sanctiori maius bonum cupiamus, propinquiori ardentiori desideremus affectu. Porrò quoad bona propinquis debita, v.g. longam vitam, filios, &c. hic præferendus est sanctiori; quoad bona verò sancto debita, v.g. plus gratiæ, ac meriti, &c. Sanctiorem propinquiori præferendum affirmo.

*Rogo, an spiritualiter propinquiores debeant à nobis plus diligere, quàm propinquiores carnaliter?* Ita quidem; quia propinquiores sunt Deo, qui est obiectum charitatis. Admonuerim hoc intelligendum esse ex parte obiecti; nam ex parte diligentis, & loquendo absolute propinquior sanguine est præferendus; quia hæc propinquitas carnalis in naturâ fundata firmior est quàm spiritualis quæ cum gratia solet amitti. Vnde prius debes patri carnali, quàm spirituali succurrere: & prius fratri carnali, quàm spirituali in extrema spirituali necessitate; at extra necessitatem extremam prius spirituali egestati patris aut fratris spiritualis, quàm carnalis succurrendum, vt disertè *Valentia*.

*Amici strictiores præferendi sunt sanguine coniunctioribus?* Minimè; quia coniunctio amicitie non est tam strictè ac propinquitatis, prævalente natura.

*Propinquorum, aut affinium eiusdem speciei exprime dilectionis ordinem? Coniunctiores quidem præferendi, plus consanguineus, quàm affinis; plus pater quàm mater; plus mater, quàm filius; plus parentes, quàm vxor; quia maiora ab illis munera accepimus. Scio tamen filium posse vxorem tam sibi coniunctam teneriori affectu, quàm parentes prosequi. Quenam culpa est huiusmodi Ordinis violatio? Tantùm esse venialem iudico; quia excessus notabilis minimè est.*

### C A P V T III.

*De effectibus externis charitatis, ac primum de correptione fraterna quam spiritualem eleemosynam vocitauero.*

36. *Fraternæ correptionis causa.* **Q**uidnam fraterna correptio? Est quædam proximi admonitio, qua nitimur eum à peccato ad virtutem, ex misericordia, reuocare. Obligat ex naturali ac diuino iure ex genere suo sub mortali etiam infideles; quia naturale præceptum est.

*Vt obliget, quenam requiruntur conditiones? Tres quidem, peccati scilicet notitia, correctionis spes, temporis, ac personæ opportunitas.*

*Quenam sit fraternæ correptionis materia? Necessaria quidem, peccata mortalia, sufficiens autem venialia delicta, nempe sub veniali.*

*Quinam huiusce correptionis lege tenentur? Cuncti homines rationis compotes, etiam infideles; quia ex iure naturæ. Stricteri tamen obligatione tenentur Prælati, quàm consubditi, non solùm ex iusticia ob proprium munus, sed ex ipsius ratione charitatis. Tenentur ne corrigere alios qui in eadem delicti damnatione sunt? Nullus quidem à præceptorum diuinorum obligatione eximitur. Et quidem laudabiliter etiam in peccato existens reprehendit*

*Examen V. De Charitate ad proximum. 571*  
hendit; quia sola Sacramentorum administratio ministrum constitutum in gratia requirit.

*An omnes debeant reprehendi? Ita planè; Omnes enim diligere tenetur humanus, ex ipsius lege naturæ. Prælati ne à subditis sunt reprehendendi? Potiori ratione quam à nō subditis, modò debita adfit reuerentia. An corripiendi excommunicati, heretici, ac publici delinquentes? Ita, si speretur utilitas; quia ad hoc munus haud est cum illis communicatio prohibita. Quotiens autem proximus est reprehendus? Quotiens delinquentis speratur utilitas.*

*Tres adhibitas percurrere conditiones, ac primum peccati notitiam expendere: Quenam notitia requiritur, & sufficit, ut ad corrigendum teneamur? Necessè non est certam omnino esse, sufficit probabiliter & moraliter. Prælati quidem ob solam suspicionem debet magna prudentia adhibita subditi crimen inquirere, ut reprehendat; Secus qui Prælati non est; quia fratri irrogaret iniuriam. Si peccatum est dubium? Prælati potest, & debet carpere subditum, minimè qui subditus est, nisi dubium illud crimen in damnum tertij graue posset redundare, v. g. in Principem proditio.*

*Conditio secunda erat fructus expectatio: Tenemur ne corrigere quando fructus non speratur? Si de fructu dubitas, quia non corrigitur proximus, corripe eum; si, quia insolentior exsurget, meliùs eligatur: modò in mortis articulo hæc distinctio non fiat; securiùs enim tunc proximum reprehendi. Maius timetur malum. Hoc in casu lex correctionis non obligat.*

*Tertia conditio erat opportunitas temporis, aut personæ: Quenam opportunitas requiratur? Quando credis proximum peccaturum, si non carpis, tunc est tempus ad correctionem opportunum. Maior commoditas speratur. Licet differre, præcipuè si ex dilatione feruentior conuersio expectaretur. Obligat ne graui vitæ aut bonorum iactura? Prælati obligatur licet non adfit extrema necessitas, modò sit spes correctionis. Qui subditus etiam est non tenetur, nisi correctio esset simpliciter necessaria, v. g.*

37.

Notitia  
delicti  
corripien-  
di.

38.

Fructus  
ex corre-  
ptione.

39.

Opportu-  
nitas cor-  
reptionis.

572 *Moral. Theologia Tract. V. Virtutes,*  
 si finis vitæ proximi instaret, quando differri non potest  
 correctio; quia spirituale bonum proximi meo tem-  
 porario est anteponendum. *Omisit quis id bona fide.* Non  
 deliquit; quia voluntatem contrariam præcepto non  
 habuit. *Qui reprehendus est aded correptione sauciabitur, ut  
 sit aut morte, aut graui ægrotudine afficiendus: potest ne tunc  
 correptio omitti?* Non propterea à correptione receden-  
 dum; quia spiritualis salus temporario incommodo  
 cui libet anteponenda. *Excusatur ne à reprehendendi obliga-  
 tione particularis persona præsentis Prælati?* Minimè; quia si  
 Prælati non reprehendit, idem præstare ex charitate  
 teneor.

40. *Quo ordine correctio fraterna peragi debet?* Euangelico  
*Ordo cor-* plane iuxta Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe*  
*reptionis.* *eum inter te, & ipsum solum, &c.* Clam corripiendus: si illa  
 admonitio non sufficiat, Prælati nuncietur, postquam  
 coram vno aut duobus testibus correptus ille, haud se  
 ad meliorem frugem recepit. Porro hic ordo omni-  
 bus in criminibus etiam in solum Deum commissis ser-  
 uandus est.

*Quotupliciter potest crimen Prælati declarari?* Dupliciter,  
 aut denunciatione, aut accusatione: huius finis est bo-  
 num commune, illius autem correctio delinquentis: hu-  
 ius materia manifesta delicta, illius verò occulta pecca-  
 ta, quæ solus norit denunciator.

*Quandonom non obseruandus est correctionis ordo, sed annun-  
 ciandum delictum Prælati prius quàm moneatur delinquens?*  
 Quando crimen est publicum: Quando licet occul-  
 tum, est tamen in communitatis detrimentum: Quan-  
 do apud sapientiores ex eo maius damnum exurgit,  
 quam erit famæ proximi delinquentis. *Quid in hæresis  
 delicto?* Quando probabiliter de hæretici pertinacia du-  
 bitatur, clam prius admonendus est. At si de eius perti-  
 nacia constat, immediatè debet denunciari; hæresis  
 enim aduersus commune bonum est. Vnde qui omise-  
 rit, grauius delinquit. Idem dicendum de aliis grauibus  
 contra commune bonum delictis, nempe latrocinii,  
 moneta

*Examen V. De Charitate ad proximum. 573*

monetæ fictionibus, &c. *Mibi constat proximum voluntatem habere, quodlibet eius peccatum extra confessionem apparet Prælato manifestari à cognoscente, vti paterna donetur medicina: tencor ne ordinem correctionis observare? Non teneris quia ob commune bonum potest quis iuri suo renunciare. Legendus *Valentia* id sex argumentis confirmans, ostendénque licitè posse quacumque in Religione id recipi statutum, quemadmodum sanctè in nostra est Societate receptum.*

*Post primam admonitionem proximus emendatur: denunciandus ne? Denunciari non potest; quia id ad correctionis finem necessarium non est.*

*Tenetur ne corrigens post monitionem primam testes adhibere? Probabilius est teneri, si inde utilitas speretur: nec denunciandam culpam Prælato nisi post testis accessionem; quia à Christo ordo præscriptus seruandus, modò non sint crimina aliis exitialia, v.g. luxuriæ, quando ex testium accessione fructus non speratur. Profectò post testium inductionem denunciandum Prælato crimen & vt patri, & vt iudici, prout oportuerit.*

*Potest ne Prælatas subditum ob crimina sic cognita punire? Si per modum fraternæ denunciationis agnoscit, haud potest punire iuris pœnis, sed vti paterna præscribit charitas. Secus planè, quando per denunciationem accepit.*

*Quanammodo obligant edicta, quæ publicantur in delictorum denunciationem? Fraternalis charitatis ordine seruato. Qui quidem ordo ipso in edicto non exprimitur, quia plerumque delicta in edictis expressa sunt contra commune bonum, vnde immediatè debent Superiori annuciari: *Peccata illa sunt omnino secreta.* Edicta in conscientia non obligant, nec ligat Censura ordinem charitatis lædens. At obligant omnino, & ligat excommunicatio in manifesto crimine, & in eo, cuius aliqua infamia, aut clamorosa insinuatio præcessit. De edictis tamen Inquisitionis proprio in loco disserui.*

41.  
Edicta.



## CAPVT IV.

*De secundo effectu charitatis, nempe de  
Elemosyna corporali.*

42.  
*Præceptū  
Elemo-  
synæ.*

**Q**uid est Elemosyna? Opus, quo datur aliquid indigenti ex misericordia. Actus enim huius virtutis est. Quotuplex illa? Duplex equidem spiritualis, & corporalis; quælibet harum in septem actiones subdividitur, ad quas reliqua opera misericordiæ minùs peruia reducuntur.

*An præcepto teneamur Elemosynæ operam dare? Præceptum adest naturale & Diuinum. Quando nam hoc obligat præceptum? Ut respondeam, præmitto necessitatem Extremam; Grauem, Communem. Extrema est, cùm quis probabili in periculo mortis corporalis, seu spiritualis constituitur, v.g. filiam prostituendi, &c. Grauis, cùm adest probabile grauis damni temporalis, aut spiritualis periculum. Communis, cùm necessitas ordinaria est, v.g. mendicare, &c. Præterea præmittendum, bona vitæ necessaria ea esse, quæ ad eius conseruationem requiruntur: superflua autem ea, sine quibus subsistere potest. Item necessaria statui ea bona sunt, sine quibus decenter conseruari non potest Princeps, Marchio, Dux, Eques, Consul, Mercator, &c. Superflua illa, sine quibus tuetur status. Igitur respondeo quæstioni teneri nos elemosynam exhibere in necessitate extrema ex rebus vitæ superfluis, licet statui sint necessaria; quia proximi vita superat mei status decentiam. Extrema hæc necessitas tenet personam publicam notabiliter bono communi necessariam. Tenemur etiam vitæ necessaria exhibere, si superflua non sufficiant; quia totius salus salutis partis est præferenda. Non adsunt pauperes. Nulla est obligatio elemosynæ. Hic & nunc egeo succurrere non possum. Non teneris. Necessitatem ignoro. Non debes succurrere. Non  
quidem*

*Examen V. De Charitate ad proximum. 575*

*quidem necessitatem, sed cui ab aliis occurritur. Sufficit: secus si probabiliter iudices ab aliis pauperes subsidium non accipere.*

*Tenemur ne exhibere superfluum vitæ & status pauperi, cui deficit necessarium ad status decentiam, licet habent ad vitam necessaria? Aliqui asserunt hoc in casu de consilio, non de præcepto eleemosynam esse. Ego autem cum Azorio iudico esse de præcepto; quia huiusmodi defectu laborantes absolutè graui in necessitate constituuntur.*

*Qui vitæ & status habet superflua tenetur ne communibus necessitatibus subuenire? Probabile est teneri; probabilius non teneri; aliàs enim pauci diuites salutem consequerentur. Attamen assero diuites qui superfluis vitæ & status abundant, grauiter delinquere, si aliquam eleemosynam communibus necessitatibus non largiuntur. Superflua ad status opulentiam reuinent, aut ex ædificandis Templis impendunt. Opulentia status in communi necessitate non excusat, exstructio Templi non excusat in graui.*

*Sufficit ne mutuum pauperi exhibere? In necessitate extrema simpliciter, qua constitutus pauper non habet nunc vnde viuatur; nec sperat, absolutè subsidium est donandum. In necessitate autem secundùm quid, qua si caret pane, abundat pecunia; si nunc eget, scit superuenturam abundantiam, sufficit mutuum dare; quia sic sufficienter præsentì necessitati occurritur. Profectò generaliter loquendo cùm eleemosyna ex præcepto obligat, non sufficit mutuare; quia eleemosyna sine donatione non est.*

*An teneatur restituere, qui eleemosynam elargitus non est, quando debuit? Qui ex officio tenebatur, v.g. Princeps, restituere tenetur; quia debebat ex iustitia; reliqui non; quia ex misericordia, quæ restitutioni obnoxia non est, tenebantur.*

*Ex queisnam bonis agenda est eleemosyna? num ex alienis bonis? Possum, & debeo, quando proximus extrema in necessitate constituitur, nec aliunde subest, quo succurrere; quia tunc bona hæc communia censentur. Porrò*

43.

*Ex queisnam bonis agenda est eleemosyna? num ex alienis bonis? Possum, & debeo, quando proximus extrema in necessitate constituitur, nec aliunde subest, quo succurrere; quia tunc bona hæc communia censentur. Porrò*

in

576 *Moralis Theologia Tract.V. Virtutes,*  
 in graui, aut communi necessitate idem præstari potest  
 ex consensu Domini rationabiliter præsumpto. *Quid in  
 communi necessitate de bonis communibus mihi & aliis, aut  
 communitatis alicuius?* Non posses ex his pauperi dare sine  
 aliorum consensu aut expresso, aut præsumpto; quia  
 aliàs alteri cuique iniuria irrogaretur. *Possim exhibere  
 eleemosynam de propriis bonis turpiter acquisitis?* Si ipsa ac-  
 quisitio iniusta est, v.g. furtum, aut vsura, ludus fallax,  
 simonia, &c. non potes. Si non est iniusta ipsa acqui-  
 sitio, licet adfuerit luxuries, homicidium, sententia iniu-  
 sta, &c. potes planè; quia hoc in casu dominium ac-  
 quiritur, secus in illo.

44. *Quanam personæ generaliter possunt eleemosynam exhibere?*  
 Quinam possunt eleemosynam facere?  
 Omnes qui dominium, ac plenam administrationem  
 suorum bonorum habent, aut horum expressum, aut  
 præsumptum consensum habent. *Filius familias sum.* De  
 bonis Castrensibus vel quasi potes; minimè autem de  
 bonis paternis, sine eius consensu. *Laboro seruitute.* Non  
 potes de Domini bonis eleemosynam facere nisi in ex-  
 trema necessitate constituto; aut sine Domini consensu  
 saltem interpretatiuo, aut nisi ex portione propria quo-  
 tidiana detraxeris; aut dono ex ludo aut aliter acqui-  
 fieris. Ego equidem iudico ad exiguam eleemosynam  
 etiam ex bonis Domini consensum eius præsumi. *Reli-  
 gioso sum instituto addictus.* Qui administrationi faculta-  
 tum incumbis, aliqualem eleemosynam exhibere po-  
 tes; secus qui non administras: nisi quando iter agis;  
 aut in graui necessitate cum spe ratihibitionis Prælati;  
 aut quando extra claustra degis. *Quid de vxoribus?* De  
 bonis paraphernalibus, hoc est, ex his, quos vltra do-  
 tem, cum matrimonium iniuere, propriis vsibus re-  
 feruauerunt: aut ex iis, quæ ex hæreditate aut dona-  
 tione obueniunt quo tempore durat coniugium, pos-  
 sunt eleemosynam exhibere. Item potest vxor, quando  
 bonorum administrationem habet, modò non plus elar-  
 giatur, quàm vir elargiretur. Vel quando detraxit à  
 sumptu ex his, quæ ab absenti marito infumenda per-  
 cepit

*Examen V. De Charitate ad proximum. 577*

cepit. Vel quando ex propria acquirit industria, modò familiae sustentatio detrimentum non patiatur. Vel quando ea largitur, quæ foeminae eiusdem qualitatis & status communiter assolent elargiri, modò de contraria voluntate mariti non constet. Vel quando eleemosynam gerit ob eiusdem coniugis spirituale commodum.

*Quæenam eleemosyna peragenda sit? Cunctis egentibus. Inter quos coniunctiores cæteris paribus sunt præferendi: Meliores planè, vtiliores, plus egentes, quemadmodum de charitate differebamus.*

*Clerici Beneficiis Ecclesiasticis fruentis obligationem exprimas. Profectò hi bonorum patrimonialium verum dominium habent sicut laici, possuntque pro libito disponere. Eorum autem quæ in sustentationem congruam eis de bonis Ecclesiæ conferuntur, etiam habent dominium. Porrò tam libera sunt hæc ad sustentationem Bona collata ab obligatione eleemosynæ, quam patrimonialia; quia iusta est laborum merces. Enimverò eorum, quæ post congruam sustentationem superfluum, probabile est non habere dominium, deberèque operibus piis impendere sub onere restitutionis: sed probabilius reputo cum *Lessio* & aliis eorum absolutos Dominos esse; nec obnoxios restitutioni futuros, licet ea profanè expendant; sed tamen graui crimine illigari; quia graue quidem Ecclesiæ præceptum transgrediuntur, de quo Trident. sess. 25. cap. 1. de Reform. Vnde colligo teneri superflua illa pauperibus exhibere, inter quos, *Toletus* auctore, possunt propinqui præferri, accipientes quidem plus cæteris etiam in status incrementum, non solum iuxta qualitatem eorum sed & iuxta dantis Episcopi, Pontificis, Parochi qualitatem, etiam ex Maioratus, aut vinculi institutione, modo absit scandalum, & notabilis fugiatur excessus.*

45.

Clerici

Beneficia-  
ry obliga-  
tio ad  
eleemosy-  
nam.

## CAPVT V.

*De vitiis charitati oppositis.*46.  
Odium.

**R**ecense vitia charitatis virtuti opposita. Adnumero Odium, Inuidiam, Acediam, Discordiam, Rixam, seditionem, scandalum. Ex quibus inuidiam, & Acediam proprio in loco differuimus.

*Quid odium?* Est auersio voluntatis ab eo, quod æstimatur, vt malum. *An Dei odium dari possit?* Ira quidem tanquam materialis obiecti, ex eo quod ab eo fugit voluntas tanquam re quodammodo homini mala, non in se ipsa, sed in aliquo effectu, v. g. in æterna pœna, qua damnatos flagellat. *Potest ne proximus in se odio haberi?* Potest, non solum quo peccator est, essentia salua, (quod licitum ac laudabile est) sed quo homo est ratione mali quod causat. *Odij Dei ac hominis prædictum odium quàm graue delictum?* Odium Dei peccatorum maximum, proximi autem grauissimum; at si respiciatur damnum proximo illatum, ex hæc capite non est grauissimum delictum, grauius enim est homicidium odio; quia plus ei homicidium nocet. Porro ex genere suo proximi odium mortale est, ex paruitate materiæ veniale. Odium autem Dei semper lethale, specie quidem distinctum ab illo, & ideo in confessione distinguendum.

47.  
Discordia,  
contentio,  
Rixa, seditio.

*Quid est discordia?* Dissensio voluntatis à voluntate proximi circa bonum diuinum, vel humanum, quod quis tenetur velle ex charitate. Mortalis quidem est ex suo genere, & propter supra assignatas rationes potest esse venialis.

*Quidnam contentio?* Altercatio verborum cum proximo contra veritatem ad eam impugnandam. Ex genere suo mortalis, &c.

*Rixa quid?* Pugna priuatarum personarum ex mutua  
ira

ira concitata Proximam eius causam iram esse liquet. Ex parte aggredientis semper est ex suo genere mortalis; ex parte verò patientis potest nullum esse peccatum, sed frequentius veniale est.

*Quidnam est seditio?* Civium dissensio. Speciale crimen contra charitatem. Quod si fiat, ut civitas ex obedientia Principis abstrahatur, crimen est læsæ Maiestatis; si autem ad deponendum Magistratus solummodò, seditio est. Porro contra Tyrannum nec peccatum est, nec propriè seditio, quia tyrannica gubernatio ad commune bonum non dirigitur.

*Quid est scandalum?* Dictum vel factum præbens alteri ruinæ occasionem. Duplex planè, actiivum & passivum. Actiivum est vel quando expressè aliquis intendit peccandi exhibere occasionem: Vel quando præter intentionem huiusmodi datur occasio. Passivum autem vel quando datur alicui, & paruulorum scandalum vocatur: Vel quando non datum accipio, & Phariseorum scandalum dicitur. *Quodnam peccatum?* Actiivum certè est ex suo genere mortale; quando autem fit præter intentionem, tunc est peccatum, cum qui exhibet potest & debet proximi ruinam impedire. Passivum autem erit mortale aut veniale eius speciei, qua peccatum ad quod trahit. *Licet non habeam ruinam proximi expressam intentionem, tamen iudico, probabiliter meâ causâ alteri cadendi futuram occasionem: an speciale scandalum peccatum?* Affirmat Valentia probabiliter. Sentio cum Sánchez asserente tunc solummodo esse speciale scandalum peccatum, cum proximi intenditur ruina. Admonuerim tamen me teneri in confessione aperire circumstantiam illam, scilicet fecisse, aut dixisse id, ex quo probabiliter proximo ruinæ causam dari existimabam. *Quandonom scandalum actiivum ex suo genere erit mortale?* Quando quis tenetur ab illo abstinere, quod proximo est occasio ruinæ. Porro ex leuitate materiæ etiam tunc veniale.

*Quidnam est schisma?* Peccatum contra charitatem, de quo supra. Queis addo tripliciter posse committi: aut

580 *Moral. Theologia Tract. V. Virtutes,*  
sola voluntate, aut voluntate executioni mandata, aut  
opere quidem, sed plenè, aut minùs plenè expresso.  
Vnum est illud in Proximum grauissimorum crimi-  
num. Quod si manifestum sit, iurisdictionis amissionem  
causat.

---

## C A P V T VI.

*Praxis circa predicta ex Societatis  
I E S V schola.*

49. *De chartate vary casus.*  
**V**ersatur quis in mortis articulo & putat se non habere suf-  
ficientem contritionem & ideo petit confessarium: rogo  
num teneatur hic cum discrimine propriae vitae eum adire, & ab-  
soluere? Suarius debere affirmat. At cum Coninch iudico  
non debere, nisi fortè esset poenitens ita rudis, vt vel  
nesciret contritionem esse necessariam, vel modum il-  
lam eliciendi. Addo ex eodem autore me non teneri  
cum eodem periculo docere eum, qui ab haeretico sedu-  
ctus esset, ita vt vincibiliter veritatem ignoraret. Vel  
eum, qui cum eadem ignorantia contractum iniustum  
celebrat. Vel cum quis filiam vult prostituere, licet filia  
videatur spiritualiter peritura. *An tenearis cum propriae vi-  
tae discrimine subuenire infanti, qui sine Baptismo aliàs esset mor-  
iturus?* Saa affert ex Soto non teneri; sed cum Suario  
contrarium affirmo; quia nullum aliud medium subest  
misero ad salutem, cum sit incapax contritionis. *Si  
adultus esset?* Cum Saa sentirem, modò ruditate nimia  
non laboraret. *Eius qui in vitae periculo constituitur Prela-  
tus sum, aut Parochus. Teneris peste infectum cum vitae  
periculo; aliàs minimè, nisi, vt dixi (ex Toletò & aliis)  
salus animæ eius omnino tali visitatione indigeret.*

*An teneatur mater grauida, permittere se secari, vt fetus  
baptizetur aliqui sine Baptismo moriturus?* Nec in despera-  
tione vitae ob lethalem ægritudinem constituta teneri  
Doctores

*Examen V. De Charitate ad proximum.* § 81  
Doctores nostri affirmant; quia vel illum exiguae vitae articulum possidet.

Tenetur ne quis proximum inuitum à mortis spiritualis, aut corporalis periculo liberare? Si possit etiam inuitum à corporalis mortis discrimine eum liberare tenetur, non autem à peccato si non possit sine suo graui incommodo, aut ille reluctetur. Sic Saa ex Nau.

Teneor ne damnatum ad mortem iniuste, etiam cum possim, pecunia redimere? Imo authore Saa ipse se redimere teneatur. Quid si redimam? Potes eum tibi in seruum perpetuum accipere. Iniuste damnatum redemi. Potes quidem in multis casibus in seruum accipere, sed ipse se redimere poterit.

Possim ne proximo malum corporale ad salutem anime exoptare? Potes; & mortem ob Reipublicae bonum; & hosti tibi alioqui valde nocituro mortem non odio, sed ad vitandum damnum tuum; & de morte eius gaudere, ob bonum inde secutum. Sic Saa ex Soto.

Teneor ne inimico signa amoris ostendere? Respondeo cum Toletio non teneri, nisi in casu necessitatis, scilicet cum ei teneris ex charitate subuenire; & cum alioqui scandalum futurum esset; & salutantem te resalutare; & veniam petenti reconciliari.

Est ne frequenter peccatum mortale proximum non corripere? Ex Granado assero raro concurrere circumstantias omnes, vt praecipuum correctionis fraternae obliget sub mortali, praeterquam in Praelatis, quorum maior est obligatio subditos corripiendi, vnde facile potest in eis esse mortale, si ex negligentia, & timore correptionem necessariam omittant. Porro alij si omittant ex quadam tepiditate, aut simili affectu, & non ex intentione, & proposito, veniale solum est; nisi forte damnum proximi esset alioqui tam notabile, vt nolenti per correptionem succurrere grauius imputaretur.

An in Religionibus annunciandum peccatum occultum fratris Superiori tanquam Patri sine praevia fraterna correptione? Mini-

50.  
De correptione fraterna.



§ 82 *Moralis Theologia Tract. V. Virtutes,*  
me, nisi in aliqua Religione aliter sit per constitutiones  
cautum v.g. in Societate I E S V, ut docet *Suarus*, quid-  
quid *Lorca* & alij contrarium affirmant.

An teneatur publicè corripere quilibet publicè peccantem?  
Fere non teneri qui Superior non est, assero cum *Valentia*; & adiicio statim Superiori posse huiusmodi cri-  
men indicari, si speratur fratrem esse ab illo corri-  
gendum.

Nil profuturam video correptionem, vel iam se delinquens ad  
meliozem frugem recepit, vel spero fore, ut ex se vel alio corri-  
pente respiciat, vel crimen est veniale, vel mortale incertum, vel  
à me aptior locus speratur, aut tempus. A lege correptionis te  
omnino liberari cum *Valentia* affirmo.

§ I.  
De elec-  
tiosyna.

Quam nomine pauperum intelligantur? Hospitalia, Mo-  
nasteria, Ecclesiæ indigentes luminaribus, ornamentis,  
fabrica; hos, qui non possunt honestè viuere iuxta suam  
conditionem, licet sint alioquin nobiles censeo paupe-  
res nominari cum *Vasquez*, & *Molina*.

Qui habet certam pecuniæ summam pauperibus distribuen-  
dam tenetur ne eligere pauperiores? Minimè, modò pauperes  
eligat. Potest ne eligere quodlibet ex supra assignatis Monaste-  
rium Hospitalis, &c. Potest, nisi aliam esse testatoris men-  
tem ex signis claris, & coniecturis constet.

Maritus prohibet ne vxor moderatas exhibeat eleemosynas:  
rogo an illa possit inuito marito? Potest auctore *Molina*, quia  
maritus est irrationabiliter inuitus, cum eiusmodi do-  
nationes, & eleemosynæ ad decentiam status perti-  
neant. Assigna quantitatem ab vxore licitè donandam. Quæ  
vigesimali partem annui census, vel lucri non excedat.  
Sic *Molina*.

Nam Episcopi & Beneficiati curam animarum habentes ra-  
tione officij pauperes inquirere teneantur, ut ipsis ex Ecclesiæ re-  
ditibus eleemosynas præbeant? Teneri *Sanchez* docet, ut  
superfluis donentur Ecclesiæ redditibus. Porro cæteri  
Clerici, & multò minùs laici, ad id non tenentur.

Debet ne Clericus id quod detrahit ex necessariis ad status  
decentiam viuendo paucius pauperibus dare, sicut superfluum?

Non

*Examen V. De Charitate ad Proximum. § 83*

Non debere cum *Molina* assero; quia bona sunt quasi patrimonialia sustentationi debita.

Lucrantur Clerici ratione alicuius Ministerij, v. g. pro Missis dicendis, concionibus, comitandis defunctis, administrandis Sacramentis, &c. Tenentur ne de iis ut de superfluis elemosynam exhibere? Ex *Sanchez* doctrina assero non teneri, etiam si ad illa ministeria ratione officij obligarentur; quia quasi patrimonialia bona reputantur.

Scio in gravi pauperum necessitate diuitem non dando superflua non peccare mortaliter: rogo, an si teneretur sub mortali impertiri, deberet inquirere pauperes? Solùm deberet misereri occurrentibus. Num omnibus? Aliquibus. An totam indigentiam subleuando? Sufficit aliquid dare. Omnia ex *Vasquez*,

An diues teneatur proximo subuenire etiam in extrema necessitate constituto cum graui proprij status detrimento? Non teneri *Coninch* affirmat. Addo ex *Toledo* cum inter Doctores non conueniat; quando peccet mortaliter; qui non facit elemosynam, non facile condemnandos diuites, qui non largiuntur: monendos tamen ut faciant quantas maximè possint, ne ob omittas elemosynas illis in die iudicij dicatur, *Discedite maledicti*, &c.

*Petrus* hic extremè eget, alibi diues: an sufficiat ei mutuo dari? *Valentia* sufficere docet.

Potest Religiosus elemosynam dare, cum credit id Prælato placere? Posse assero cum *Toledo*, qui adiicit in extrema necessitate posse, etiam renuente Prælato, in graui verò facultatem petendam, si probabiliter de Prælati voluntate non constet.

An possit tutor elemosynam dare? Potest, ait *Saa*; quia pupilli bona administrat.


Surripuit quis in extrema necessitate constitutus, nec deliquit: an ablata extrema necessitate teneatur restituere? Non teneri *Valentia* affirmat.

Ornat se femina more patrio sciens se ex hoc ornata lasciuè ab aliquo amandam: an delinquat mortaliter? Non peccare grauitè cum sic ornata prodit in publicum, iudicat

384 *Moralis Theologiae Tract. V. Virtutes,*  
*Sanchez;* quia vitur iure suo neque est causa illius scan-  
dali nisi per accidens.

*Marius offert uxori occasionem adulterandi, ut illam in adulterio deprehendat. Dominus dat famulis occasionem furandi, vi in furto deprehensi resipiscant: an delinquant? Cum Laymano assero non peccare, quando ob bonum finem exhibent occasionem; quia id non est formaliter ad peccatum cooperari; sed potius illud impedire velle.*

*Quandam dicitur scandalizatus populus? Cum decem graues & honesti viri scandalizantur. Sic Saa.*



## EXAMEN VI.

Circa materiam de virtute Religionis.

### CAPVT PRIMVM.

*De essentia virtutis Religionis.*

53.  
*Religio.*



*Q*uid est Religio? Moralis virtus exhibens debitum cultum Deo tanquam primo rerum omnium principio.

*Quodnam eius obiectum? Proximum quidem aliqua actio ad Deum directa: remotum verò Deus: Materiale humanæ actiones, quibus cultu, & honore Deus afficitur: formale verò Deo cultum eum exhibere.*

*Num virtus Religionis à reliquis virtutibus differat? A Theologicis & moralibus differt. Theologicæ enim proximè Deum respiciunt, morales autem hominem exornant aut in ordine ad proximum, aut in ordine ad se ipsum; at Religio eum exornat in ordine ad Deum. Etiam differre liquet à virtute qua sancti ex propria excellentia coluntur, quæ Dulia appellatur; Religio enim Dei respicit excellentiam,*

*Religionis*

Religionis actus recenset. Interni deuotio, oratio; externi Adoratio, votum, iuramentum, de quibus supra.

## CAPVT II.

## De Oratione in communi.

**Q**uid est Oratio? A Deo rerum decentium petitio  
Vel ad Deum illa dirigatur, vel ad alios per  
ipsum.

*Quotuplex illa? Triplex.* 1. Publica, aut Particularis.  
2. Mentalis, aut Vocalis. 3. Obsecratio, Postulatio, Actio  
gratiarum.

*An necessaria? Ita quidem ex Religionis præcepto, &  
consequenter diuino obligante indeterminatè ad mentalem, aut vocalem.*

*Quonam tempore obligat Orationis præceptum? Arridet  
mihi sententia illa triplex tempus in particulari ex vi  
præcepti assignans. Primum est, morale initium discursus  
perfecti. Secundum mortis articulus. Tertium aliquoties  
in vitæ decursu, vt de præcepto Deum amandi assignauit.  
Profectò Ecclesiastico iure tempus determinatur Missam  
audiendi præcepto, quando Sacerdos pro Populo precatur.  
Cæterùm aliàs obligat aliorum vi præceptorum, v.g. quando  
tenetur peccator se disponere, vt gratiæ diuinæ restituatur  
ad Sacramentorum administrationem: grauis tempore  
tentationis, euentu mortis discrimine, & similibus.  
Adiicit *Lessius* nos teneri ad eò hære orationi, vt vnus  
mensis integer non elabatur. *Quonam crimine omittens  
in his casibus orationem, sese illigat? Mortali quidem, si  
menti occurrat obligatio.**

*Quenam in oratione debent postulari? Res necessariae  
animi salutis, virtutes supernaturales, gratia, &c.*

*Formam orandi exprime.* Dominica oratione præscribitur;  
prius enim Deum inuocamus; mox septem iustas

586 *Moralis Theologie Tract. V. Virtutes,*  
admodum petitiones adiicimus; demum approbatio-  
ne terminamus.

*Quænam requiruntur, ut oratio sit meritoria?* Primò quidem actio libera esse debet. Secundò honesta, quod supernaturaliter erit quando eam fides comitatur. Tertiò rectus finis. Quartò humilitas. Quintò denique propositum de reliquo non delinquendi.

*Ut autem simul satisfactoria sit quid adijciendum?* Pœnalitas quædam: quia sic proportionata est ad debitæ pœnæ remissionem.

*Ut sit impetratoria?* Requiritur bonitas supernaturalis liberæ operationis; quia sufficit tale esse opus, ut intuitu illius possit Deus impertiri quod petitur tanquam eiusmodi operis remunerator.

*Ut verò infallibiliter impetret?* Hæ requiruntur conditiones. 1. Iustus debet esse qui petit. 2. Pollere fide circa potentiam, benignitatem, ac fidelitatem Dei. 3. Agenda est pro ipso, qui petit. 4. Res quæ postulatur, necessaria aut saltem utilis ad salutem animi futura est. 5. Perseuerandum in oratione. Tunc autem haud ex iustitia erit impetratoria, sed ex fidelitate; quia ad rationem debiti ex iustitia requiritur æqualitas ex parte operationis.

*Cuiusnam est proprium orare?* Rationalis creaturæ, Angeli scilicet, aut hominis. *An Christo conueniat?* Christo ut homini viatori conuenit. Imo *Suarinus* affirmat etiam in coelo existenti I B S v orationem conuenire. Profectò *Vasquez* venia contrarium asserentis, existimo Christum apud Superos pro nobis exorare, non solùm ex operibus in vita gestis Patri vulnera præsentando; sed etiam nouo actû petendi, non quidem noua deprecatione, aut submissione; quia postulat, quod ipsi non ex liberalitate, sed ex iustitia debetur.

*Quænam nostræ Orationes sunt dirigendæ?* Deo præcipuè cunctorum, quæ expetere debemus, auctori, ac Domino. Angelis ac hominibus beatis deinde, quorum manibus oratio ad Dei thronum deducta, grata futura

fatura. An animabus in Purgatorio existentibus? Aliqui affirmant probabiliter. Ego arbitror haud eis dirigendas orationes; quia eo in statu nondum existunt, ut possint nostras preces agnoscere vnde otiosæ viderentur. Nisi Angelos earundem animarum custodes rogaremus, qui ad ipsarum cognitionem afferentes orationem, explere possent, quod deficit statui.

Pro quibus orandum? Pro cunctis, qui nondum æternam salutem sunt consecuti. Minimè pro damnatis; quia vel Traiani historiam Bellarminus irridet. Quod si certa liberatio illa, præter ordinariam legem assero accidisse.

Mentalis ac vocalis oratio quidnam? Mentalis quidem est mentis ad Deum eleuatio. Vocalis autem addit quandam sensibilem significationem petitionis in intellectu residentis. Requiritur ne aliqua attentio ad orationis vocalis substantiam? Attentio requiritur necessariò; sed sufficit attendere aut ad verba, aut ad sensum, aut ad Deum, aut ad rem pro qua preces funduntur. Porro etiam ad effectus orationis nempe impetrationem, meritum, satisfactionem, & spiritualem animi refectionem aliqua attentio est necessaria. An præceptum vocalis priuatae Orationis? Minimè. Vt pro dignitate profundatur oratio, quasnam requiritur conditiones. Adesse debet boni finis intentio, sacer locus, habitus corporis decens, ac vocis.

### C A P V T III.

#### De Horis Canonicis.

Quidnam Horæ Canonice? Hæ laudes, quæ certis horis iuxta Canones assolentur recitari. Officium diuinum vocitantur: quia publica Dei laudatio à sacro Canone instituta.

Usum horarum Canonicarum exprime. Antiquissimum esse, ac ex tempore Apostolico deriuatum assero.

588 *Moralis Theologia Tract. V. Virtutes,*  
Chorus quidem semper facer habitus ab Spiritu sancto  
institutus.

*Horarum materiam assigna.* Verba sunt diuino cultui ac-  
commodata, v.g. Psalmi, Cantica, Hymni, Lectiones, Re-  
sponsoria, Versiculi, Benedictiones, Absolutiones, Capi-  
tula, Inuitatoria, Antiphonæ, Collectæ, Oratio Domini-  
ca, Salutatio Angelica, Symbolum, queis suo ordine di-  
gestis Officium diuinum componitur.

*Eius diuisionem expende.* In duas partes diuiditur no-  
cturnam & diurnam. Nocturna quidem Matutinum &  
Laudes complectitur; Diurna autem Primam, Tertiam,  
Sextam, Nonam, Vesperas, ac Completorium. Octo qui-  
dem Horæ ex institutione primaria extitere, iam vsu ad  
septem redactæ, laudes enim Matutino adhærescunt.  
Hoc certè tribus Nocturnis constat; quia olim tribus  
adiectis interstitiis temporis in beatissimæ Trinitatis  
honorem recitabatur, legisque Naturalis, Scriptæ, &  
Gratiæ in memoriam.

*Impletio præcepti quamnam vocem requirit?* Ministri Ec-  
clesiæ canentes, aut recitantes publicè, voce vtantur,  
quæ possit exaudiri. Priuatim recitans eam proferat vo-  
cem, quæ sublatis impedimentis à se saltem audiri va-  
leat. Scio *Azorium* solam labiorum articulationem re-  
quirere licet à recitante percipi non possit. Sed cum  
*Suario* & aliis contrarium asserui. *Quid de musica?* Vsum  
laudo Organi reliquorumque instrumentorum? Atta-  
men moneo versus ab Organo aut aliis instrumen-  
tis celebratum humana submissa voce suppleri de-  
bere.

56.  
*Quinam  
recitare  
teneantur.*

*Ad quosnam pertinet Horas in choro recitare?* Per se ad  
Ecclesiasticas personas, queis aliæ haud Ordine vllò de-  
coratæ adiici possunt. Spectat item ad Regulares diuer-  
so quidem titulo, quorum non omnes Choro addicun-  
tur, multi enim aut grauioribus salutis animarum, aut  
inferioribus temporariis ministeriis curam impendunt.  
Porro accuratiùs Choro deputandi hi Ordines, quibus  
prædicandi cura non impendet.

An præceptum extet Horas in Choro recitandi? Ecclesiarum Cathedralis, ac Collegiatarum præcepto tenentur; secus Parochiales, & inferiores. Porro Regulares iuxta instituta aut tenentur, aut liberantur. Grauis planè obligatio hæc respectu communitatis. Episcopi & Prælati hæc lege minimè adstringuntur. Regularium qui Choro addicuntur possunt sub mortali à constitutione obligari. Canonici Choro non interessentes grauitè non delinquant, sed distributionibus quotidianis priuantur. Horæ denique Templis huic dicatis ministerio recitandæ.

Quinam extra Chorum priuatim recitare Horas teneantur? Tribus modis potest quis ad priuatam recitationem teneri. Primò ex sacro Ordine, obligatio quidem iure Canonico exorta, quæ non ligat minoribus Ordinibus initiatos. Secundò ex professione Regulari, obligatio à iure consuetudinis orta non respectu omnium, sed eorum qui Choro deputantur, cuius ommissio ex genere suo mortalis est. Tertiò ex Ecclesiastico Beneficio unico aut multiplici, obligatio, quæ non ligat duplici Beneficio fruente, bis aut sæpiùs quotidie recitare. Nec obligat ad semel recitandum titulus sine possessione, multò minùs si lite implicatur. Obligat tamen possessio cum spe moraliter certa fructuum percipiendorum. Item non obligat titulus sine administratione; sed qui voluntariè fructus non percepisset, teneretur; secus qui ob alterius violentiam, aut potentiam fructus non perciperet, nisi spes certa recuperandi adesset.

An teneantur recitare Canonici, qui ex Ecclesiæ suæ consuetudine unico aut duplici anno fructibus non fruuntur? Probabile arbitror non teneri; probabilius cum Suario contrarium affirmo; quia voluntariè illi huic oneri subiiciuntur.

Qui fructus percipit stipendiij loco ob docendam grammaticam, tenetur ne recitare? Minimè.

An teneatur qui fruitur pensione ob secularia obsequia? Non tenetur, secus qui Clericali titulo; debet enim paruum



paruum Deiparæ Officium recitare.

*An qui Præsimonio aut Capellania collatiua fungitur? Ità quidem, secus si collatiua non sit; tunc enim Beneficium non est.*

*Num qui integrè Beneficium commendatitium habet? Recitare debet, sicut qui manuale Beneficium obtinet, dum possidet.*

*An Coadiutor? Non tenetur recitare, si non administrat; quia obligatio illa proprietarium tenet.*

*Num possit ab huiusmodi obligatione Beneficij tenuitas excusare? Si fructus tertiam congruæ sustentationis partem non implent, v.g. quantitatem vigintiquinque ducatorum Beneficiarius excusatur; quia ius non exigit laborem ab eo, qui stipendium non suscipit. Attamen huiusmodi Clericum monerem saltem solemnioribus diebus, licet non teneatur, ob perceptam sustentationis portionem ingenuè recitare.*

57.  
*Quodnā  
recitandū  
Officium?*

*Quodnam Officium sit recitandum? Ex antiquo communi iure Clerici tenebantur, priuatim Officium recitare iuxta Breuiarium sua in diocesi approbatum. Ex iure autem nouo Pij V. iuxta Bullæ eius præscriptum recitare debent.*

*An delinquat qui vnum Officium pro altero recitat? Venialiter tantum peccare assero, qui id agit, modò Officium Paschatis & Pentecostes non sit, quoad Matutinum, nec Dominicæ Officium frequenter omittatur, nec quotidie Feriale Officium pro Sancti breuiori commutetur. Ratio est, quia præcepti substantia Officij est Canonici recitatio, recitari autem hoc, aut illud, accidentale reor. Verum excepti duplicis Paschatis Matutinum; quia licet Canonici Officij ratio in omnibus militare videatur vsus iustè contrarium obtinuit, quod speciale priuilegium sit illis solemnitatibus concessum.*

*An aliquando nec venialis erit culpa, vnum Officium pro altero recitare? Non delinqueret venialiter qui id iuxta ex causa præstaret, v. g. si alterum ex charitate iuaret; si grauiorè*

gravioribus occupatus temporis laboraret inopia; si ex affectu aut deuotione speciali illud vellet semel, aut bis in anno Diuo alicui libare obsequium.

An sit piaculum, ordinem Officij variare? Venialis culpa est, vel à minoribus Horis incipias, & termines in Matutino, vel lectiones Psalmis præponas, vel sequentis diei Matutinum recites priusquam præsentis obligationem expleueris in parte, aut in toto.

Quodnam peccatum est Sacrum celebrare ante Matutini recitationem? Si adest causa, nullum; si non adest, solummodò veniale erit; quia semper aliquando negligentia admiscetur.

Delinquit ne, qui Officij incepti aliquam horam, aut Psalmum interrumpit? Si diuidas vnum Nocturnum ab alio iuxta pristinum vsum, non delinquis. Culpabilis interruptio eiusdem Horæ aut Psalmi, aut lectionis, &c. Si notabilis sit, venialis erit; si adest causa, minimè. Laudes possunt, adhibita Matutino Oratione diuidi. At interruptio Nocturnorum trium horarum spatium non excedat, si velis à veniali culpa abstinere. Porrò nullam eiusdem diei interruptionem quantumuis longam mortalem esse reor.

Exprime obligationem eorum, qui priuatim Officio recitando dant operam. Tenentur recitare integrè, intelligibiliter, expressè; nec enim mentalis pronuntiatio sufficit, vt falsò aliquis olim asseruit. Extra Chorum Officium paruum, & Defunctorum obligatorie non recitatur, secus Litanæ, quando processioni quis non interfuit; quia expressè præscribitur in Rubrica; vnde improbo Neoterici docti aliàs, & eruditi sententiam asserentis haud necessariò Litanias priuatim recitandas.

Quantum peccatum est semel totum Officium omittere? Mortale, sicut die præcepto non ieiunare; quia præceptum illud ex genere suo obligat ad mortale. Notabilem partem omitta. Mortale etiam est; quia grauis materia. Partem Officij notabilem assigna. Quælibet Hora respectu totius Officij, cuiuslibet Horæ dimidium. Matutini quatuor Psalmi

58.

Ordo recitandi.

59.

Peccatum non recitandi.

592 *Moralis Theologia Tract. V. Virtutes,*  
Psalmi longiores, vel tres Lectiones cum Responsoriiis.  
Hinc colligo tres Psalmos breuiiores, tres sine Respon-  
soriis lectiones materiam paruam esse, & eius omissionem  
culpabilem tantum venialem futuram.

*Erir ne multiplex peccatum, totum septem Horarum Officium  
omittere?* Vnicum quidem peccatum, sed grauius vnus  
Horæ omissione; quia vnicum totius Officij præcep-  
tum est.

*Quandonam hoc peccatum contrahitur ob Officij omissionem?*  
Tunc consummatur, quando quis non recitandi auim-  
um admittit. Sed si rem spectes, quando terminatur  
dies, nec subest tempus recitationi. *Incipio ante diei termi-  
num.* Si duodecima exaudiatur Hora ante Officij termi-  
nationem cum non multum subest recitandum, imple  
præceptum. Quod si bona fide iudicasti tempus suf-  
ficiens adesse, etsi sub initium Officij dies termine-  
tur, non peccasti, & præceptum impleuisti. *Duo sunt Ho-  
rologia.* Segnius prius insonet, quam terminatum iudices  
diem.

*Attentio.*

*An ad recitationem Horarum interior requiratur attentio?*  
Probabile est, necessariam non esse, modo intentio ad huc  
orandi; quia Ecclesia internum actum non potest præ-  
cipere. Probabilius arbitror esse necessariam; quia Ec-  
clesia orare præcipit, ad quod attentio necessaria est.  
Etsi autem directè actum internum non possit præci-  
pere, potest planè prout subest externo. Scio in quacun-  
que sententia sufficientem esse attentionem vel ad  
Deum, vel ad sensum verborum, vel ad ipsa verba;  
hæc enim quæ minor est confusam internam aliqualem  
attentionem includit. *Inuoluntariè à toto Officio attentio-  
nem auerti: an teneat iterare?* Minimè; (secus si volunta-  
riè) quia exprimens vocem præcepti substantiæ fecisti  
satis. *An inbibent attentio: rem externæ aliquæ actiones, abluendi  
scilicet, induendi?* Absque crimine lethali possunt cum re-  
citatione copulari; quia ex habitu ad huiusmodi actio-  
nes, non impediunt notabiliter. Porro necessitas te & à  
veniali crimine liberat et.

*Quoniam*

Quonam tēpore Officij horæ recitadæ? Ut à mortali peccato abstineas, sufficit recitare à media nocte vnus diei, vsque ad mediam noctem alterius, qui dies vnicus naturalis est. Vti nec veniali fœderis, & publicæ recitationi, & priuatæ tempus Horarum præscriptum est.

Qui hodie non recitauit, debeat ne crastina die supplere? Non; quia diei onus, quemadmodum ieiunium.

Quodnam piaculum sit antepone, aut postponere Horarum recitationem? Nullum ex causa; quia huiusmodi recitatio nec quoad substantiam, nec quoad modum aliqua laborat deformitate. Profecto moderata antepositio, aut postpositio. v. g. vnus aut duarum horarum, etiam sine causa & ex consuetudine venialis non est. Si autem notabilis sit, à veniali non liberatur, Suariorum auctore.

Quanto tempore potest anteponi Matutinum? Scio Sanctium afferre ex aliquibus prima aut secunda hora post meridiem posse sequentis diei Matutinum recitari sine culpa mortali. Ego quidem, post diligenter Doctorum recognita placita, assero quarta post meridiem hora, imò tertia cum dimidia, ad summum tertia posse iustè recitari; quia vsus Romanus communisque Ecclesiæ mos suffragatur. Profecto omnis antepositio vsque ad secundam horam cum dimidia supra assignatam à veniali culpa immunis non erit. Qui autem hora prima aut secunda ante meridiem recitaret, mortali crimine fœdaretur; quia antè tempus Vesperis consignatum, sequentis diei Officio intempestiuè operam daret. Si autem consuetudo tulerit, hora tertia aut secunda cum dimidia post meridiem poterit Matutinum recitari sine veniali piaculo. At adhuc ad meridiem allicere priuilegium ita vt hora prima aut secunda recitetur, non erit vsus legitimi, sed abusus; quia tempus ab Ecclesia celebrationi Vesperarum deputatum anteuertitur.

Quenam à recitatione Horarum cause excusant? In primis excusat naturalis obliuio faciendi, ( iuris pene est impossibilis. ) 2. Breuiarij inculpabilis carentia. Si culpabilis fuit,

60.  
Tempus  
recitatio-  
nis.

61.  
Cause ex-  
cusantes à  
recitatio-  
ne.

fuit, tunc vnicè delinquitur, quando v.g. præuisa impossibilitate recitandi futura Breuiarium in pelagus mittitur, post poenitentiam autem non peccatur. 3. Loquendi impossibilitas. 4. Cæcitas. Nec tenetur Horam integram quam memoria tenet recitare, imo nec integrum commune aut Speciale Officium; quia Ecclesia præscribit variationem per Férias, ac Sanctorum solemnitates. *Possim cæcus Psalmos recitare, & à socio exorare, uti legat me audiente lectiones.* Potes quidem, sed non teneris. *At est dies, cuius integrum Officium memoria teneo.* Illo solummodo teneris recitare. *Surdus me ipsum nō exaudio.* Adhuc recitare teneris. 5. Grauis ægrotudo, qua si corripere, haud necessarium Medici aut Superioris consilium. *Dubito de infirmitatis sufficientia.* Consule Medicum, ut declaret, Superiorem adit in aliquali dubij formidine dispenset. *Quanam ægrotudo grauis reputanda?* Febris, dolor acutus seu capitis, seu stomachi, &c. *Possim ægotans dimidium Officium, aut Horam integram recitare.* Non teneris; quia nunquam posset iudicium moraliter certum ferri, quandonam ægotus à lege recitandi omninò liberaretur, cum nullus tam æger (communitè loquor) qui non possit Completorium recitare. *Ægrotudo v.g. Quartana indulget interuallum.* Affero non liberari ægotum diebus vacantibus à recitandi lege, nisi debilitas nimia, aut futurum damnnum excusaret, *Suario* Doctore. 6. Mortis merus, secluso scandalo, aut contemptu Religionis. 7. Cura afferens impossibilitatem ex iustitia, v.g. docere, concionari, tota die confessiones audire; modò ordinaria excusatio non fit, sed vnus aut alterius diei, uti *Suarus* aduertit. 8. Charitatis actio, v.g. ægotanti inferuire, notabili cura, aut labore adhibito; quia licet non teneamur huiusmodi muneri incumbere, sufficit illud uti maius bonum contemplari. 9. Dispensatio. Papa simpliciter potest cum Beneficiario, ac sacris ordinibus initiato dispensare. Valida erit dispensatio, licet causa non adsit; ut autem sit iusta, iusta causa requiritur. Non potest Episcopus nisi in casu occurrenti, tunc  
autem

autem magis interpretatio legis, quam dispensatio compellanda. Prælati Regulares possunt similiter, cum de sufficientia ægritudinis dubitatur.

*Quinam pœnæ subiacet qui non recitat?* Clericus in sacris constitutus, ac Regularis professus peccato lethali illigatur. Beneficiarius insuper debet fructus restituere ex iure Ecclesiastico. Sex prioribus mensibus à Beneficij receptione haud obligatoria restitutio. Recitatio autem necessaria est à sacri Ordinis receptione aded, vt ab ipsa hora, qua recipitur Officium obliget ab Hora respondente, v.g. Nona. Porrò restitutionis obligatio post sex priores menses ita statuitur, vt licet sex illis prioribus mensibus recitatis, nulla inde compensatio fiat. Quæ quidem obligatio in conscientia contrahitur absque iudicis sententia. *Num omnes fructus sint restituendi, an ij solummodo, qui obligationi recitandi respondent?* Scio Valentiam, Suarium & Azorium omnes docere restituendos. Attamen tantorum venia virorum, cum Saa & aliis pluribus existimo solum eam portionem, quæ veluti stipendium Officio diuino responderet esse restituendam. *An pro rata exacta quidem proportione?* Si iuris præscripto hærescas, solummodo vnus diei omissio pro rata exactè obnoxia est restitutioni. At practica probabiliter statuit vnus aut alterius diei defectum à restitutione excusari. *Practice huiusce doctrine exprimas precor.* Ex rebus Ecclesiæ quotidie v. g. duodecim drachmas accipio diuino Officio respondentes, sex quidem Matutino ac Laudibus debeo, sex verò reliquis Horis. Si Matutinum & Laudes omitto, sex drachmas debeo restituere; si solum Matutium, quinque, si Laudes solummodo, vnā, si quamlibet reliquarum Horarum, alteram, si sex Horas, sex drachmas restituere teneor. Legatur Suarius c. 30. n. 11. *An omitens dimidiam Horam aliquid teneatur restituere, cum pars sit notabilis?* Non; quia parum pro nihilo; nisi defectus hic aliis defectibus, (vt in furto) adhæresceret. *Num qui recitat sine attentione necessaria, aut in peccato mortali existens, restituere teneatur, aut qui ex naturali obliuione omisit?*

62.

*Pœnæ nō recitatis.*

396 *Moralis Theologia Tract. V. Virtutes,*  
Recitans sine attentione, aut lethali illigatus non tenetur; quia absolute præceptum impleuit. Nec qui ex naturali obliuione omisit; quia pœna illa culpam supponit. *Cuinam restitutio facienda?* Aut fabricæ Templi, aut pauperibus, aut Missis pro defunctis verè pauperibus celebrandis. Porrò ad pauperem extra Beneficij Ecclesiam restitutio hæc extenditur. *Clericus ipse restitutionem faciens pauperie laborat.* Aut portio aut totum potest ei applicari ex sapientis consilio, ne propriæ causæ affectus illum afferat in errorem. *An similiter restituere debeant, qui necessarium Deiparæ Officium ob pensionem, omiserunt?* Ita planè.

#### C A P V T I V.

##### *De vitiis Religioni contrariis.*

63.  
Superstitio.

**V**aria Religioni opposita vitia expendenda assume. *Quid est superstitio.* Vana & falsa religio indebitum cultum exhibens Deo quoad modum: aut cui non debetur nempe creaturæ quoad substantiam. Porrò illa, qua cultus indebitus tribuitur Deo, subdiuiditur in cultum Perniciosum, & superfluum; hæc autem qua cultus Deo debitus creaturæ tribuitur, in Idololatriam, Diuinationem, Vanam obseruantiam, Magiam, & Maleficium.

*Superstitionem in cultu veri Dei exponè.* Superstitio huiusmodi vitiosa est, siue falsa sit, mendaciumque contineat, quæ perniciosa dicitur; siue id offerat Deo pro cultu, quod neque spectat ad gloriam Dei, nec hominis mentem, aut corpus subiicit Deo, quæ superflua vocatur. Porrò perniciosa, in solo cultu, quem Minister exercet nomine Christi, reperitur, eaque ex suo genere mortale peccatum est. Superflua verò siue turpi actu fiat, v.g. Sacrificium immolandi hominem: siue tantum vano, quia

quia scilicet ad effectum colendi Deum ineptus sit, semper est peccatum mortale quidem, si priori modo fiat: veniali, si posteriori.

*Secundum genus superstitionis, quæ tribuit creaturæ cultum debitum Deo, euoluas quæso.* In eo prima species Idololatria est, quæ significat cultum quo diuinus honor creaturæ tribuitur. In hac tres actus intercedunt; Primus existimatio Diuinitatis. Secundus affectus reuerentiæ tanquam supremo Numini. Tertius externum signum, quo interior opinio, & submissio significetur. *Quotuplex Idololatria? Triplex.* Prima quæ sumitur ex diuersitate cultus per vota, preces, & sacrificia idolis impenfi. Secunda ex diuersa animi dispositione, vt si ex vera infidelitate, vel timore tantum aliquo procedat. Tertia ex diuersa conditione creaturæ, cui diuinus cultus tribuitur, vt si vel per imagines referatur, Iouis, Appollinis, &c. vel simulachra hominum, pecudumve contineat, quæ diuinis spiritibus animata esse credantur; vel homines flagitiosos pro diis à simplicibus honoratos, vel spirituales creaturas, vt Angelos, Dæmones, animas etiam ipsorum hominum, quos vt Deos adorabant. *Quotupliciter in Idololatria delinquitur? Tripliciter quidem.* Primò grauissimè ex infidelitatis errore. Secundò ex diuino honore alteri tributo, quàm vero Deo, etsi mentis infidelitas absit. Tertio externè tantum absque intellectu errore, & affectu colendi creaturam vt Deum.

*De specie secunda superstitionis differe, id est, Diuinatione.* Est inordinata prædictio eorum, quæ ad solum Deum pertinent, idque indebitis modis minimè à diuina prouidentia constitutis. *Quotuplex illa.* Duplex planè, vna per expressum pactum cum Dæmone, quo petens obligat se ad obsequium illius, siue ad petitionem sacrificia adiungantur, siue adiurationes, figuræ, & similia. Altera per implicitum, ad quod requiritur, vt cognitio acquiratur per medium de se inutile absque diuino auxilio. *Diuinationis species recense.* Augurium, sub quo iudicia Astrologia, Infomnium, Auspicium,

64.

Idololatria.

Diuinatione



598 *Moralis Theologia Tract. V. Virtutes,*  
Omen, Chiromantia, Metolcopia, Spatuimantia, Physio-  
gnomia, & Sortilegium. *Quidnam requiritur ad implicitum*  
*pañum?* Satis est, vt homo terio his signis vtatur ad veri-  
tatem inquirendam; quia cum eorum author solus Dæ-  
mon sit, hoc ipso ab eo vult doceri, eiusque doctrinam  
sequi, quod intrinsecè malum est: cum per eam id à  
dæmone petatur, quod Dei proprium est. *Præcipua Diui-*  
*nationis signa exprime.* Tria sunt, Altra, sortes, & insomnia.  
*Num ex Astris illicita prædictio?* Non quidem omnis, v. g.  
ea quæ naturales effectus ex Astrorum motu, influentiis,  
concurfu, & aspectu Planetarum profert, modò nec in-  
credulitate excedatur, nec imprudenter fiat. Ex iisdem  
pueri futura inclinatio potest prædici: non tamen tan-  
quam certa, vel nimium probabilis. Ea planè est prohi-  
bita Astrologia, qua futura contingentia libera prædi-  
cuntur; id enim graue peccatum esset, cùm falsum sit.  
Erroneum est posse contingentia libera ex Astris prædi-  
ci. Sicut etiam ea, quæ à solo Deo pendeant; ea enim  
neque certò, neque probabiliter futura possunt prædi-  
ci, vt in Bulla Sixti V. statuitur. *De sortibus quid?* Sortes, si  
diuiforiæ sunt, vt in iactu taxillorum ad ludum, ex se  
malæ non sunt. Admisceri culpa potest ex praua in-  
tentione, ex materia, v. g. si fiat in electionibus;  
& ex fraudibus. Profectò in specie electio Eccle-  
siastica per sortes fieri non debet; & si fiat, est nul-  
la. Ad componendas tamen Ecclesiasticas lites, haud  
prohibitum, sortibus vti. Nec ad occulta cognos-  
cenda adhibendæ sortes, nisi diuina adsit inspira-  
tio. Consultatoriæ, bonæ, si prudenter fiant. Di-  
uinatoriæ ad occultam veritatem cognoscendam il-  
licitæ omninò. *Quid denum de insomnia?* Insom-  
nia imaginariæ visiones sunt interioris sensus som-  
ni tempore. Porrò à Deo, & à diabolo immit-  
ti possunt, Diuinis fidem adhibere sanctum; dæmo-  
niacis malum, & superstitiosum. *Exhibe signa diui-*  
*ni insomnia.* Illa præcipua, si nihil adsit turpe, vel  
inhonestum: si deuotum animum relinquat: Si ad  
malum

malum non inducat: Si promptior, & alacrior animus in vigilia reddatur. *Dubito, num à Deo, an à demone insomnium.* Tutum credere à diabolo immiffum. *Quantum peccatum insomnio credere?* Temerè somniis credens peccat; & si quidem ab iis regatur in rebus agendis, mortaliter delinquet: si tantum ex fomnio semel, vel iterum operetur, quod aliàs malum non est, vanitas quædam erit, & venialis leuitas. *Reliqua signa percurre.* Ex cantu animalium, si signa naturalia sint, non est superstitionis aliquid prædicere, etiam si ad homines pertineat. Plura prædicere, quàm signa indicent, superstitionis est. Idem assero de fortuitis homini contingentibus, vel vocibus hominum significatiuis. Physiognomia licita est, non iudiciaria. Nec Chiromantia, quæ ex lineis manuum bonam, vel malam arguit fortunam.

*Tertiam superstitionis speciem, scilicet vanam obseruantiam declarata.* Hæc mediis inutilibus haud à diuina prouidentia constitutis variis corporis commoditates, immutationisque prædicat; quæ à sola Dei prouidentia, & potentia essent expectandæ. *Quotuplex ea?* Quadruplex. Prima, ad cognoscendum, qui dies infausti sint, qui fausti. Secunda, quæ varias verbo, vel scripto adhibet preces. Tertia, qua reliquæ ad collum gestantur. Quarta, qua preces aliquæ vsurpantur ad depellendos morbos. Vnde quatuor solent species numerari. Prima dicitur *Ars notoria*, cum per quasdam orationes futurorum scientia expectatur. Secunda, *Vana obseruantia sanitatum*, cum orationibus varij morbi sanantur. Tertia, *Obseruatio futurorum*, cum ex impertinentium rerum obseruatione mala sibi, vel aliis euentura coniiciuntur. Quarta, *Obseruantia reliquiarum*, cum quis gestat vanas reliquias ex admixtione cum tali herba, charta, &c. *Quonammodo hæc quatuor species agnoscuntur?* Prima agnoscitur ex verbis, quouis modo ad demonem relatis: item ex incertis, falsis, apocryphis, ex precibus certo modo, certa hora, vel in tali charta scriptis. Secunda deprehendi potest ex eo, si vel causa in loco valde distante à passo applicetur; vel si communi-

66.

Vana obseruantia:

600 *Moral. Theologia Tract. V. Virtutes,*  
ter iudicetur improporcionata. Tertia & quarta species eiusdem modis cognoscitur, quibus superstitiosa diuinatio.

67. *Quartæ speciei Superstitionis, id est, Magiæ expositionem euulga.* *Magia* est vis quædam, ac facultas faciendi mira per signa ope dæmonis. *Quotuplex illa?* Duplex sanè Naturalis, quæ quidem per se mala non est; & superstitiosa, ea scilicet, quam definiuimus. Multa possunt Magi circa elementa, hominum corpora, circâque animas tum corporibus coniunctas, tum ab iis separatas; sed præstigiæ sunt, & falsæ apparitiones. *Quodnam peccatum Magia?* Ex suo genere lethale ob societatem cum dæmone. Sæpè etiam alia crimina iunguntur, v.g. hæresis, apostasia, idololatria, blasphemix, sacrilegia, luxuria, & damna proximorum.

68. *Quintam iam Superstitionis speciem, nempe Maleficium, proferas.* Maleficium est vis, ac potestas nocendi aliis, ex pacto expresso, vel tacito cum dæmone. *Quotuplex Maleficium?* Duplex. Amatorium, ad amorem lasciuum excitandum; & Veneficium, ad nocendum aliis. *An amatorium possit vilius cogere voluntatem?* Minimè; obiectiuè tantùm mouet commouendo phantasmata, quibus voluntas ad rem amandam afficiatur. *Licet ne maleficium soluere maleficio?* Minimè; at à malefico, qui modo etiam licito nouit soluere, peti illius dissolutio potest non à dæmone. Signum etiam maleficij destruere licet, & contrarium apponere, si indifferens sit. *De adiuratione quidnam?* Adiuratio est actio quædam, qua persona aliqua inducitur imperando, aut obsecrando, ad aliquid faciendum. Est actus Religionis, & sub præcepto cadit. Duplex illa; deprecatiua, quæ licita est erga Deum, Sanctos, & homines: non erga dæmones; & imperatiua, quæ erga homines subditos solis Superioribus licet, Exorcistis erga dæmones, & publica quidem solis Ministris ordinatis, qui prudenter interrogare, & petere signa egressus possunt.

*Alterum*

Alterum vitium Religioni oppositum, videlicet sacrilegium exponas. Sacrilegium est violatio rei sacræ. Quotuplex illud? Triplex. Primum contra personam, v. g. si Clericus percutiatur, vel eius forum violetur vel immunitas à tributis, vel votum personale castitatis. Secundum contra locum sacrum, vt si occisio hominis polluat, humani sanguinis, & seminis effusione, sepultura excommunicati, vel non baptizati. Item si vsurpetur tanquam locus communis, faciendo placitum in eo, mercatum, vel furtum. Præterea agendo contra eius immunitatem, v. g. Ecclesiam infringendo, in domo Ecclesiarum placita faciendo seculares, dirutæ Ecclesiæ saxa, & ligna in vsus profanos conuertendo, confugientes ad eam per vim extrahendo. Tertium est contra res sacras, vt abutendo Sacramentis, vel ea indignè tractando, profanando vasâ sacra, & ornamenta, violando imagines, scripturis ad confirmandos errores abutendo, & non soluendo decimas. Ad hanc tertiam speciem reuocò irreuerentiam contra Eucharistiam, contra Reliquias, & Imagines Sanctorum, modò fiat contra eas tanquam instrumenta diuini cultus, vel quatenus honor illis exhibitus transit ad Deum: contra Sacramenta; contra concionem, est enim actio sacra, & instrumentum diuinum ad Dei cultores sanctificandum. Quoddam peccatum sacrilegium? Mortale ex genere, veniale autem ex inaduerentia, vel materix leuitate.

C A P V T V.

Praxis circa prædicta ex Societatis  
I E S V schola.

**R**ecito Horas ex deuotione animo tunc non satisfaciendi pro tunc; sed postea perasus nuto intentionem; & illa recita-

*tione volo satisfacere: teneor ne iterum recitare? Cum Vasquez puto non teneri; quia verè satisfacit legi, qui ab ipsa præscripta etiam sine intentione satisfaciendi exequitur.*

*An teneantur Moniales sub mortali Horas Canonicas persolvere? Ex quorundam placito eas Saa liberat. At & ipse affirmat id non esse vñu receptum, & Toletus & Azorius (quos sequor) docent Moniales non voto, non lege, sed consuetudine illigari, quod Suarez confirmat. Scio tamen multos de hac consuetudine saltem sub mortali obligante dubitare. Addit Saa ab aliquibus etiam excusari Religiosos professos qui non sunt in sacris, nec choro destinati. At ex eadem consuetudine addici recitandi obligationi assero.*

*Monachus fugitiuus, aut è Monasterio eieclus, aut Clericus, & regularis ad triremes damnatus, & degradatus tenentur ne Officium recitare? Liberat Sanchez ab hac lege damnatos ad triremes. Toletus degradatum teneri docet, ab eoque dimittendas adiicit solemnitates, & Dominus vobiscum. Scio aliquem, Monachum fugitiuum, aut eiectum excusari; quia non est in statu, in quo obligetur. Ast ego non inuenio, vnde possim iustè eum liberare.*

*Tenantur ne Clerici minores, Psalmos ab Episcopo in ordinatione iniunctos recitare? Suarius affirmat. At Valentia (cui hæreo) docet obligari quidem ex honestate, non autem ex lethali crimine. An possit Episcopus eis aliquid quotidie recitandum imponere? Negat Filliutius.*

*Recipit quis Beneficium inualidè: tenetur ne Horas recitare? Non; quia non habet verum titulum Beneficij, vt Sanchez affirmat. Petit hic postea Beneficij revalidationem, & compositionem pro fructibus. Debet, eodem Sanctio autore, exprimere se non recitasse Officium; vel teneretur ob illam causam iterum de fructibus componere.*

*An, si interruptio inter recitandum, sit notabilis, & sine iusta causa: debeam recitare ab initio? Non teneris sub mortali Lessio autore; quia huiusmodi circumstantiæ ad præcepti substantiam non pertinent.*

Pro Officio de Feria dedita opera de aliquo Sancto dico : an delinquam mortaliter ? Afferui ex Lessio non peccare ; quia hoc non pertinet ad Officij recitationis substantiam , sed tantum ad modum .

In Choro Officiam extra horas præscriptas recitatur : an cum mortali ? Negatiuè respondeo cum Laymano , si scandalum absit .

Quenam est iusta causa , vt possit quis totum Officiam in tempus vespertinum differre , aut mane totum recitare ? Iusta est causa ab omni culpa excusans , si scholasticus , aut Doctor , aut concionator aut præueniat vt se ab eo ordine expediat studio vacaturus , aut postpōnat , quia matutinum tempus studiis est aptius . Ita Sanchez .

Recito cum aliquo priuilegium habente aut recitandi in Breviario breui , aut ante tempus dicendi Horas : num tunc eodem priuilegio fruor ? Frui affirmat Henriquez .

Sum impotens recitare solus : teneor ne cum socio recitare ? Non teneris ; præcipuè quando non es solitus cum socio recitare , vt Lessius docet .

An notabilis abscissio syllabarum , vel nimia celeritas in canendo , aut diceudo sint peccatum mortale ? Non esse cum Filiutio sentio , sed veniale tantum ; nisi adsit contemptus , aut scandalum , aut notabilis corruptio verborum . Profectò corruptio verborum obligaret ad Officij iterationem , celeritas autem minimè licet mortalis ob scandalum esset ; quia iam absolutè præcepto satisfactum .

Quenam pars notabilis Horarum ? Suarius ad mortale requirit , vt alicuius Horæ omittatur pars tanta , vt minimæ Horæ æquiualeat .

Est quis constitutus in sacris , & Beneficiarius : an peccato duplici illigetur , Horas non recitando ? Cum Salas sentio vnico eum peccato teneri ; quia vnicam violat virtutem , nempe Religionem .

An omissio minor quàm vnius Horæ integræ licet sit mortalis , & fructus omissæ parti respondententes essent notabilis quantitatis , sit obnoxia restitutioni ? Filiutius respondet negatiuè ; quia adhuc Officij respectu restitutionis parua materia est .

*Qua de causa non teneatur Beneficiarius ad restitutionem; si sex primis mensibus non recitarit? Lessius ait iure naturalis quia obligatio recitandi Horas non est ex iustitia commutativa, sed ex Religione.*

*Beneficiarius hodie supplet heslerum defectum in Officij recitatione: an ab onere restitutionis liberetur? Respondeo cum Henriquez non liberari; quia ex Bulla Pij V. qui suo tempore non recitat, fructus non efficit suos.*

*Occupatur quis dum Horæ in Choro canuntur, pulsandis Organis, ibi præbendo, &c. tenetur ne ea recitare, que tunc à Choro dicuntur? Cum Laymano iudico non teneri; quia illud Officium necessarium præstare, quasi canere est. Idem assero cum quis, ut bene pronunciet lectionem in Choro iniunctam, in ea prælegenda, dum Chorus alia canit, occupatur; quia illa prælectio ad ipsius Officij reuerentiam pertinet.*

*Cæcus, vel Breuiario carens memoriter noscit Psalmos Matutini, vel integram Horam, v.g. Primam, aut Completorium: tenetur ne recitare? De Psalmis solis Filliurius asserit non teneri; quia soli Psalmi non faciunt Horas. Ego de integrâ Hora idem affirmo; quia sola Hora Officium non facit. Scit ille memoriter lectiones vel capitula alterius diei: debet ne illas Psalmis, quos nouit, copulare, ut integrum faciat Officium? Minimè; quia nemo tenetur aliud Officium dicere, nisi Officium diei currentis. Habeo integrum diurnale, teneor ne recitare solos Psalmos sine lectionibus & responsoriis? Non; quia licet hæc sint minor pars Matutini, sunt tamen maximè principalis & substantialis. Quid si quod Psalmis diurni deficit, solum paruitatem materie attingat, v.g. lectiones tres solas sine Responsoriis? Nam non tenetur Matutinum recitare; quia absolute integrum non potest? Scio Sanchez affirmantem hoc intelligendum de Officio nouem lectionum, non de Officio trium in quo defectus illarum videtur paruus. Huic sententiæ valde hæreo, quia quemadmodum teneor Missam inceptam dum parua est materia deficiens exaudire; quia absolute Missa integra est: Sic potens Matutinum recitare licet*

ex paruitate deficiens, debeo; quia absolutè Matutinum est.

*Dubitat Medicus num recitatio Officij nocitura sit ægroti: tenetur ne recitare? Pallaus Castro affirmat non teneri; quia in dubio possidet ægrotans.*

*Non potest æger per morbum maiorem Officij partem recitare. Affero ex eodem Castro ad nihilum teneri. Imò qui non potest Matutinum cum laudibus; quia etsi non esset pars maior Officij, est tamen prima, & præcipua.*

*Scio posse Superiorem ex causa iusta cum suis Religiosis dispensare circa Officij recitationem Læssio authore: rogo possit ne dispensare, ut aliud Officium dicatur? Ex Suario respondeo, posse pro illo die dispensare, ut aliud Officium dicatur; quàm quod in Breuiario habetur. Non tamen posse quidquam in Breuiario immutare absque summi Præfulis licentia.*

*Obligat ne Officium Defunctorum die 2. Nouembris dicendum, sub mortali? Affirmo ex Suario præculdubio obligare. Porrò circa Litanias priuatim recitandas ab eo, qui processionibus in diebus Rogationum non interfuit dixisti teneri ex Suario. Scio tamen Vasquez contrarium asserere. Attamen rursum assero me ab eius sententia recedere, dum legam Rubricam præscribentem, nec iudicem hæc in præscriptione adesse materiæ paruitatem.*

*An Capellania sine Papæ, aut Episcopi authoritate instituta obliget ad Officium? Cum Saa assero non obligare; quia Beneficium non est. An obliget Beneficium datum ad Officium non Ecclesiasticum, ut ad Organa pulsandum, aut Theologiam docendum? Non obligat eodem Emanuele authore; quia sufficit onus pulsandi, aut docendi iniunctum, ad Beneficij fructus percipiendos.*

*In Choro quis suam partem dicit, & alteram etiam se attentus, percipere non valet: tenetur ne supplere? Iudico cum Saa non teneri, nisi, ut quidam addunt, furdus esset; quia iam non est accidentale non audiuisse.*

*An priuatim quis possit Officium qua velit lingua recitare? Existimo*



606 *Moralis Theolog. Tract. V. Virtutes, &c.*  
mo Græca, & Hebræa sancta quidem posse; vulgari  
minimè.

*An qui mentaliter dicit Officium obligationi satisfaciat? Mi-  
nimè, vti Toletus ait; quia Ecclesia præcipit Officij reci-  
tationem.*

*An teneat sub veniali Quadragesimæ tempore Vesperas ante  
prandium dicere? Docet Toletus posse priuatim à prandio  
recitari.*

*Scio vagari mente ex negligentia in Officio; veniale solum  
peccatum esse: rogo an si ex proposito id fiat grauiter delinquam,  
& ad repetendum officium teneat? Azorium secutus assero;  
peccare te ex contemptu mortaliter; satisfacere tamen  
Ecclesiæ præcipienti, & non teneri iterum recitare.*



TRACTA



TRACTATUS SEXTVS  
 LIBRI THEOLOGIÆ  
 MORALIS,  
 OBIICIENS SIGILLVM  
 SEXTVM, NEMPE  
 status.


*Vbi de tribus statibus Christianæ Reipublicæ,  
 scilicet Ecclesiastico, Regulari  
 ac seculari Materiæ per-  
 stringuntur.*

P R O L V S I O.



EX TI sigilli reſerationem terræ fe-  
 quitur concitatio, Principes, dini-  
 tes, & fortes terræ auolant ad latibu-  
 la montium Agni futuram iram me-  
 ditantes. Adſtant Eccleſiæ proceres  
 Ordinum ſignati charactere. Gen-  
 tes, Tribus, populi, & linguæ innocentæ amictu  
 Agnum adorant. Dominicæ Reipublicæ tres ſtatus  
 hoc proferit ſigillum, Clericalem, Regularem, ſecula-  
 remque, quorum obligationes aggredior exprimere.

Hæc



EXAMEN PRIMVM.

De statu Clericali, circa Materiam de Beneficiis,  
Pensionibus, spoliis Clericorum, &  
rerum Ecclesiasticarum  
alienatione.

CAPVT PRIMVM.

*De Ecclesiastico Beneficio.*

I.  
*Clericus.*

**C**lericus quid? Significat fortem, hæreditatemve,  
eò quòd Deus peculiariter sit illius fors, siue  
pars. Porrò Clerici nomine in materia fauora-  
bili venit habens primam tonsuram, & Religiosus, &  
Episcopus: at in odiosa nec Religiosus nec Episcopus,  
nec secundùm quosdam dignitas, aut Canonicus Ec-  
clesiæ Cathedralis, aut qui non est in sacris. Cum Cleri-  
cis in iure aliquid prohibetur, aut præcipitur, intelli-  
guntur solùm qui sunt in sacris, aut beneficiati. Obli-  
gantur Clerici habitum & tonsuram gestare, nec à pec-  
cato mortali excusatur, qui maioribus initiatus Ordi-  
nibus, aut habens beneficium, non gestat tonsuram, vel  
habitum ad longum tempus absque iusta causa. Porrò  
primam tonsuram eo tantùm sine recipiens, vt Clerica-  
li priuilegio fruatur, peccare mortaliter affirmandum  
minimè est.

*Benefi-  
cium.*

2.  
*Beneficij  
species.*

*Quid est Beneficium Ecclesiasticum? Ius legitimum &  
perpetuum capiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis,  
propter Officium spirituale.*

*Beneficij Ecclesiastici species retenseas. Aliud est Regulare,  
aliud*

aliud seculare : illud regularibus, hoc secularibus confertur. Seulare quidem aliud est *Simplex*, id est, sine administratione, sine vlla iuris qualitate, v.g. Capellania, Canonicatus, &c. aliud *Duplex* affectum scilicet aliqua iuris qualitate, v.g. administratio rei Ecclesiasticæ; præ- eminentia in Choro, iurisdictio, &c. Certè Duplex aliud habet curam animarum, v.g. Parœcia, Episcopatus, &c. aliud non habet, v.g. Archidiaconatus, Decanatus, &c. Duplex sine cura, aliquando habet tantum administrationem rerum Ecclesiasticarum, v.g. Officium Sacristæ, &c. aliquando solum præminentiam in Choro, v.g. personatus : aliquando etiam habet iurisditionem in foro externo in Clericos, & dicitur Dignitas. Item aliud est *Manuale*, id est, ad nutum conferentis reuocabile; aliud non manuale, quod non nisi certis ex causis iure permissis reuocari potest. Præterea aliud est *Electiuum*, præuia scilicet electione; aliud *Collatiuum* sine ea; aliud *Missum* ad præsentationem patroni, & Episcopi institutionem.

*Penes quos conferendi Beneficia adsit potestas?* Aliqua Beneficia Papæ referuantur, vel ratione loci, v.g. quæ in eius Curia vel per mortem, vel aliter vacant. Vel ratione personarum ad se suamque Curiam pertinentium. Vel ratione præminentia, v.g. Cathedrales Dignitates, Dignitatesque principales in Collegiatis Ecclesiis, Præceptoriam generales, sed non Ordinum Militarium. Vel ratione Episcopatus Romani. Vel ratione supremæ potestatis, v.g. omnia vacantia tempore vacationis Ordinariorum : item vacantia mensibus Pontificis, & in alternatiua cum Episcopis. Præterea principaliter aliqua pertinent ad Pontificem iure affectionis, v.g. Beneficium à Papa collatum inualidè propter aliquod impedimentum. Ad Papam etiam iure deuolutionis quædam pertinent. v.g. si inferior collator ius suum negligat. Aut per confidentiam accepta. Aut vacantia ob hæresim. Aut collata ab Episcopis, examine non præmissa. Aut collata à Clericis ob generis originem, vel hæresim.

3.  
Conferens  
Beneficia.

Quid

*Quid de aliis conferentibus?* Concilium generale iure communi Beneficia conferre non potest; in necessitate tamen, Sede vacante, potest: non verò Concilium Cardinalium. Potest tamen Cardinalis conferre Beneficia ad suos titulos, & Ecclesias iis subiectas spectantia. Legatus à latere potestatem habet in suæ Prouinciæ Beneficia etiam ad Papam deuoluta, non verò quò ad menses alternatiuè, nec quò ad Ecclesias Cathedrales, Regulares, Collegiatis. Nuncio Apostolico sine speciali concessione nihil hìc competit. Episcopus conferre potest omnia in sua Dioecesi, exceptis reseruatis. *Collatio Præbende Ecclesiæ Cathedralis?* Ad Episcopum simul & Capitulum pertinet: in Collegiatis tamen probabiliter assero ad solum Episcopum attinere. *Potest ne Capitulum Sede vacante?* Non succedit id Episcopo in Beneficiorum libera collatione, & gratiosa; sed in debita, & necessaria; vnde potest præsentatos instituere, & electos confirmare. Porro Capitulum non potest infra annum Sede vacante dare Dimissorias nisi iis, qui ratione Beneficij accepti, vel accipiendi Ordines recipere tenerentur. Potest item ad tempus vacantia Beneficia commendare, non potest vnire. *Num possit Episcopi Vicarius?* Sine speciali mandato Vicarius generalis non potest Beneficium conferre; potest tamen præsentatos instituere, & electos confirmare. *Quid de laico præsentante?* Licet præsentare possit ad Beneficia ratione iuris patronatus, (quod etiam in foemina residere potest) ius tamen confirmandi illi nullo modo competit.

4. *Quot modis Beneficia adsolent conferri?* Quatuor modis generalibus Beneficia acquiruntur, Electione, Præsentatione, & institutione, Collatione, Prouisione, quæ fit per Papam. *Electio* est alicuius personæ ad Ecclesiam pastorem destitutam Canonice facta translatio. *Præsentatio* est exhibitio quædam personæ per Patronum ei, ad quem pertinet institutio, legitime facta: *Institutio* autem est concessio Beneficij facta legitima autoritate Episcopi, vel alterius, Clerico à Patrono præsentato. *Collatio* est concessio

concessio Beneficij vacantis liberaliter facta ab habente potestatem. *Prouisio* denique per Papam fit vel de vacaturis, vel de vacantibus.

*Quenam in prouisione Beneficiorum forma adest?* Seruanda equidem forma iuris, alioquin actus corruet etiam in conscientia foro, v.g. si non emittatur professio fidei, vel non fiat approbatio ab examinadoribus synodalibus iuxta Tridentinum. Indica formam in Parochialium prouisione. 1. Vacante Ecclesia Episcopus statim idoneum Vicarium constituet. 2. Præuio concursu & examine dignior eligatur: aliter facta irrita est. Ad examen omnes admittendi etiam post edicti terminum, re adhuc integra; non tamen consanguinei Episcopi ad concursum admittendi, quando vacat Parochialis per resignationem in manibus eius. *Quid in prouisione simplicium?* Si liberè conferantur, certa iuris forma non præscribitur.

5.  
Forma  
confe-  
rendi.

*Quinam Beneficiorum capaces?* Iure Diuino incapaces sunt foeminae, iure naturali impotentes ad munera Ordinum exercenda, vt muti, perpetuò amentes, &c. Hermaphroditus sexu foemineo præualente, vel pari, iure diuino incapax est; præualente verò virili solum Ecclesiastico. Iure Canonico incapaces sunt irregulares ex defectu natalium. Vbi hæc communis est regula: Inhabilis ad Ordines, inhabilis est ad Beneficia Ordines requirentia. Bigami qui patiuntur defectum Sacramenti iure Canonico sunt inhabiles ad Beneficia. Porrò non tantum irregularitas ex defectu, sed etiam ea, quæ ex delicto est incapacitatem Beneficij inducit. Item excommunicati, suspensi, interdicti personaliter inhabiles sunt.

*Quenam præquiruntur ad Beneficium conditiones?* Prærequiritur Clericatus, siue prima tonsura. Deinde ætas certa. Hodie ad simplex iuxta Trid. annus decimus quartus inceptus, in quo Episcopus non potest dispensare, nisi aliud in fundatione habeatur. Ad Parochiale vigesimus quintus inchoatus. Ad Dignitates & Persona-

6.  
Ad Bene-  
ficium  
condi-  
tiones.

612 *Moralis Theologiae Tract. V I. Status,*  
tus sine cura animarum, modò requiruntur anni 22.  
completi. Ad Dignitatem principalem in Collegiata  
regulariter necessaria est ætas annorum 25. inceptorum.  
Ad Episcopatum annus trigessimus completus, cum Or-  
dine sacro saltem ante sex menses suscepto. Diacono  
Cardinali anni 22. sufficiunt. Prouisio sine ætate suffi-  
cienti licet bona fides interuenerit, licet vna desit so-  
lummodò dies, nulla est. Præterea ea scientia necessaria  
est ad Beneficium sine qua Officium illi adnexum præ-  
stari non potest. *Exprime in particulari.* Ad simplex sufficit  
posse legere, & scribere, aliquid Latine intelligere. fidei  
rudimenta tenere: hæc quidem si solum primam ton-  
suram requirat. Si autem requirat minores Ordines  
necessaria est scientia linguæ Latinæ. Ad Beneficium re-  
quirens Ordinem sacrum, si quidem Simplex, opus est  
plena rerum fidei instructione, & omnium ad munus  
eius pertinentium cognitione: Si verò Duplex, vt Paro-  
chiale, sciat inter alia quomodo Sacramenta admini-  
stranda. Denique Beneficiarius non solum literis, sed  
etiam moribus, & vitæ probitate debet esse conspi-  
cuus. Collatio tamen facta criminoso, modò excom-  
municatio absit, & irregularitas ipso iure, non est  
irrita.

7. *Quænam obseruare debeant Beneficiarij, vt in adeptis Benefi-  
cijs conseruari possint?* Huiusmodi iura ab eis sunt obser-  
uanda. Necessaria est, 1. Scriptura quando à Papa sit  
prouisio; si ab Ordinario necessaria non est. 2. Proui-  
sus de Beneficio Curato tenetur à die adeptæ possessionis,  
ad minus intra duos menses publicè fidem profiteri  
in manibus Episcopi; vel eo impedito, coram Vicario  
generali, Canonicus vel Dignitas Cathedralis non so-  
lum coram Episcopo, sed etiam in Capitulo idem facere  
tenetur. 3. Debet habitum & tonsuram Clericalem ge-  
stare. 4. Pensionem soluere de semestri in semestre,  
alioqui Beneficiarius est excommunicatus. 5. Obliga-  
tur ad horarum Canonicarum lectionem à die pacificæ  
possessionis. 6. Residentia in omnibus etiam simplicibus

bus Beneficiariis iure communi exigitur. Excipit consuetudo præstimoniam & Beneficia simplicia in Ecclesiis non Collegiatis; iure tamen naturali in absentia per aliam Officio satisfaciendum. Curati iure diuino tenentur residere. Iure verò Canonico obligantur habentes Dignitates in Cathedralibus, Collegiatis, Canoniciatus, Præbendas, & Portiones, etiam si Beneficia simplicia sint. *Quotnam causæ tum ad breue, tum ad longum tempus excusant à residentia?* Septem. 1. Potest Episcopus quotannis siue continuè siue interruptè ex iusta causa ad summum abesse per tres menses, modò sine gregis detrimento fiat: Parochi per duos: qui habent Dignitates, Canoniciatus, Pensiones gaudent trimestri: ad quam breuem absentiam vel animi relaxatio iusta causa est. Pro longiori tempore quatuor generales causæ adiiiciuntur, videlicet Christiana charitas, euidens communis necessitas obedientia maioribus debita, Ecclesiæ, cui præest necessitas, vel vtilitas. Hæ causæ à Pontifice vel à Metropolitanò approbantur: vel eo absente à suffraganeo antiquiori, qui etiam approbat Metropolitanò absentiam, idque in scriptis. Sexta causa est Theologiam, vel ius Canonicum audire ad quinquennium, vltra Episcopus dispensare non potest. Septima easdem facultates quantumuis diu docere. Ad docendam Philosophiam vel literas humaniores opus fuit Episcopi licentia ante Tridentinum: In Pij IV. constitutione requiritur licentia Papæ cum Episcopi consensu. Imò Parochi ex dictis causis non excusantur ad fructuum perceptionem, nisi cum Papæ licentia consensus adsit Ordinarij.

*A queisnam Beneficiario abstinendum est?* Primò à militia: ad quam proficiscens, & pugnans, eo ipso dimittere Beneficium censetur. Secundò à delatione armorum. Tertio ab officio aduocati apud secularem iudicem: excipe defensionem sui, Ecclesiæ suæ, miserabilium, sanguine iunctorum vsque ad quartum gradum. Non potest esse procurator in criminalibus, vel ciuilibus,



614 *Moralis Theologia Tract. V I. Status,*  
exceptis causis assignatis. Quartò, non aleator. Quintò, non sordidus opifex. Sextò non iudex in causis sanguinis, nec ad huiusmodi causas concurrere, nec adesse sine iusta causa. Septimò, nec habere aues, aut canes ad venandum. Octauò, per se ipsum non potest negotiari.

8. *Beneficia-  
viorum  
domini.* Num Beneficiarij sint Domini fructuum Beneficij? Eorum Domini sunt, non solum partis ad sustentationem necessariæ, sed etiam superflua, modò religiosa paupertas non impediatur. Iure communi non possunt testari de Beneficiis, aut inde acquisitis, ex consuetudine possunt. Non possunt locare prædia, aut fundum Beneficij ultra triennium, possunt tamen fructus etiam ad totam vitam. Quid de fructibus Beneficij tempore vacationis obuenientibus? Iure communi successori referuntur. Quid autem de quotidianis distributionibus? Eas iure communi tantum dandas esse præsentibus ad diuina officia affirmo, nec posse alium præter Papam iuris rigorem relaxare. *Canonicus absens ob Ecclesiæ negotia, vel præsens loco, sed absens ab Ecclesia ob infirmitatem?* Si ita consuetudo ferat, distributionum est capax. Idem est (eadem fauente consuetudine) de iis, quæ ipsis ad tres menses legitime absentibus obueniunt.

9. *Pluralitas Beneficiorum.* De pluralitate Beneficiorum in vno eodemque Beneficiario quid dicendum? Iure Canonico generaliter Beneficiorum pluralitas prohibetur. Quisnam ex causis ab eodem iure conceditur? Quinque. 1. Quando exigui sunt redditus. 2. Quando vnum Beneficium alteri est vnitum. 3. Quando Clericus non inuenitur idoneus. 4. Quando vnum datur in titulum, alterum in commendam. 5. Quando vnum habet curam animarum actu, aliud habitum tantum. Addiderim excusare indulgentiam, & iustam dispensationem. *Quenam sunt Beneficia incompatibilia?* Primò omnia curata. Deinde ea quæ vocantur Dignitates, Personatus, vel Officia. Tertio, Canonici. Quarto, Portionatus in Cathedralibus, & Collegiatis. Quintò quædam dicuntur incompatibilia sub eodem

eodem tecto. Sextò, duo etiam simplicia dicuntur incompatibilia, quando vnum sufficiens. *Quodnam Beneficium sufficiens*, Prudentis iudicio statuendum, habita ratione personæ, & aliarum circumstantiarum. *Quanam autem sint compatibilia?* Primò simplicia non requirentia residentiam. Secundò cum vnum requirit residentiam non alia, eaque ad sustentationem necessaria sunt. Tertio, si plura vnita. Quarto, si vnum in titulum, aliud in commendam. Quintò, si plura tenuia; non tamen curata nisi valde vicina. Sextò, si duò curata vnum actu alterum habitu. Septimò, si Beneficio addatur pensio, non in titulum. Octauò, defectu personarum. Nondò, si Beneficium coniungatur cum Vicariatu generali Episcopi, vel alterius Ordinarij. Decimò ex consuetudine, cum naturali iure non pugnante. *Quisnam in pluralitate dispensat?* 1. Papa; 2. Papæ Legatus modò non sint Episcopatus, Dignitates, Curata, nec sub eodem tecto, nec congruam sustentationem excedentia. 3. Episcopus potest cum eadem limitatione; deinde etiam quando sub eodem tecto dissimilia sunt, & vnum non est sufficiens: non verò quando similia, vbi nec Legatus Papæ potest.

*Quotnam modis assolet Beneficij amissio contingere?* Tribus. Primò ipso facto, vt cum quis possessionem amittit non titulum. Secundò, ipso iure, vt cum quis auctoritate iuris priuatus est ipso Beneficio, possidet tamen de facto. Tertio, de facto, & de iure, vt cum quis illud deponit, & non dum collatum est alteri. *Scio ipso iure vacare aliquando sine delicto, ex delicto aliquando: quonammodo sine delicto vacat?* Per mortem naturalem, per ciuilem, id est, professionem religiosam, per matrimonium validum, solùm etiam ratum, non per inualidum. Item quando Episcopus legitimè ab vna Ecclesia transfertur ad aliam, prima vacat per pacificam secundæ possessionem. *Quonammodo autem vacat ex delicto?* Primò ratione hæresis. 2. Per schisma. 3. Ob percussione[m] Cardinalis, vel Episcopi. 4. Per homicidium qualifica-

IO.  
Beneficij  
amissio:

616 *Moralis Theologiae Tract. VI. Status,*  
 tum, v. g. per conductum pretio ad Christianum occi-  
 dendum. 5. Ob literarum Apostolicarum falsificationem.  
 6. Vacationem Sodomia sæpius exercitata inducit.  
 7. Occisio per se vel per alium Rectoris, vel Clerici  
 Ecclesiæ suæ, in qua Beneficium habet. 8. Simonia  
 confidentiæ. 9. Alienatio bonorum Ecclesiæ Pontifice  
 inconsulto. 10. Violenta Beneficij possessio. 11. Priuatus  
 etiam Parochus est, si culpa sua intra annum ad  
 Sacerdotium non promoueatur. 12. Item examinatores  
 ad Parochialem, si pro examine aliquid accipiant.  
 Addunt alij crimen lææ maiestatis & alia non ita li-  
 quidi iuris. *Assigna effectus ipsam priuationem consequentes.*  
 Primus est, posse impetrari Beneficium ante condemna-  
 tionis sententiam. Secundus, priuatum non facere fru-  
 ctus suos. Tertius, non posse de Beneficio disponere.  
 Porrò ante delicti declarationem non cogitur Benefi-  
 cium dimittere. *Quisnam denique per sententiam iudicis me-  
 vetur priuationem?* Primò, non residens. 2. Homicida.  
 3. Publicus concubinarius post monitionem. 4. Peri-  
 iurus. 5. Blasphemus in Deum, vel Sanctos. 6. Obri-  
 nens Beneficium secundum requirens residentiam cum  
 primo, si non sit Dignitas, vel Curatum. Porrò de Be-  
 neficiorum permutatione, resignatione, ac confidentia  
 lege plura apud *Castrium Palao, & Filiutium.*

## C A P V T II.

### *De Pensionibus Ecclesiasticis.*

II.  
*Pensio.*

**Q***uid Pensio?* Aliquando certam fructuum por-  
 tionem ex Beneficio detractam, & alteri sol-  
 uendam, aliquando ius ipsum ad illam portionem  
 significat. *Quotuplex?* In Clericalem & laicalem com-  
 muniter diuiditur; hæc propter officium seruitij ali-  
 cuius corporalis Ecclesiæ exhibiti, vel exhibendi con-  
 ceditur:

ceditur: illa ad sustentationem status Clericalis assignatur.

*Ecclesiæ Pensiones à quonam imponi possunt? Iure communi ea potestas penes solum Pontificem summum est. Iure tamen antiquo in aliquot casibus Episcopis aliquid licet. Possunt namque hi Pensiones imponere. 1. Pro concordatione litis; & bono pacis. 2. Pro egenis; 3. Pro benemeritis. 4. Ad usum pium. 5. Pro renunciantem causa alimentorum. 6. In quantitate moderata. 7. Pro sustentatione Beneficium constituentis. 8. Ad cœquandos fructus in permutatione. Requiritur tamen semper cum tale quid sit causæ expressio. Legatus quidem à latere idem in sua provincia potest.*

*Quinam Pensionis capaces? In primis quidem Incapaces sunt quicumque inhabiles ad statum Clericalem; vel absolutè ut foeminae: vel durante impedimento, ut infantes, infideles, &c. Item inhabiles ad officium recitandum. Profectò impetrans Pensionem à sciente irregularitatem, vel aliud impedimentum, validè obtinet, quamvis illicitè: intellige si conferens sit inferior Papa, aut in illo impedimento dispensare nequeat. Potest ne conferri Pensio laico volenti Clericatum suscipere? Potest, fructibus tamen non gaudebit priusquam Clericus factus sit. Dari ne potest Pensio excommunicato? Laicalis quidem potest. Pontifex sciens alicuius impedimentum, confert Pensionem. Eo ipso censetur dispensare.*

*Assigna causas Pensionis constituendæ, & conferendæ? Ad duo capita reuocantur lucri nimirum, & oneris: vnde Pensionum aliarum dicuntur ex causa lucratiua, aliarum ex causa onerosa. Ex causa lucratiua sunt quæcumque ad purum commodum pensionarij, nullo præcedente incommodo subleuando, conferuntur. Ex causa autem onerosa, cum pensionarius aliquod incommodum passus est, à quo collata Pensione releuatur. Quenam sunt causæ lucratiuæ? Prima alimentorum; secunda commodioris sustentationis. Causa onerosa quanam? Prima ces-*

618 *Moral. Theologiae Tract. VI. Status,*  
fatio litis pro bono pacis. 2. Transactio. 3. Resignatio.  
4. Priuationis, cum quis scilicet priuatus Beneficio, non  
habet vnde viuat.

*Quibus Beneficiis, & quomammodo Pensio possit imponi?* Pa-  
pa omnibus potest imponere. Vetat Tridentinum im-  
poni Parochiali centum ducatos non excedenti; idem  
est de Beneficio simplici adiuncta Dignitate. Nec gra-  
uandus Episcopatus, cuius prouentus mille aureos non  
attingit. Beneficio simplici quandoque apponi solet  
Pensio non excedens medietatem, aut tertiam partem,  
cuiuscumque valoris sit Beneficium. Imò etiam in quo-  
tidianis distributionibus locum habet, si id apposita  
clausula exprimat. Equidem antiquo iure omnia Be-  
neficia Pensionem admittebant.

*Indicæ Pensionarij obligationes.* Scio non deberi Pensio-  
nem, si absque culpa fructus non percipiuntur: debe-  
tur tamen si percipiuntur, etiam si inualidè facta sit re-  
signatio: tenetur etiam si accepit Beneficium cum illa  
clausula: vt pensionem soluat, etiam si fructus non per-  
cipiantur. Pensio à Papa imposita etiam sine causa, exi-  
gi potest. Porrò causa, propter quam Pensio datur, falsa  
existente, non potest pensionarius eam accipere. Tene-  
tur Pensionarius ad officium paruum B. Virginis, cuius  
omissione fructus non facit suos. Tenetur ad onera so-  
uenda fructibus Beneficij postmodum legitimè imposi-  
ta, idque pro rata Pensionis, nisi hæc exempta sit. Tene-  
tur denique gestare habitum, si Pensionem sexaginta  
aureos superantem exigat. Aliàs ad fructuum percepto-  
rum restitutionem obligabitur.

*Quotnam modis cessat Pensio?* Sex. Primò expiratione  
per mortem pensionarij. 2. Priuatione per crimen.  
3. Cessatione per voluntatem. 4. Translatione per sui  
iuris in alium deriuationem. 5. Extinctione per re-  
demptionem. 6. Per matrimonium. Porrò redimi-  
tur communiter Pensio anticipata quinque annorum  
solutione, consensu Pontificis interueniente.

*Quenam crimina in materia Pensionis committi possunt?*  
Titularis

Titularis peccat contra iustitiam vel non soluendo; vel non suo tempore. Peccat contra eandem virtutem pensionarius, si exigit sine iusto titulo, si non verificata causa, vel conditione narrata, idque in titularis præiudicium. Peccat contra æquitatem pensionarius, si beneficiario omnino grauato, integram petat pensionem. In eadem materia locum habet Simonia iure Ecclesiastico prohibita, ea tamen pœnas cum Simonia beneficiaria communes non habet.

### C A P V T III.

#### De rerum Ecclesiasticarum alienatione.

**Q**uid est Alienatio? Actus, quo dominium rei directum, vel vtile, aut vsus fructus, aut ius in alterum transfertur, vel abdicatur. Vetita quidem huiusmodi alienatio iure naturali diuino annexo iuramento, si loquamur de Summo Pontifice & Cardinalibus respectu bonorum Sedis Apostolicæ; aut de Episcopis & Prælatibus respectu bonorum suæ Ecclesiæ: vetita iure Cæsareo: & iure Canonico, nisi alienatio fiat ex iusta causa & cum debita solemnitate, aut ad breue tempus locationis, vel in causa Emphyteusis in casibus à iure permissis, vel nisi alienatio fiat de re leuis momenti, aut rerum, quæ seruando seruari non possunt: aut nisi fiat de bona fide; aut nondum perfecta sit alienatio, & ab eo qui bonorum habet administrationem.

Quenam igitur Ecclesia bona alienari possunt, & quenam alienari non possunt? Bona immobilia & mobilia pretiosa quæ seruando seruari possunt alienari prohibentur. Bona verò mobilia & pretiosa, quæ seruando seruari non possunt ab Episcopo aut administratore possunt vendi sine alia solemnitate. Vnde etsi valida alienatio vini, frumenti, olei, ouium, &c. facta sine solemnitate: inualida

12.

*Alienatio  
rerum  
Ecclesiasticarum.*

620 *Moralis Theologia Tract. VI. Status.*  
tamen prorsus venditio domorum, agrorum, montium,  
censuum, argentæ lampadis, &c.

*Assigna causas ob quas alienatio rerum huiusmodi licitè & validè fieri possit.* Quatuor à Doctoribus collegi, necessitatem urgentem, pietatem, utilitatem evidentem Ecclesiæ; & quando Prælatus credit legitimam subesse causam; licet postea legitimam non fuisse comperiat.

*Solemnitates requisitas ad alienationem bonorum mensæ Episcopalis, aut Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiæ præter iustam causam annectæ.* Adsit vnus tractatus saltem, id est discussio; quæ sit allatis rationibus vtro citroque, nùm expediat huiusmodi bona alienare. Post tractatum requiritur consensus expressus maioris partis Capituli, eorum scilicet qui sunt præsentés. Requiritur etiam consensus Superioris: nec excusantur qui ante Superioris consensum adiiciunt: *saluo Superioris assensu.* In alienatione bonorum Ecclesiæ Cathedralis iure antiquo requiritur Apostolicæ Sedis facultas. Profectò licet Pontificis summi facultas suppleat solemnitates antiquo iure requisitas, non tamen causam, nisi exprimat. Ad alienationem autem bonorum Ecclesiæ carentis Collegio requiritur consensus Rectoris cum consensu Episcopi: imò etiam cum assensu Pontificis post Extrauagantem, *Ambitiosæ.* Per Collegium autem intellige non solum communitatem Canonicorum, sed etiam beneficiariorum illius Ecclesiæ.

*Quenam alienatori iniusto pœnæ assignatæ?* Omnes & singuli Ecclesiastici seculares & regulares res Ecclesiæ malè, & scienter alienantes excommunicacionem incurrunt: Episcopi verò & Abbates interdicto, vel suspensione puniuntur. Etiam Cardinales pœnis contra alienantes bona Ecclesiastica impositis subiiciuntur, quia etiam favorabilibus legibus gaudent. *Nùm Papa ligetur?* Minimè; quia legislator suis legibus quoad vim coactiuam non tenetur. *Pecat ne saltem contra iuramentum?* Ita planè, nisi iuramentum sibi prius relaxet, secumque dispenset, si causa iusta adsit.

adfit. Probabile tamen est alienationem à Pontifice summo factam sine iusta causa validam esse.

CAPVT IV.

De Ecclesiasticis spoliis.

**S**polium Ecclesiasticum quid? Quidquid in bonis Ecclesiasticæ personæ post mortem ipsius reperitur, quod neque ex testamento, neque ab intestato ad hæredes ipsius pertinet. 13.  
Spolia  
Ecclesiastica.

Ex quibus personis spolia Ecclesiastica capiuntur? Omnes qui gaudent priuilegio fori Ecclesiastici, siue quò ad personas, siue quò ad bona, spolio Ecclesiastico subii-ciuntur. Vnde Regulares omnes & Laici Clerici tam in Ordinibus constituti, quàm aliter Ecclesiæ seruientes dummodo ex suo statu fori priuilegio gaudeant, obnoxij spoliis esse possunt. Excipiuntur ne aliquæ Ecclesiasticæ persone? Ita quidem, scilicet 1. Cardinales. 2. Curiam sectantes, & in ea morientes. 3. Priuilegio testandi muniti.

Quenam bona spoliis obnoxia sunt? Patrimonialia minimè, nec quasi patrimonialia, quæ scilicet alio titulo quàm hæreditariæ successionis acquiruntur, & in absolutum eorum dominium transeunt. Igitur quod beneficiarius decedens nec testari potens ex fructibus beneficij iam perceptis reliquit, spolio debetur Ecclesiastico. Idem est de emptis ex redditibus Ecclesiasticis, modò ad victù aut stipendium congruù destinati non fuerint, nec de illis in vita irreuocabiliter disposuerit. Idem iudicium de instrumentis sacris ad diuina Officia celebranda vtilibus aut necessarijs. Num bona ex stipendio quotidiani laboris personalis, scilicet Missæ, prædicationis, Confessionis, &c. obnoxia spoliis? Minimè; quia inter quasi patrimonialia adnumeranda, sicuti & ea, quæ ab amico dono accipiuntur.

Quibus



*Quibus spolia debentur?* Beneficiarij regularis spolia; imò etiam non Beneficiarij iure antiquo erant Monasterij; nouo autem sunt Fisci Apostolici: intellige de eo qui separarim uiuit, & à mensa communi seorsim: morientem in Camera, & Priuilegiatum si excipias. Bona Ecclesiastici siue Regularis siue secularis spolia Cameræ redduntur, quando contra inhibitionem Canonum acquiruntur, idque nouo iure. Instrumenta sacra post mortem Beneficiarij Ecclesiæ vel Monasterio debentur, in quo quis beneficium habet, vel habuit: idem est de Pensionario. Fructus Beneficij tempore mortis debiti, sed nondum percepti spolia sunt Cameræ, in iis scilicet terris, ubi Collector est Apostolicus: aliàs successori debentur. Fructus beneficij à die vacationis vsque ad legitimam prouisionem, & actualement possessionem olim ad Ecclesiam illius beneficij, vel ad successorem pertinebant: nunc autem ad Cameram Apostolicam. Redditi pensionarij tam exacti, quam exigendi sunt modò Cameræ Apostolicæ. Utensilia, v. g. mensæ, scamna, &c. post Pium V. non sunt spolia. Debira defuncti beneficiarij soluet successor, si ea ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ contracta sint, imò si etiam ob propriam necessitatem: id quod in iis locis intelligendum, ubi ad Cameram bona non deuoluuntur.

*Vndenam excusari possunt beneficiarij ab spolio faciendo?* Duplici ex capite: vno quidem, si facultatem testandi à Pontifice acceperunt; altero, si eandem habent ex consuetudine, vt in Hispania, & Gallia.

---

## CAPVT V.

### *Praxis circa predicta ex Societatis*

#### IESV schola.

14.

De Beneficiis variis casus.

**E** piscopatus & alia beneficia curam animarum habentia sunt ne in competitorum concursu dignioribus conferenda? Ita planè,

planè, alioquin iustitia distributiua violatur, & peccatum acceptationis personarum committitur. Imò peccatur contra iustitiam commutatiuam ortam ex illo quasi contractu proueniente ex propositione edicti de concursu. Vnde tunc eligentes minus dignum ad restitutionem tenentur. Ita Vasquez.

*Quius habent conferendi beneficia per prouisionem liberam, ut Summus Pontifex, & Reges, tenentur ne digniores eligere? Sufficit si eligant dignos: & prælati hos acceptare tenentur.* Ex Reginaldo & Sanchez.

*Resignat quis beneficium: debet ne digniori resignare? Negatiuè respondeo cum Lessio; quia cum nullus sit concursus, poterit digno cui uoluerit resignare: & collator acquiescendo resignatori non peccabit.*

*Possunt ne Ecclesiastici valde nobiles, aut insignis eruditionis, cæteris paribus, plus aliis minus nobilibus, aut minus eruditionis sumere ex Ecclesiæ redditibus? Possunt ex doctrina Molinæ: debent tamen sumptus esse moderati, ut non excedant decentem Ecclesiasticorum modestiam. Vnde colligo Principum filios non posse tantum expendere de bonis Episcopatus, quantum de bonis patrimonialibus possent; quia alia sustentatio conueniens est Principi Ecclesiastico, alia seculari.*

*Beneficij Ecclesiastici collatorem iam determinatum ad conferendum alteri, precibus aut muneribus induco, ut mihi, vel amico minus digno conferat: teneor ne ad restitutionem? Minimè; (ait Lessius) quia reliquisti collatorem in sua libertate: nec alteri iniuriam irrogasti, etiam si ex odio fecisses; quia odium non est peccatum contra iustitiam, sed contra charitatem.*

*Me agnosco minus dignum: possum ne me offerre ad beneficium obtinendum? Potes, relinquendo totum iudicium electori, siue collatori ex Lessij doctrina. Si autem in concursu prætermissio digniore eligar? Potes, ex assertione Turriani, beneficium, aut cathedram acceptare.*

*In concursu potest ne dignus eligi, relicto digniori? Respondeo*

624 *Moralis Theologiae Tract. VI. Status,*  
spondeo ex Lessio posse pluribus in casibus. 1. Si dignior est extraneus. 2. Si minùs dignus est acceptior. 3. Si dignior est externis negotiis implicatus. 4. Si est periculum ne eligatur indignus. 5. Si minùs dignus sit magis expertus. 6. Patronus laicus potest relicto digniore minùs dignum presentare. Porro examinatores digniorem indicare non tenentur, nisi Episcopo postulante, vt Ecclesie electionem faciat vtiliore. n.

*Est ne dispensatio necessaria ad pluralitatem eorum, que in Hispania Præstimonía vocantur? Minimè ex Valentia. Porro Præstimonía sunt Beneficia simplicia sine residentia.*

*Habens quis Dignitatem aut personatum, aut Curatum Beneficium alterum tale accipit. Vacat prius ipso iure: quod nisi statim resignet, etiam secundo priuatur. Sed id per sententiam iudicis; nec enim debet se ipse priuare. Imò nec priùs vacat secundùm aliquos, nisi à iudice moneatur, idque post pacificam secundi possessionem. Sic Saa.*

*Vicarius reuocatus, sed ignorans reuocationem confert Beneficium: est ne collatio valida? Ita quidem, (vt ait Saa) irèmq; renunciatio facta per Procuratorem reuocatum ante reuocationis intimationem illi factam, etiam si is, cui fit renunciatio, reuocationem sciat.*

*Potest ne Episcopus cum illegitimo dispensare ad Beneficium? Ad vnum simplex posse affirmat Molina, dummodò personatus aut Dignitas non sit, & ad minores ordines dispensatio petatur.*

*Scio eum qui initio sine iusto titulo Beneficium habuit perceptos fructus restituere teneri: est ne remedium, vt retinere possit? Maximè, si titulus reuolidetur Beneficij malè acquisiti; fructus enim Beneficij vacantis debentur successori; vacabat autem iure, etsi non de facto Beneficium illud, & ipse successor est, nisi aliud consuetudo legitima, aut constitutio disponat. Quid si titulus non reuolidetur? Tria habet remedia. 1. Potest cum Camera Apòstolica componere.*

2. Ecclesie

2. Ecclesiæ suæ. 3. Vel successori eos fructus tradere, qui partem remittere potest. Sic ex Nauar. & aliis Saa.

*Beneficium quis obtinuit simulata sanctitate, vel ob causam turpem, tenetur resignare? Non teneri affirmat Molina; nisi esset turpitudine, quæ ipso iure nullam redderet collationem. v.g. Simonia.*

*Dans Beneficium indigno, cuinam tenetur? Valentia teneri digno asserit: affirmo cum aliis Ecclesiæ cui datum dedit restituere debere. Scio alios Ecclesiæ & digno simul deberi docuisse.*

*Dixisti Beneficiatos posse tanquam dominos de fructibus assignatis sibi pro stipendio disponere: rogo num teneantur quæ supersunt honeste sustentationi in pios usus erogare? Pios operibus, aut egenis debere omnes asserunt. Quid si non faciant? Rei sunt grauis criminis non tamen restituere tenentur. Est ne licitum ex Ecclesiæ superfluis redditibus filiam dotare? Sciens quosdam negare, si alia habeantur bona, vnde fiat: affirmo filiam posse tali dote donari. Sic Molina. Imò si filia sint spuria, & alia non habeat bona potest illis alimenta, & dotem dare post Bullam Pij V. relaram à Nau.*

*Scio eum, qui post sex menses ab obtento Beneficio etiam Præsimonio, non impeditus legitime non recusat Officium non facere fructus suos: rogo cuinam fructus huiusmodi restituendi? Aut fabricæ beneficij, aut pauperibus. Si talis pauper est, potest sibi de Confessarij consilio retinere. Sic Toletus. Quod si fecit alia, ad quæ ob beneficium tenebatur, poterit sibi, licet pauper non sit, quantum illa merentur, reseruare. Itaque sufficiat Parocho quintam partem restituere; Canonico quartam; aliis Beneficiariis tertiam.*

*Possunt ne omnes Pensiones pecunia redimi? Possunt, excepta ea, quæ datur in titulum beneficij, ob aliquod ministerium spirituale futurum coadiutori Episcopi, vel Parochi Senis. Vnde 1. Redimi potest, quæ datur seni renuncianti beneficium ob labores præteritos exhibitos.*

15.  
De Pen-  
sionibus.

tos. 2. Quæ datur Clerico pauperi; quia tantum datur in alimentum eius, & est merè temporalis. 3. Quæ data est in renunciatione, vel commutatione beneficij pinguioris; quia etiam est temporalis, & iam ante extracta à titulo, & officio spirituali. 4. Illæ quæ conceduntur ad componendam litem dubiam super beneficio. 5. Quæ dantur personis omninò secularibus, vt Principibus, vel filio nobilis etiam Clerico, propter obsequia, quæ pater Ecclesiæ præstitit. Ex Sanchez.

*Quamnam Pensionem potest Episcopus iniungere?* Potest imponere pensionem ad fructus beneficiorum permutatorum coæquandos, quæ duret ad tempus tenentis beneficium, cui imponitur. Item super beneficio à se collato ad vitam solum beneficiati, imò etiam ad vitam pensionarij, & secundum D. Thom. ante collationem beneficij potest de fructibus eius ad pios vsus subtrahere: Potest & iudex ad dirimendam litem constituere Pensionem. Quæ quidem mihi cum Saa vera, sed parum esse in vsu videntur.

*Datur ne Pensio irregulari?* Ex eodem respondeo. Irregulari non datur, licet propriè beneficium non est.

*Ligat ne excommunicatio lata in non soluentem tempore prefixo Pensionem?* Non ligat secundum stilum Curia, vsque dum pensionarius declaret ligasse.

*Obit quis non soluta Pensione: potest pensionarius à successore petere?* Potest peti à successore de fructibus quos percepit, secundum Curia stilum.

16.

*De alienatione bonorum Ecclesiæ.*

*Quinam Pensionem dat laico?* Solum Papam Saa affirmat conferre.

*Est ne valida alienatio bonorum Ecclesiæ facta à Rectoribus in euidentem Ecclesiæ eiusdem utilitatem?* Valida est, saluo assensu Sedis Apostolicæ: etiam si Summus Pontifex nondum cõsenserit. Neque Rectores, qui fecerunt cõditionè Ecclesiæ meliorem, excommunicationè incurrunt; quia cum hic cõtractus celebratus sit in Ecclesiæ commodù, quãuis legitima forma, & solènitatis desit, validus erit: forma enim requiritur tantum ad fraudes euitandas.

Examen I. De Benefic. Pension. &c. 627

In mobilibus bonis Ecclesie quodnam censetur pretiosum, quod non possit à Prælato alienari? Quod excedit valorem 25. aureorum. Comprehenduntur ne Reliquiæ Sanctorum sub rebus illis pretiosis prohibitis sine debita solemnitate alienari? Minimè; quia non sunt pretio æstimabiles.

Num acquisita per illicitam negotiationem Camera Apostolica debeantur? Respondeo ex Filliutius in conscientia deberi, etiam si de ea negotiatione in foro iudicali nihil constet. De iis tamen in vita disponere potest beneficiarius, modò illis non sit per iudicis sententiam priuatus.

Quid de acquisitis ludo per Canones prohibito? Spolia fieri idem Doctor affirmat. Imò omne lucrum Canonibus prohibitum, spolium est: non autem quidquid acquiritur faciendo contra Canones cedit in spolium.

Elicet ne spolia in fraudem alienare? Minimè, v. g. si quis intuitu mortis solum aliquid alteri donet. Quid si scilicet donet inter viuos? Peccat, v. g. donans eo pacto, ut quandiu viuuit de re donata possit disponere. Unde assero donatarium post donatoris mortem in conscientia debere spolium relinquere. Ita Filliutius.

Cui pœna subiacet spolia detinens Apostolica? Excommunicationem ipso facto incurrit, nisi vel soluat, vel cum Camera componat: cum qua tamen non componitur, quando spolia aliò pertinent.

Donat quis beneficiarius infirmus alicui centum aureos, nec infra viginti dies moritur: num sit spolio addicendum? Respondet Filliutius non præsumendum donatum esse mortis causa, ac proinde retineri posse.


Beneficiarius sub mortem donans affirmat se tantundem ex patrimonio in pios usus expendisse, vel parcius viuendo sibi subtraxisse, quantum ex redditibus Ecclesiasticis tunc donat: an ei credendum? Credendum planè ex probabili sententia. Addit Filliutius probabilius esse non posse cognatos defuncti ex bonis beneficij tantum sibi sumere, quantum beneficiarius ex suo patrimonio in pia opera exposuit.

17.

De spoliis  
Ecclesiasticis.

*An fructus, malè percepti, ex omissione horarum, ex malo titulo beneficij, ex incurfu censura, & ex Simonia, spolia sint? Minimè; quia sub dominio beneficiarij nunquam fuere.*

*An distributiones? Quantumuis magnæ sint, spolium non facere asserit idem Filiutius; horarum & Officiorum præmium speciale esse quis dubitet?*



## EXAMEN II.

De statu Ecclesiastico circa Materiam de  
Simoniæ Vitio?

### CAPVT PRIMVM.

*Quid Simonia, & in quasnam personas  
cadat.*

18.  
*Simonia.*

**S**imonia quid? Dictum nomen à Simone Mago, qui primus in nouo Testamento hoc legitur crimine infectus. Sic definitio: Studiosa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel annexum spirituali. Porrò Simon ille Simoniam commisit contra ius diuinum tantum, non Ecclesiasticum, quod nullum tunc erat. Iure autem diuino prohibitam dico, naturali nimirum, eo quod ratio lumine fidei edocta naturaliter quodammodo dicitur, dona supernaturalia, cuiusmodi sunt gratia, Sacramenta, diuina Officia & his similia sanctè esse tractanda, nec in temporales contractus deducenda.

*De eius malitia quid? Profectò Simoniæ malitia Religionis aduersatur ex suo genere, vnde ex suo genere peccatum lethale est, & valde graue: quin probabiliter assero non dari in Simonia veniale peccatum ex materiæ leuitate,*

iquitate, sed tantum ex inconsideratione, vel ignorantia veniale negligentiam admixtam habente. Et quidem suppositis conditionibus, quæ tam ex parte materiæ, quam ex parte obiecti Simoniæ reperiuntur in actione vendendi rem sacram, malitia rectè dicitur illi intrinseca: unde dispensari in ea non potest, nisi mutata materia talis actionis, ideoque absolutè loquendo malitiam Simoniæ à venditione talium rerum, de potentia ordinaria, & iuxta congruum providentiæ modum, esse inseparabilem. Non semper iniustitiæ malum cum Simonia coniunctum est; at semper adest malitia contra Religionem, irreuerentiæ nimirum, & indebitæ sacrarum rerum æstimationis. *Quandonam autem admisceatur iniustitia?* Quando Simoniæ vendit actionem, ad quam ex officio tenetur: v. g. cum Parochus in Sacramentorum administratione, vel ratione solius spiritualitatis, temporale pretium accipit, ut si ratione consecrationis Calicis, vel Agni benedicti mzius pretium acciperet, quàm materia argenti, vel ceræ elaboratæ valeret.

*Recense personas, in quas vitium Simoniæ cadere potest.* Perfectò in primis Papa Simoniæ peccatum contra ius divinum committere potest: v. g. si Ordines venderet pro pecunia, res sacras, doctrinam fidei, dignitatem ipsam Pontificiam, & iis similia. *Potest ne Pontifex eam vitare?* Potest quidem multis modis: & in contractibus iure positivo Simoniæ facillè satis, siue quia lege illa non teneatur, siue quia secum dispensare potest, siue quia dare potest alteri beneficium, & recipere pecuniam veluti redempta pensione tota simul. Id certum assero, etiam si committeret Papa Simoniæ, poenas non incursum. *Quid de inferioribus?* Simoniæ esse possunt Prælati, & eorum ministri. Notarius non quidemquam accipere, si pro officio suo stipendium sufficiens habeat; quod si accipiat, Simoniæ erit. Episcopus in Ordinibus conferendis, & in iudiciis caueat à Simonia. *Advocatus vendere potest patrocinium?* Potest quidem etiam

19.

*In quasnam personas cadit Simonia.*



630 *Moralis Theologia Tract. VI. Status,*  
in causa spirituali; quia ipsum patrocini-  
um res spiritualis non est. Testis autem in causa spirituali si pro  
testimonio dicendo, aut aperienda veritate recipiat in  
pretium rem temporalem, Simoniacus erit. *An Episcopi*  
*in conferendis beneficiis labi in Simoniam possunt?* Ita plane,  
recipiendo aliquid temporale pro institutione, colla-  
tione, resignatione, permutatione, vel alia prouisione.  
*Num ministri recipientes aliquid pro literis conscribendis?* Mi-  
nime; quia laborem temporalem vendunt. *Dantes autem*  
*familiaribus pecuniam, vt à Prælati gratiam per eos obtineant,*  
*erunt ne Simoniaci?* Ita quidem, vt etiam ipsi mediatores,  
nisi tantum facilem aditum datori tribuerent vt ipse  
petat à Prælato gratiam.

*Exprime quædam modis Clerici Simonie labem incurrant.*  
Incurrunt si Ordines recipiant per pecuniam, si benefi-  
cia emant, vel Officia Ecclesiastica, si ministrent spiri-  
tualia pro temporalibus tanquam pro pretio, & modis  
similibus.

*Quid de Religiosis?* Religiosi tam vt Clerici quam  
vt Religiosi Simoniaci possunt esse, v. g. si Religiosum  
recipiant pro pretio, vel conferant professionem pro  
pecunia, &c.

*De laicis denique quidnam?* Laici etiam infideles Si-  
moniaci esse possunt, vt etiam Communitates, & Capi-  
tula, si actio, quæ fit Simoniacè, à toto Capitulo, aut  
Communitate exerceatur.

---

## C A P V T II.

### *Quotuplex Simonia, & quanam eius materia.*

20. *Simoniam* **S**imoniam quotuplex est? Triplex, Mentalis, Conuentiona-  
*triplex.* lis, & Realis. *Mentalis* dupliciter accipitur: primò  
pro nudo proposito seu desiderio committendi Simo-  
niam: & hæc nulla ratione cum externo actu coniun-  
gitur.

gitur. Secundò, accipitur pro illa actione quæ fit quidem mente Simoniaca, sed ex se & ex circumstantiis Simoniâ non profert, nec apparet exterius vlla Simoniæ labe. *Conventionalis* consistit in pacto, seu conuentione expressa vel tacita dandi, vel recipiendi temporale pro spirituali. Hæc Simoniâ distinguitur à Mentali ob conuentionem externam, quam non includit mentalis. *Realis* est illa, qua res temporalis traditur, vel accipitur pro spirituali. Hæc incompleta dicitur, dum ex vna tantum parte res traditur: completa autem, dum ex vtraque parte. Huic adhæret Simoniâ confidentialis realis, dum videlicet Beneficium reipsa renunciatur, vel confertur cum pacto, vt sibi, vel alteri restituatur, vel vt sibi vel alteri pars tradatur fructuum. Præterea Simoniâ ficta committitur, dum quis exterius rem spiritualem pro temporali promittit, vel rem temporalem pro spirituali absque animo tradendi, & se obligandi ad rem ipsam tradendam; & hæc non est verè Simoniâ, sicut fictum aurum non est aurum.

*Quenam Simoniæ materia?* Res aliqua sacra spiritualis, & supernaturalis. Hinc colligo committi Simoniâ vendendo gratiam sanctificantem. Et vendendo Sacerdotem intuitu Sacerdotij, vbi quidem Spiritus sanctus si de iure non venditur, venditur de facto. Vendendo Christum committi potuit Simoniâ habita ratione vnionis hypostaticæ, vel donorum sacrorum & supernaturalium in Christo existentium. Item & Eucharistia tam ratione contenti, quam specierum consecratarum est Simoniæ materia, sicut Sacramenta, aut Sacramentalia, & Reliquiæ. Secus dicendum de misericordiæ operibus externis, videlicet de actionibus, & obsequiis sepeliendi mortuos, visitandi infirmos; quia huiusmodi opera non sunt res sacræ, sed naturales. Præterea Simoniâ committitur dando pecuniam pro Missæ Sacrificio, non titulo eleemosynæ, aut congruæ sustentationis, & laboris. Et vendendo Rosarium maiori pretio, ex eo quod reliquias Sanctorum attigerit. Et accipiendo ali-

21:

*Materia  
Simoniæ.*

632 *Moralis Theologia Tract. VI. Status,*  
quid temporale pro Sacramentis, vt sunt quid conflatum ex materia & forma; quia vt sic sunt res sacræ: non autem recipiendo aliquid pro materia remota Sacramentorum, v.g. pro pane, vino, oleo. Et Ceremoniæ, Benedictionesque sacræ seu Sacramentalia tam transeuntia, quàm permanentia sunt materia Simonix. Et functiones Ordinum tam maiorum, quàm minorum, prima tonsura, Officia diuina, orationes priuatæ, & exequiarum vel funerum spirituales actiones, v.g. recitatio, & cantus Psalmorum. Cantor tamen tanquam laicus canens pretio accepto, vel promisso non incurrit Simonix labem.

*Aliqua speciatim in quæstionem adducam: An pro Sacramentis recipi, vel dari possit pecunia absque Simonia? Pecunia tradi potest non pro ipsis Sacramentis, vel eorum administratione, sed ad remouendum impedimentum, vel ad redimendam iniustam vexationem, dum grauis vrget necessitas illa Sacramenta recipiendi. Imo Sacramentum accipi potest traditâ pecuniâ, etiam quando administrans pretium petit tanquam præmium administrationis, modò petens pretium pro Sacramento, non petat illud in Christianæ Religionis contemptum.*

*An Simoniacus sit vendens Sepulchram? Probabilius existimo committi, Simoniam, si pretium exigatur pro ipsa terra communi sepulturæ fidelium deputatæ: non autem si in venditione habeatur ratio loci honoratoris ob rationem, & respectum aliquem temporalem.*

*Committitur ne promittendo, vel dando temporale alicui, vt opus spirituale præstet? Committi assero; quia spirituale pro temporali acquiritur. At qui tradit aliquid alteri, vt peccatum vitet, vel vt opus spirituale faciat vt solius operantis vtilitatem, relicta illi facultate & libertate tale opus faciendi, non inficitur Simonix labe; nec alia ratione peccat præciso scandali periculo: siue tale opus sit consilij, siue supererogationis, siue præcepti.*

*Simoniacum*

*Simoniacum ne, accipere pecuniam pro abstinendo à bono opere? Minimè, si opus sit naturale, & non pertineat ad Religionem. Inò omiffio actus spiritualis, vel pravi operis, quod quis facturum erat, in rigore loquendo, non est Simonix materia: ficur neque accepta pecunia occultans peccatorem.*

*Venditio scientiæ & doctriinæ, id est docere ratione præfij, est ne Simoniacum? Scientiæ & doctriinæ etiam miraculoſè obtentæ actum vendi poſſe affirmo: poſſèque pretium iuſtum taxari habita ratione qualitatis perſonæ. Quare docens Theologiam prævia pecunia, & præbens conſilium in eadem facultate etiamſi ad alterius pacandam conſcientiam tendat, Simonix labem non incurrit.*

*An Concio fit Simonix materia? Eſt, ſi ipſa per ſe ſpectetur; at ſi labor & ſuſtentatio concionatoris, poteſt in pactum deduci.*

*Quid de Beneficiis? Simonix materia ſunt permutatio, venditio, reſignatio, penſio beneficii propria authoritate, & illegitimè facta. Item Epifcopus ſeu beneficii collator nihil exigere poteſt ob beneficii collationem, licet id facere intendat temporalis incommodi intuitu. Poteſt tamen Epifcopus ſeparatus à ſua dignitate Eccleſiam ſui iuris aliquid exigere in antiqui iuris recognitionem.*

*Num materia Simonix non ſolum ſint res ſacræ, & ſpirituales ſecundùm ſe, verùm etiam illæ, quæ ſpiritualibus ſunt annexæ? Annexum antecedenter ſpirituali ut ſic, eſt Simonix materia: ſecus ſi per ſe ſpectetur. Inſpatronatus inter annexa ſpiritualibus antecedenter annumeratur, & ut ſic vendi non poteſt. Idem aſſero de ipſa præſentatione, ſeu actu præſentandi, quia eſt actio ſpiritualis. Porrò annexum ſpiritualibus comitanter, vel conſequenter eſt Simonix materia, ergo vendi non poteſt abſque Simonia; ſequitur enim naturam principalis, cui annexum eſt. Ideo beneficiarius reſignans alteri beneficium non poteſt quidquam exigere ab eo, cui*

634 *Moral. Theologiæ Tract. V I. Status,*  
beneficium confert, etiam si intendat aliquid exigere ratione fructuum. Et beneficiarius resignans beneficium ratione fructuum pretio accepto, Simoniam incurrit.

*An permutatio rei spiritualis cum alia re spirituali præcisè Simoniacæ sit? Minimè, secus si fiat permutatio rei spiritualis cum alia spirituali, cui adnexa temporalis est.*

*Num omnia beneficia Ecclesiastica sint materia Simoniacæ? Omnibus beneficiis, quæ propriè talia sunt, id competit, ne absque Simonia vendi possint. Unde colligo*  
1. Præstimoniam, cum sint hodie vera beneficia, Simoniacæ materiam esse. 2. Commendas Clericales siue perpetuas siue temporales, siue dentur ob utilitatem Ecclesiæ commendatæ, siue in fauorem commendatarij: non ita commendas militares, si per se spectentur, quamuis illicitum sit eas vendere directè & formaliter. 3. Coadiutorias eodem modo, similes enim sunt Commendis Clericalibus. 4. Hospitalia si sint Ecclesiastica beneficia certum est vendi absque Simonia non posse. Si tantùm habeant regimen temporale, & fundata alioquin Episcopi auctoritate sint, etiam probabile est vendi non posse tanquam Officia Ecclesiastica. 5. Ius patronatus materiam Simoniacæ esse contra ius diuinum. 6. Officium Sacristæ seu Thesaurarij etiam vendi prohibitum. Item officium Primicerij, qui auctoritatem habere solet ad minores Clericos instruendos, & ad dirigendum Chorum. Verùm horum officiorum functiones vendere Simoniam non est,

*Dixisti verè rem spiritualem cum spirituali commutari posse; quia res spiritualis pretij rationem habere non potest. At quod annexum est spirituali rei temporarium si commutetur cum re verè spirituali Simoniacæ est; illud enim temporale cum spirituali commutaretur: Rogo igitur an possit esse Simoniacæ contra ius posituum in permutatione rei spiritualis cum spirituali? Potest, v. g. in permutatione beneficiorum, & in aliis, quæ prohibentur ab Ecclesia permutari religionis intuitu.*

Porro

Porro in beneficiis res est satis aperta; idemque esset in pactionibus rerum spiritualium, quæ temporalia annexa habent consequenter, ut commutatio beneficii cum Vicaria ad nutum amouibili: electio ad beneficium pro electione ad Vicariani illam: præsentatio ad beneficium pro collatione eiusdem. Profectò extra beneficia permutatio spiritualium prohibita non est, ut functiones sacræ inter se, vasa sacra cum aliis vasis sacris, &c.

Num Pensiones materia Simonia? Pensio laicalis non est Simonia materia contra ius diuinum nec contra humanum: at probabilius est esse ex Curia stylo. Clericalis antiquo iure materia non erat, est autem hodie de iure nouo Pij V. In alium pro pecunia transferri non potest, nec propria autoritate redimi absque Simonia contra ius diuinum: at Papæ autoritate potest. Idem dicendum de Pensione Clericali stipendiaria; ea enim nec vendi potest, nec redimi propria autoritate, & si vendi possint fructus pensionis onere retento. Resignatio in fauorem tertij cum onere pensionis, vel absoluta cum eo onere, materia Simonia est, nisi fiat coram Papa.

---

C A P V T III.

*Quandonam id quod datur pro re spirituali, existimetur habere pretij rationem.*

**Q**uotuplex Pretium? Triplex, Munus scilicet à manu, à lingua, & ab obsequio. Munus à manu multiplex est, pecunia in quauis quantitate, res pretio æstimabilis, remissio debiti, mutuatio pecuniæ, pensio, &c. Per munus à lingua preces intelliguntur postulatæ à collatore rei spiritualis in suam vtilitatem, vel suorum consanguineorum,

22.

*Pretium inducens Simonia.*

Rr 5

guineorum,

guineorum, aut amicorum: sic enim habent rationem rei pretio aestimabilis distinctam à munere à manu, vel ab obsequio. Et quidem quod de precibus dictum est, locum habet in aliis verborum generibus, v.g. intercessionibus, laudibus, adulationibus, signis benevolentiae, & honoris. Munus denique ab obsequio est actio hominis ordinata ad commoditates corporis, vel animi spectatae in sua naturali perfectione, si de obsequio temporali sermo sit.

*Expende, quandonam triplex hoc pretium Simoniam inducat?*

Omne munus ad manum iure positivum prohibitum est omnem Simoniacam efficiens commutationem. Munus à lingua seu preces secluso pacto non faciunt Simoniam; nec enim pro se oblatae, nec pro indigno, nec si precibus inducatur vir potens ad impetrandum beneficium. Collator verò beneficij si intendat obligare ad preces, Simoniacus est. Alia item genera verborum, aut benevolentiae signa si fiant ex pacto, vel promissione cum collatore, in fauorem eius, & utilitatem, Simoniam erit: secus si pactum absit. Munus denique ab obsequio Simoniam potest inducere. v.g. beneficium dare ob facta obsequia in solutionem debiti Simoniam est: secus si collator moueatur ex obsequiis ad dandum gratis beneficia. Et quidem obsequia, quae fiunt absque vlllo pacto expresso, vel tacito inter Aulicos & Praelatum, ita vt in Praelato nulla sit obligatio ex iustitia, remunerari beneficiis possunt: secus illa, quae solent etiam certo stipendio ex pacto tacito compensari. Spirituale obsequium exhibitum Simoniam non inducit, nisi vel resoluatur in temporale, vel pactum antecefferit ab Ecclesia prohibitum. Scio tamen pro beneficio obligari ad spirituale obsequium prohibitum esse. Profectò temporalis res Ecclesiae relinqui potest cum onere aliquid spirituale praestandi.

R  
pias  
spir  
quin  
ben  
redi  
est.  
quot  
cer  
par  
res  
non  
niam  
ritu  
plac  
com  
inte  
bor  
pen  
eligi  
tium  
Lic  
gni  
gat  
seru  
fun  
R  
temp  
teri  
ea,

## CAPVT IV.

De causis aliis à Simonia excusantibus.

**R**egulas trade ad agnoscendum Simoniam in paciscendo vel tribuendo aliquid temporale pro spirituali. Duas accipias. Prima, ante ius acquisitum in beneficio, vel alia re spirituali non licet redimere vexationem, quæ ius acquirendum impedit. Secunda, post ius acquisitum in beneficio, vel alio spirituali dono, iniustam vexationem redimere, quæ pro illo tollendo inferitur, Simonia non est. *Ad hoc, ut licita sit redemptio vexationis in iure acquisito quotnam conditiones requiruntur? Quatuor.* Prima, ut ius certum, & indubitatum sit. Secunda, ut plenum, non ex parte tantum. Tertia, ut vexatio iniusta sit. Quarta, ut res quæ datur pro vexatione tollenda, temporalis sit, non autem spiritualis. *Igitur erit ne Simonia recipere pecuniam quis, ut non vexet? Non nisi materia vexationis spiritualis sit. Iniuste vexans tenetur ne ad restitutionem? Ita planè. Qui redimit vexationem iustam ante ius acquisitum committit Simoniam? Proculdubio Simoniacus est. Quis intendit subornare electores; potest ne ab alio subornari? Subornator subornari potest data pecunia, ut à corrupendis electoribus desistat. Potest dari pecunia, ne indignus eligatur? Simonia non est. Si inter omnes eligibiles vnus tantum dignus sit, licet vexationem redimere, ne eligatur indignus? Licet planè; ut etiam si plures digni, sed vnus sit dignior, licet vexationem redimere, ne minus dignus eligatur. In electione tamen Papæ ius diuinum tantum seruandum est, eaque, quæ specialiter prohibita non sunt.*

*Est ne Simonia transactio, in qua remittitur ius spirituale pro temporali? Ita planè tam in beneficiis, quam in aliis materiis, ut iurisdictione spirituali, & rebus aliis sacris. At ea, in qua compensetur ius spirituale per largitionem iuris*

23.

Causæ excusantes à Simonia.



638 *Moralis Theologia Tract. VI. Status,*  
iuris spiritualis proportionati de consensu partium, &  
in materia non beneficiali, fieri potest. Ita si sit exortā  
controuerfia inter Episcopos de iurisdictione circa ali-  
quam Ecclesiam, transigere possunt, vt vnus habeat iurisdictionem, alius prouisionem beneficiorum: vel vt  
aeternis annis visitent, & ea potiantur. Porrò in materia  
beneficiali Superiorum autoritas requiritur, vt Episco-  
pi, qui etiam ex paterna prouidentia, & mero arbitrio  
imponere potest pensionem temporalem, etiam ad vi-  
tam pensionarij: multo magis pensionem spiritualem,  
quæ onus temporale non est. Alij etiam (ex probabi-  
li sententia) tanquam amicabile compositores id pos-  
sunt; vt etiam tanquam iudices; & arbitri priuati,  
modò Clerici sint.

---

## C A P V T V.

### *De Pœnis Simoniaci.*

24. *Pœna Si-*  
*moniaci.* **P**Recor *Simonie pœnas post Extrauagantem Pauli III. ipso*  
*iure incursas expendas.* Prima est excommunicatio,  
quæ tantummodo pro reali Simonia vtraque ex parte  
completa incurritur: non solùm autem per Simoniam  
contra ius diuinum, verùm etiam per eam, quæ contra  
ius humanum est, contrahitur, nisi aliud ex verbis legis  
constaret. Secunda est suspensio, qua Capitulum ab om-  
ni actû Capitulari, quod iurisdictionem, vel Ecclesiasti-  
cam administrationem requirat, interdicitur: Recipien-  
tes Ordines ab executione Ordinum suspenduntur:  
Conferentes à collatione quorumcunque Ordinum  
prohibentur, etiam primæ tonsuræ, & ab executione  
omnium munerum Pontificalium: Additur etiam spe-  
cialis pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ: & si contra  
suspensionem, aut interdictum fiat, incurretur suspensio  
ab administratione Ecclesiæ, & suorum omnium bene-  
ficiorum

ficiorum fructu. Tertia est irritatio aliquarum actio-  
num. Et quidem actiones sacrae simoniace factae validae  
sunt, v. g. Ordinatio, collatio Sacramentorum, conse-  
cratio Ecclesiae, vel altaris, professio Religionis & si-  
miles actiones: item Ecclesiasticae iurisdictiones, praeter  
prouisiones beneficiorum, & actiones ordinatas ad con-  
ferenda beneficia, vel officia Ecclesiastica, non sunt  
irritae redditae. Res item sacrae acquisitae per Simoniam  
validè possidentur, vt emptio Calicis, reliquiae, iuris-  
patronatus, officium Ecclesiasticum, & similia. Ipsa  
etiam beneficia Ecclesiastica secluso iure Ecclesiastico  
validè acquirerentur ex solo naturali iure: sed ex posi-  
tuo acquiruntur inualidè, ita vt Simoniacus teneatur  
beneficium vnà cum omnibus fructibus perceptis, vel  
sua culpa sponte non susceptis dimittere ante omnem  
sententiam, etiam in conscientia deductis expensis ne-  
cessariis in eis colligendis.

*Incurruntur ne poenae statim ac Simonia committitur?* Incur-  
runtur statim: & licet ex probabili sententia ex sola  
traditione rei spiritualis incurri possint, & incurrantur  
de facto: tamen ex probabiliori & magis in praxi rece-  
pta, requiritur etiam, vt res temporalis tradatur: Cen-  
surae non retrahuntur ad diem traditionis vnus rei,  
sed statim atque secunda res traditur, & completur Si-  
monia, contrahuntur.

*Tenetur ne Simoniacus restituere pretium?* In venditione  
iniusta de iure naturae tenetur: quod quidem pretium  
restituendum est ei, qui dedit, secluso contrario iure  
positiuo. Si venditio iniusta non sit, ex natura rei non  
est obligatio restituendi pretium: at iure Ecclesiastico  
restitui debet Ecclesiae beneficii, in cuius iniuriam Simo-  
nia commissa est, vel pauperibus, vbi id obtinisset con-  
suetudo.

*Quid de Dispensatione Simoniae?* In Simonia quidem  
non datur dispensatio quoad culpam: quoad poenam  
autem à Censura excommunicationis solus Papa absol-  
uit, & ij, quibus per priuilegia conceditur. In suspensio-  
ne

640 *Moral. Theologiae Tract. V. Virtutes,*  
ne contra Simoniacum in Ordine solus Papa dispen-  
sat, vt ad superiores Ordines ascendere possit. Sicuti  
etiam vt inferiores exerceat. Idem assero de suspensione  
imposita regulari Conuentui ob Simoniacam receptio-  
nem; est enim Papæ reseruata, & eius indiget dispen-  
satione. Interdictum autem in duplici casu latum, vel  
contra ordinantes Simoniacè, vel contra recipientes be-  
neficia quæcumque vel Pensiones, & similia in confi-  
dentiam. Vtrumque Papæ reseruatur. Priuilegiati tamen  
ab eo possunt absolueri. Denique dispensatio quò ad  
alias poenas ad Papam pertinet, v.g. quod collatio vali-  
detur, vel fiat prouisus habilis ad illud, vel ad aliud Be-  
neficiu. *Quid si Simonia sit occulta?* Negotium potest  
confici per S. Pœnitentiariam: si autem publica ad Pa-  
pam per viam Dataria recurrentum.

---

## C A P V T VI.

### *Praxis circa predicta ex Societatis IESV schola.*

25. **E**st ne Simonia: Elige me in Prouincialem, ego te eligam in  
Priorem? Non esse affirmat Sanchez; quia est permutatio rerum spiritualium inter se.  
*De Simonia varijs casus.* Do Petro pretium, vt intercedat apud Ioannem vti ipse  
Ioannes apud Antonium intercedat beneficij collatorem, vt illud  
conferat: est ne Simonia? Vasquez existimat probabile Si-  
moniam non esse.

*Est ne Simonia aliquid dare pro labore suscepto eundo, & re-  
deundo ad beneficij collationem, vel in compensationem alicuius  
damni, quod inde patitur, aut alicuius lucri, quod amittit? Non  
esse, Suarez asserit.*

*Num liceat de huiusmodi pretio pacisci? Existimo cum Pa-  
lencia eo modo, quo licet temporale accipere pro spiri-  
tuali sine Simonia, licere etiam de hoc ipso pacisci.*


*Facta*

Facta beneficij collatione, impeditur quis iniuste ab eius possessione: potest ne hanc vexationem pretio redimere? Affirmatiue cum Sanchez respondeo.

Incurruntur ne pœna propter omnem Simoniam? Non incurri propter eam, quæ tantum est iuris humani Sanchez affirmat, vt in permutatione beneficiorum facta propria autoritate, & reseruata pensione: ac propterea valida est talis permutatio. Excipienda tamen Simonia confidentialis, v.g. cum quis renunciat beneficio cum pacto, vt sibi vel alteri postea reddatur, vel cum reseruatione pensionis non sibi, sed aliis soluenda. Hinc etsi Episcopus venderet Vicariatum, ante iudicis sententiam pretium restituere non tenetur.

Includuntur ne sub nomine Beneficij ad pœnas Simonie incurrendas Officia Regularia Prouincialatus, Prioratus, &c. Quamuis neget probabiliter Barbosa, includi affirmo cum Suario & aliis.

• Scio pœnas Simoniacorum esse restitutionem pretij, resignationem rei spiritualis, cum potest, excommunicationem, suspensionem ab Ordine & beneficio, infamiam, inhabilitatem ad beneficium Simoniacè acceptum, priuationemque omnium beneficiorum etiam iuste acquisitorum: rogo an mentales Simoniaci has pœnas incurrant? Respondeo ex Busæo duplicem esse mentalem Simoniam, vel qua quis cupit emere, vel vendere rem spiritualem, & non facit: vel qua quis cupit emere, aut vendere, & facit, sed sine vilo pacto adiuncto. Igitur prima Simonia non incurritur pœna: Secunda etiam ex communiore sententia nec in interno neque in externo foro ad vllam pœnam iuris obligatur; qua in *cap. fin. de Simon.* Gregorius XI. docet mentales Simoniacos non teneri ad restitutionem.



## EXAMEN III.

De statu Ecclesiastico circa Materiam de  
Ecclesiastica immunitate.

## CAPVT PRIMVM.

*De immunitate ab oneribus.*

26. *Ecclesiastica libertas ab oneribus.* **Q**uid est *Ecclesie immunitas*? Libertas, & exemptio ab oneribus vel subiectione, vel coactione temporalis, seu laicæ potestatis. Læditur planè libertas Ecclesiastica, quotiens laici Clericis aliquid præcipiunt, vel prohibent, quod iure diuino aut Canonico illis nec præcipitur, nec prohibetur.

*Quotuplex immunitas hæc*? Triplex. 1. *Localis*, quæ competit Ecclesiis, ita vt qui ad ipsas confugiunt, inde extrahi, & à laicis comprehendi non possint. 2. *Personalis*, quæ personis Ecclesiasticis concessa est, ne oneribus afficiantur. Cùm enim Ecclesiasticæ personæ diuino cultui sint addictæ, par est, eas esse ab oneribus, & iudiciis secularibus immunes. 3. *Realis*, qua gaudent bona ipsa Ecclesiastica, ita vt à censu, tributis, seu collectis potestatum secularium sint immunia.

*Procedat sermo in presenti de secunda & tertia immunitate: rogo, à queisnam oneribus sint liberi Ecclesiastici*? Ab oneribus omnibus, quæ à subditis soluuntur Principibus pro capite. Item ab onere excipiendi Principes hospitio, vel ipsorum legatos, aut milites. Nec vlla consuetudo huic derogat immunitati; quia Ecclesiastici exempti sunt à laica potestate, quoad bona & personas.

*Gaudent ne Clericorum famuli huiusmodi immunitate*? Non; quia Ecclesiastici non sunt. Num coloni Ecclesie, seu Ecclesiasticorum

*Examen III. De Immunit. Ecclesiastica. 643*

*sticorum à collectis, tributis, aliisque oneribus gaudeant immunitate? Variæ sunt Doctorum sententiæ. Expectanda planè Summi Præsulis decisio.*

*Emphyteuta qui bona Ecclesiasticorum in Emphyteusim sine censum acceperit, tenenturne ad collectas, & onera, quæ imposita fuerunt solùm pro dominio utili, vel pro fructibus? Tenentur; quia bona Emphyteutica non sunt Ecclesiasticorum, quoad dominium utile; sed tantùm quoad dominium directum. Cùm igitur Emphyteutæ sint laici, ut suppono, & Principibus subiecti, & ad ipsos pertineat fructus, imponens ipsis collectas pro his fructibus, Ecclesiasticas pœnas non incurrit, modò id fiat sine damno domini directi, qui bona in Emphyteusim concessit.*

*Num Ecclesiasticorum patrimonialia bona, seu acquisita, de rigore iuris sint à tributis, & oneribus immunia? Maximè; tum quia ius antiquum disposuit: tum quia onus tributorum immediatè & proximè imponitur personæ pro rebus: consequenter persona principaliter grauatur, & secundariò bona; sed personæ Ecclesiasticæ gaudent immunitate: ergo non potest ipsis onus imponi nec pro bonis Ecclesiasticis, nec pro patrimonialibus. Idem affirmo de bonis Ecclesiasticorum emptis, donatis, vel alio titulo acquisitis; nisi huiusmodi onera ex præuiò partium pacto illis bonis imposita essent, antè quàm ad Ecclesiasticos peruenirent.*

*Bona ne ad Ecclesiasticos translata tenentur tributorum oneri subiecti? Tenentur, quando illorum Dominus antequam ad Ecclesiasticos transirent, promisit pro se, & suis hæredibus se tributa soluturum, collectas, & onera quæcumque imponerentur; quia posita huiusmodi promissione, contracta est obligatio realis non solùm personas, verùm & bona afficiens: onus autem reale bonorum transit ad possessionem, quantumuis persona sit immunis; secus dicendum, si statuto caueatur, ut omnia bona in territorio alicuius ciuitatis existentia obnoxia sint tributis, & oneribus in posterum imponendis; tunc*

644 *Moralis Theologia Tract. V I. Status,*  
enim probabilissimum iudico Ecclesiasticos non tene-  
ri ad onera post translationem bonorum ad ipsos im-  
posita; quia hæc bona quando ad Ecclesiasticos tran-  
sierunt, nondum erant obnoxia tributo: dum autem  
tributum imponitur, iam immunia, & exempta repu-  
tantur.

*Quid sentiendum de bonis, quæ in communi & indiviso sunt  
Clericis cum laicis. v.g. à Clerico & eius fratre laico possidentur?*  
Pro rata bonorum ad Clericum pertinentium gaudent  
Ecclesiastica immunitate; pro rata autem bonorum ad  
laicum spectantium, non gaudent, nisi aliud legitima  
ferat consuetudo.

*Fructus & redditus Ecclesiasticorum postquam ad laicos tran-  
sierunt amittunt ne ius immunitatis?* Amittunt; quia mutata  
persona, quæ est causa priuilegij, priuilegium extingui-  
tur. v.g. Collectas exigentes ab iis, qui fructus Ecclesia-  
sticorum emunt, non incurrunt Canonis Censuram,  
modò dominium fructuum laicis emptoribus sit ac-  
quisitum.

*Qui verè Clericus non est, sed habitum induit Clericalem  
ne vectigalia soluat, est ne ab onere immunis?* Minimè; quia  
fraus non debet suo auctori patrocinari. Secus si re ipsa  
& ex animo habitum Clericalem assumat, licet diuinis  
non inferuiat,

*Feudatarius tenetur ne ad opera ratione feudi imposita?* Te-  
netur, quia in iis, quæ ad feudum pertinent Clericus do-  
mino feudi licet seculari subiicitur.

*Quid de Clerico lucratiuam exercente negotiationem?* Tene-  
tur planè pedagia, & gabellas soluere pro mercibus  
non autem ante trinam admonitionem, vt mercaturam  
non exercent. Tunc equidem (in gratiam expositio-  
nis) Clericus mercaturam exercere dicitur, quando ali-  
quid emit, vt ex illius venditione lucrum faciat. v. g.  
Clericus qui frumentum, vinum, oleum, & alia, quæ ex  
suo agro percipit, vendit, non dicitur negotiari; sed qui  
emit, vt cum lucro vendat.

*Possunt ne onera Ecclesiasticis imponi cum expressa Pontificis  
licentia?*

*Examen III. De Immunit. Ecclesiastica. 645*  
licentia? Possunt. Cessante autem causa, ob quam laicis concessa est facultas Ecclesiasticis onera imponendi, cessat ipsa facultas.

*Num vlla consuetudo ius tribuat laicis onera Ecclesiasticis imponendi? Minimè; quia iure diuino sunt immunes. At Clerici soluentes onera sibi à laicis imposta ad vexationem redimendam, Censuram non incur- runt.*

*Possunt ne seculares Principes onera Ecclesiasticis imponere ad portuum, seu viarum reparationem, marmorum pro arcendis hostibus exædificationem, quando facultates laicorum non sufficiunt? Propria autoritate non possunt, neque sufficit Episcopi consensus, sed requiritur Papæ facultas; nisi magna necessitas moram non ferat. Quo in casu Episcopus cum Clero poterit impositioni huiusmodi consensum præstare.*

*Tenantur ne Clerici ad onera, que non solidè in laicorum utilitatem, verùm directè & immediatè in utilitatem & commodum ipsorum Clericorum diriguntur? Ex æquitate, & vi directiua tenentur, vt si onus imponatur ad obturandum impetum fluminis, quod laicorum & Ecclesiasticorum agris perniciem minatur.*

---

## C A P V T II.

### *De Immunitate à Foro.*

**I**N huiusce materie gratiam, operæpretium, præmittas, que- 27.  
nam sit Criminalis causa, quoniam Civilis? Causa Crimi- Ecclesia-  
nalis illa est, in qua agitur de poena imponen- sica li-  
da, vt iustitiæ commutatiuæ satisfiat. Cùm enim bertas à  
ad iusticiam commutatiuam pertineat, delicta Foro.  
punire, causa censetur Criminalis, in qua de il-  
lis puniendis agitur. Cùm verò agitur de re ap-  
plicanda parti iuxta regulas iustitiæ præscribentis ius  
suum



646 *Moralis Theologiae Tract. V I. Status,*  
suum cuique tribui, causa Ciuilis appellatur: de hac  
non dubium.

*Sunt ne Ecclesiastici immunes à seculari foro in causa Criminali? Adcò immunes sunt, vt omnes quicumque Magistratus, Iudices, Notarij, Scribæ, & iustitiæ ministri quomodolibet interponentes se in causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo sine speciali, & expressa Sedis Apostolicæ licentia in excommunicationem decimam nominam Bullæ Cœnæ incurrant.*

*Subiacet ne Censuræ iudex laicus, qui informationem verbaliter, non verò iudicialiter contra Ecclesiasticum accipit? Non; hic enim non dicitur processare; quia processus actus iudicialis est.*

*Qui verò non ex proposito contra Ecclesiasticum processum instituit in causa criminali, sed in prosecutione processus comperit delicti autorem Ecclesiasticum esse, subiacet ne Censuræ? Minimè; quia hic non dicitur Ecclesiasticam personam processare, quam ignorabat esse criminis autorem. At si processum persequitur, excommunicationem incurrit.*

*Laicus iudex processum non conficit contra Ecclesiasticos, sed illos tantum vt testes examinat ad indagandam rei veritatem: incurrit ne in Censuram? Non; quia huiusmodi examen non est processus. Secus si illos examinet tanquam reos, seu secularis rei complices, aut si cubiculo detineat, donec verum fuerint confessi.*

*Quid si laicus iudex se in causis criminalibus ingerat contra Clericum consentientem aduersum se processum fieri? Non ideo excusatur; quia contra status Ecclesiastici priuilegium non potest cedere iuri suo.*

*Sunt Ecclesiastici Præsides Curiae Principis secularis: possunt ne se in causis Ecclesiasticorum criminalibus ingerere? Minimè, si id autoritate laicali præstant, scilicet tanquam secularis Principis Præsides.*

*Accusatores, testes contra Ecclesiasticum deponentes, aduocati, procura*

procuratores, alique coram Principe laico instantes, ut Clericus capiat, &c. incurrunt ne Censuram? Non; quia nullam actionem adhibent in Canone prohibitam; quia Bulla tantum loquitur de Magistratibus, Iudicibus, Notariis, Ministris. Si vero iudex laicus, Notarius, ac executor Curie secularis ab Episcopo rogentur, ut se interponant in causa contra Clericum criminali, incurrunt ne excommunicationem? Non; quia id faciunt tanquam ministri, & instrumenta iudicis Ecclesiastici. Imò cum auxilio secularis brachij indigent, possunt Ecclesiastici Principes seculares cogere ad auxilium præstandum; quia Tridentinum sess. 25. cap. 3. dat eis facultatem capiendi per suos proprios, vel alienos executores.

C A P V T III.

Quisnam sit reputandus Clericus ad Ecclesiasticam immunitate fruendum?

Quisnam sit appellandus Ecclesiasticus? Personæ Ecclesiasticæ sunt illæ, quæ sacris sunt Ordinibus initiatæ, imò quæ minoribus, modo seruent ea, quæ in Tridentino sess. 23. cap. 3. præscribuntur. Extenditur priuilegium ad Clericos coniugatos, modo non sint bigami, & habitum ac tonsuram gerant, & alicuius Ecclesiæ ministerio sint ab Episcopo deputati. Clerici etiam dicuntur, qui primam Tonsuram susceperunt. Item Religiosi cuiuscumque Ordinis etiam nouitij. Equites qui sunt verè Religiosi, v.g. Equites S. Ioannis, qui in communitate viuunt, & tria solemnia vota emittunt; reliqui verò, qui votis non se adstringunt Ecclesiasticæ personæ non sunt. Nec Tertiarij S. Francisci, & S. Dominici qui domi viuunt extra congregationem; qui verò assumpto habitu monachali sese obsequiis alicuius Religionis mancipant sub Superioris obedientia, quandiu

28.

Quisnam  
Ecclesia-  
sticus?

648 *Moralis Theologia Tract. VI. Status,*  
ita degunt, Ecclesiastico priuilegio gaudent. Extenditur  
præterea ad Eremitas in communitate degentes, & ad  
eos qui sub aliquo Prælato in communi viuunt ex taci-  
ta, vel expressâ Pontificis Summi facultate, quamuis  
professionem non emittant.

*Nouitius apud Monasterium delictum commisit, deseruit po-  
stera Religionem, nec habet sacros Ordines, nec beneficio fruitur:  
potest ne hic à laica potestate ob illud delictum tempore nouitia-  
tus commissi indicari, ac puniri? Non potest; quia tempore  
delicti à laica erat immunis potestate. Secus qui patra-  
to apud seculum delicto, Religiosum habitum assump-  
psit, qui quidem non gaudet priuilegio fori, si ad Reli-  
gionem fuit admissus non adhibita inquisitione, an ali-  
quod delictum commisit? An ære teneatur alieno? Sic  
Sixtus V. decreuit.*

*Quinam Clerici in criminalibus fori immunitate non gau-  
dent? Ecclesiasticus degradatus, & Curia traditus se-  
culari. Perpetuo exilio nultatus ab Ecclesiastico iudi-  
ce. Bigamus. Prima tonsura, aut minoribus Ordinibus  
initiat, si tonsuram, & habitum Clericalem non dese-  
rat, Clericus qui minores Ordines intra annum à mor-  
te sui Episcopi cum literis dimissoriis Capituli accepit.  
Item Clericus flagrante in crimine deprehensus à laicis  
capi potest, vt Superiori Ecclesiastico consignetur. Præ-  
terea Clericus debitor, fugiens, vel fugam meditatus,  
aut aliena bona asportans vel sua debito adstricta, po-  
test capi à seculari, modò animo tradendi Ecclesiastico  
iudici detineatur.*

29.

*De Pri-  
uilegio  
exemptionis  
à legibus  
& Ga-  
bellis.*

#### C A P V T I V.

*Praxis circa præfata ex Societatis*

I E S V schola.

**P**riuilegium quo à legibus & iurisdictione Principum secu-  
larum eximuntur Ecclesiastici, à quonam iure est? A iure  
diuino

diuino immediatè concessum, & à iure Canonico postea stabilitum, cui etiam ius Ciuile accessit, ut ait *Bellarminus*. Habuerunt illud Clerici ante tempora Constantiniani, ut patet ex Conc. Carthaginensi II I. Non possunt Principes hoc priuilegium reuocare: imo nec Summus Pontifex ei potest renunciare; quia ipse non est dominus absolutus bonorum, & iurium Ecclesiæ, sed solum dispensator. Porro nulla consuetudo quamuis memorabilis potest huic priuilegio derogare; quia, ut bene *Suaris*, contra Ecclesiasticam libertatem nulla præscriptio.

*Reges & Principes habent ne ius conuocandi Episcopos, & eis præcipiendi?* Non habere *Azorius* affirmat, posse tamen eos rogare, & vocare ut Procures.

*Decet ne Regios Magistratus in Cancellariis Bullas Apostolicas examinandas detinere?* Minimè; ut *Filiutius* asserit. Sunt quidem re cognoscendæ, & discutiendæ, cum dubitatur de subreptione, aut falsitate, sed ab Ecclesiasticis iudiciis.

*Est ne Principis secularis curare, ut Episcopi suis in Ecclesiis resideant?* Non; quia nullam in Clericos habent potestatem. Possunt tamen Pontificem monere, ut curet disciplinam Ecclesiasticam ab Episcopis obseruari. Sic *Azorius*.

*Scio Clericos in sacris constitutos, & Religiosos per se negotiari non posse, per alios non prohiberi: rogo num. qui tantum habent beneficium, nec sunt in sacris, possint per se negotiari?* Secutus *Molinam*, inclinor eos mortaliter non delinquere.

*Clerici ne primæ Tonsuræ gaudent exemptione gabellarum?* Dixi gaudere ex iure communi. At quibusdam in Regnis ex consuetudine scita, & approbata Clerici minorum Ordinum non eximuntur, auctore *Vasquez*, nisi actu habeant beneficium. Nouitij Religionum (ait *Sanchez*) sunt exempti à gabellis; quia sunt pars communitatis Ecclesiasticæ.

*Principes imponentes gabellas iustas super bona Ecclesiasti-*

*sticorum incurrunt ne Bullæ Cœnæ Censuram?* Incurrunt; (ait *Suaricus*) quia excommunicatio fertur in eos, qui imponunt gabellas nisi in casibus à iure permissis.

*Clerici negotiatores amittunt ne priuilegium exemptionis à gabellis?* Amittere affirmo cum *Lessio*, posséque ab eis gabellam exigere non autem, ut innui, ante trinam monitionem.

*Sunt ne Clerici aut diuino aut humano iure exempti à Ciuilibus legibus, quæ cum Ecclesiastica libertate non pugnant?* Minimè. Ideo si Clerici vendunt frumentum vltra pretium taxatum, peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur, *Salas* authore. Non potest tamen (inquit) iudex laicus illos punire ob illarum legum transgressionem defectu iurisdictionis, etiam quando pœna exigenda est de plano, & sine alia controuersia iudiciali. Et quamuis iudex Ecclesiasticus (cum *Vasquez* loquor) Clericum non condemnet in pœnam legis laicalis, non potest hanc ideo ab illo iudex laicus exigere; quia Ecclesiastici mitiori sunt pœna puniendi.

*Omnes ciues contribuunt ad sternendam lapidibus viam, quæ est ante januam ipsorum: tenentur ne Ecclesiastici simul contribuere.* Ex *Molina* respondeo teneri. Si tamen nolint, non posse à iudice seculari cogi, sed per Ecclesiasticum id fieri debere.

*Iudex laicus Clericum inuenit pecunias, aut frumentum à Regno contra leges exportantem: potest ne ea illi auferre?* Non posse, inquit, *Salas*, quia non habet potestatem coercitiuam in Clericos. Imo nec Clericus (eodem authore) cum armis prohibitis in flagranti crimine comprehensus potest à seculari ministro exspoliari, sed tantùm ad Ecclesiasticum duci. Nec falsa inensura (addit *Vasquez*) triticum, vel oleum vendens potest à iudice seculari puniri.

*Possunt ne imponi gabellæ super bona Ecclesiasticorum publicè: id necessitate exigente, quando agitur de necessitate communi tam Ecclesiasticorum quàm laicorum?* Respondeo ex *Lessio* imponi

imponi posse : sed tunc requiri deliberationem, & consensum vtrorumque ; quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Talis autem necessitas non est in reparatione pontium, murorum & similibus. *Quid si Clerus in casu quod debet, nollet consentire ?* Possent laici auxilium Superioris Ecclesiastici implorare, vt Clericos compellat ; quia eo ipso quod persona Clerici est exempta à iurisdictione seculari, exempta sunt etiam eius bona siue patrimonialia, siue donata, siue empta, siue alio titulo acquisita, nisi annexam habeant gabelam aliquam inuariabilem, & perpetuam, vti *Lessius* affirmat.

*Potest ne Clericus se submittere regali iurisdictioni quoad bona patrimonialia ?* Non ; quia ( vti ait *Laymanus* ) & hæc gaudent priuilegio exemptionis, cui ille cedere nequit.

*Ecclesiasticus impedit, vel usurpat iurisdictionem secularem, aut alia regalia : potest ne propterea à iudice laico bonis temporalibus priuari ?* Sanchez non posse affirmat, ob defectum iurisdictionis in bona, æquè ac in personam.

*Potest ne iudex laicus exigere gabellas à colonis Regularium ?* Minimè ; quia prædia Regularium sunt ab hoc onere exempta. Tenentur tamen ( asserit *Filliutius* ) coloni soluere gabellam ex fructibus collectis, si eos aliò transferant, aut alienent ; tunc enim laicalia bona censentur.

*Episcopi ne & Ecclesiastici quique possunt à Principe aut eius Consiliariis Regno pelli tanquam seditiosi, & pacem Reipublicæ perturbantes ?* Affirmat *Molina* haud pelli posse nisi de Pontificis summi licentia, aut nisi tanta vrgeat necessitas, vt sit evidens in mora periculum. 30.

*Necessum ne ad priuilegium fori, vt Clericus non solum pallium, sed & togam vsque ad talos ferat ;* Assero ex *Molina* sufficere, si eo vtatur vestium genere vt iuxta Prouinciarum vsum à videntibus possit Clericus iudicari.

652 *Moralis Theologiae Tract. V I. Statu,*  
cari. *Quid si dubitetur, an habitus sit Clericalis, nec ne? Cognitionem idem Doct̄or ad Ecclesiasticum iudicem spectare affirmat.*

*Clericus qui habet pensionem super aliquo beneficio loco tituli, gaudet ne tanquam beneficiatus priuilegio fori? Gaudet (Suarius ait) sicut & Capellanus, cui Capella in perpetuum, vel in titulum fuerit assignata. Secus autem si habeat Capellam amouibilem; hæc enim propriè beneficium non dicitur.*

*Dixisti Tertiarios S. Francisci, &c. Si collegialiter uiuant, gaudere priuilegio fori: rogo num Tertiariæ eodem priuilegio gaudeant? Gaudent si cœlibem uitam uouerunt expressè, etiam si in domibus propriis habitent. An Eremitæ? Non, nisi qui sub obedientia Episcopi alicui loco sacro, vel Ordini speciatim addicti sunt, uti Coninch affirmat.*

*Vxor ne Sacerdotis Græci, vel Latini Clerici minorum Ordinum gaudet priuilegio fori? Cum sanctio gaudere sentio, si gaudet uir; quia vxor ratione matrimonij forum uiri sortitur, nisi alteri nubat.*

*Clericus sine habitu & tonsura grauissima crimina perpetrans potest ne à seculari iudice puniri? Ante trinam monitionem non potest. Qui verò (addit Suarius) aliquando dimittit habitum, & tonsuram non ideo amittit priuilegium fori, nec est à iudice seculari puniendus.*

*Clericus commisit delictum, & postea duxit uxorem, vel est Clericus coniugatus fruens priuilegio fori, sed postea sit bigamus: rogo, num ob delictum antea commissum possit à seculari iudice puniri? Minimè; quia, ut Sanchez ait, tempus commissi criminis debet spectari.*

*Si Clerici in Regalibus debitis possunt in seculari Curia conueniri, vndenam hoc fit supposito priuilegio fori? Respondet Suarius, ex eo quod bona Regalia Clericis, cum hac tantum conditione conceduntur. In feudalibus autem potest coram laico Clericus conueniri; quia non subiicitur ut persona Ecclesiastica, sed tanquam Dux, Marchio, &c.*

*Clericus,*

Clericus, qui patitur ab Ecclesiastico iudice violentiam, potest ne ad laicum recurrere? Quando ad talem vim reprimendam Ecclesiasticus iudex non adest: aut si adfit, non vult reprimere, speculatiuè loquendo, potest. Alioquin non licet iudici seculari causam Ecclesiasticam ad se euocare, & vim Clerico propulsare illatam. Sic Suarius.

Constitutio Gregorij XIV. de immunitate Ecclesie derogat ne priuilegijs Principum, iuri communi, & consuetudinibus? Derogare Filliutius docet; quia Pontifex illam per modum vniuersalis legis promulgauit.

Quid sentiendum de laicorum Principum statutis? Sunt ne contra Ecclesiasticam immunitatem? Sunt planè vel quando Ecclesia seu personæ Ecclesiasticæ prohibentur, aut impediuntur vti rebus, seu facultatibus sibi à iure concessis: vel quando tolluntur priuilegia ipsis concessa à Deo, Pontifice, vel Principibus secularibus: vel quando ipsi timidiores efficiuntur: vel quando deterioris conditionis quàm laici efficerentur. Sic iurisperiti. Suarius docet quælibet statuta laicorum, si efficiant Clericorum mentionem inualida esse. Nec refert fundari in vtilitate publica; quia cum hoc debeat in omnibus inueniri, etiam omnes possent Clericos illigare. Filliutius asserit, si Princeps statuatur, ne suis priuilegijs fruantur ij, qui subditi non sunt, contra libertatem Ecclesiasticam facere; quia de iure communi Clerici frui possunt priuilegiorum alicui communitati concessorum beneficio. Azor affirmat priuilegium à Principe vel Republica Clericis semel concessum non posse ampliùs reuocari: & statutum abrogans huiusmodi priuilegium Ecclesiasticam immunitatem violare. Adiicio legem inualidantem donationem omnium bonorum factam à patre filio Clerico, multis Doctoribus consentientibus, contra immunitatem Ecclesiasticam esse; quia non potest lex ciuilis hanc præsumptionem inducere vt alienatio bonorum facta in fauorem Ecclesie, fieri videatur in fraudem Fisci. Fateor contra-

3 I.

De laicorum  
Principu  
statutis.



654 *Moralis Theologiae Tract. VI. Status,*  
 rium à *Vasquez* affirmari. *Azor* scribit statutum prohi-  
 dens, ne vinum aut frumenta extra territorium expor-  
 tentur Clericos non comprehendere; quibus licet ex-  
 portare fructus ex suis prædiis collectos. Addit statu-  
 tum, quo Princeps cauet, ne quis sine sua facultate adeat  
 possessionem alicuius beneficij esse contra immunita-  
 tem Ecclesiasticam, nisi Princeps ex priuilegio Romani  
 Præfulis habeat collationem beneficiorum, vel priuile-  
 gium, vt in sua ditione nullus externus beneficium ob-  
 tineat. *Suarez* existimat Principes prohibentes laïcis  
 ne vendant Ecclesiasticis, ne molant, coquant pa-  
 nem, &c. in excommunicationem incurrere; quia  
 hoc Ecclesiastica derogat libertati. Ex eodem Doctore  
 statutum, ne immobilia alienentur in extraneos, &  
 Ecclesiasticos aduersatur eidem libertati; nullo enim  
 iure nec naturali, nec diuino id prohibetur, imò nec  
 humano. Adhuc *Suaris* existimat Principem secularem  
 posse impedire, ne fiat iuramentum, si tamen fiat esse  
 obseruandum nisi Episcopus relaxet. *Reginaldus* opina-  
 tur Principes, aut Magistratus non posse disponere de  
 iis, quæ ad funera, & exequias pertinent in iis quæ spe-  
 ctant ad Clerum, vel cultum diuinum; posse tamen  
 prohibere abusum, & luxum circa funeris pompam.  
*Comitolus* denique affirmat Principem, vel Rempubli-  
 cam statuentem, ne in suo dominio Ecclesiæ vel Mo-  
 nasteria construantur sine sua licentia, immunitati  
 Ecclesiasticæ derogare, & edicto Constantini Impe-  
 rat. quo concessit facultatem ædificandi Ecclesias  
 per totum Orbem; vnde ita statuentes sunt excom-  
 municati.

32. *Potest ne iudex Ecclesiasticus consuetudine, & præscriptione*  
*De iudice* *acquirere iurisdictionem in laicos? Possè asserit Sanchez. Quod*  
*Ecclesia-* *si dubium sit, cuius sit iurisdicctio; iudex maior, id est,*  
*stico.* *Ecclesiasticus cognoscit.*

*Ad quemnam pertinet quæstio iuris circa decimas? Ad solum*  
*Ecclesiasticum pertinere asserit Fagundez. In quæstio-*  
*ne autem facti iudex competens erit; est enim mixti*  
*forj.*

*Examen III. De Immunit. Ecclesiastica. 699*  
fori. Cognitionem verò decimarum, quæ secularibus in feudum datæ sunt, solius Ecclesiastici iudicis esse idem Doct̃or existimat: & laicum conductorem decimarum apud solum iudicem Ecclesiasticum conueniendum esse.

*Ad quemnam iudicem spectat sponsalium causa?* Sanchez docet ad solum Ecclesiasticum, præcipuè quando de illorum valore agitur.

*Quando Clericus Clericum instituit heredem, vel laicus testamentum ad pias causas condidit: ad quemnam iudicem testamenti pertinet publicatio?* Ad Ecclesiasticum cum Molina affirmo pertinere.

*Num possit Ecclesiasticus iudex de causa laici simul delinquentis cum Clerico cognoscere?* Posse asserit Laymanus; cum enim Ecclesiasticus iudex sit dignior laico, ipse erit vtrumque reum iudicare.


*Ecclesiastici iudices negligentes sunt ex. gr. in Clericis puniendis & causis huiusmodi cognoscendis: possunt ne iudices seculares huic muneri incumbere?* Laymanus non posse affirmat; quia nullo in casu potest laicus iudicare non subditum.

*Num licita auocatio causarum spiritualium ad laica Tribunalia;* Vetita planè Bullà Coenæ sub Censura, etiam si ab aliis iudicibus Ecclesiasticis auocetur, quàm à iudicibus Sedis Apostolicæ. Sic Filliut.

*Potest ne Ecclesiasticus iudex punire laicos concubinos?* Posse assero cum Azor, post primam quidem admonitionem pœna pecuniaria, pœna verò excommunicationis post tertiam. Scio concubinatum esse mixti fori delictum.

EXAMEN





## EXAMEN IV.

De statu Ecclesiastico circa Materiam de  
Ecclesiarum, seu Templorum  
immunitate.

## CAPVT PRIMVM.

*De libertate Templi.*

33.  
Libertas  
Templi.

**Q**uid Ecclesie, seu Templi immunitas? Exemptio seu  
priuilegium Ecclesiis materialibus concessum,  
vt ad eas confugientes à laica sint tuti potesta-  
te. Quæ quidem immunitas humano iure concessa fuit  
Templis Christianorum, aliisque locis religiosis: estque  
valde iuri Diuino conformis.

*Capi ne potest in Ecclesia existens? A potestate laica mi-  
nime, obsideri tamen potest extra Ecclesiam, vt capiatur  
postquam fuerit egressus; quia sic loci sacri immunitas  
non violatur.*

*An possint Ecclesiastici iudici seculari resistere conanti reum  
à sacro loco extrahere? Possunt Censuris deterrendo,  
claudendo ianuas, laicorum auxilium implorando,  
vtendo opera Clericorum nondum sacris initiatorum  
ordinibus. Iphis tamen Ecclesiasticis non licet arma  
capere, ad iudicem secularem arcendum; ne occasio  
scandali exhibeatur.*

*Iudex autem secularis impedire, vt reo in Templo existenti,  
vestes, alimenta, & alia necessaria ad vitam deseriantur? Non  
potest; quia aliàs immunitatis priuilegium redderetur  
inutile.*

*Existenti in loco sacro potest ne ulla vis, aut dam-*

*Examen IV. De Ecclesiarum immunitate. 657*  
num à laica potestate inferri? Non, nisi iudex id ad Episcopi instantiam efficiat, non nomine proprio.

*Num possit reus, quandiu in loco sacro existit, ad mortem damnari, vel poenae corporali addici? Minimè: ad poenam autem pecuniariam, & ad bonorum confiscationem nisi compareat, potest. Imò iudex solet citare reum, illumque ad mortem, vel ad aliam poenam pro qualitate delicti damnare, quando licitè poterit inferri. Id quod non est actu illum condemnare, sed minari ad tempus commodum damnationem.*

*Quid si reus ab Ecclesia per vim extrahatur? Est Ecclesiae restituendus; tenetur enim iudex iniuriam Ecclesiae illatam rescire, nec satisfacit dando de impunitate cautionem. Extractus iuri suo cedere, & in iudicis secularis potestate vult permanere: tenetur ne iudex eum restituere Ecclesiae? Tenetur; quia hoc priuilegium loco sacro est immediatè concessum, nullus autem cedere alieno iuri potest. Est ne eidem Ecclesiae restituendus? Vel eidem, unde extractus est, vel alteri, vel Episcopo, vel eius Vicario, modo sit aequè tutus ac si eidem loco sacro restitutus esset.*

*Quid si dubitetur, an reus in loco sacro, an in profano captus fuerit? Spectat ad iudicis Ecclesiastici definitionem; cum enim de Ecclesiae agatur immunitate, eius causae cognitio ad Ecclesiasticum iudicem pertinet.*

*Actus iudicis laici iuridicè in delinquentem ab Ecclesia vi extractum facti, sunt ne validi? Non, ut pote sine iurisdictione effecti; quia fundantur in captura & detentione rei, quae quidem actus non est iurisdictionis, sed violentiae. Imò nec potest illum iudex iuridicè interrogare, nec ille tenetur respondere; quia non habet ius in reum eo modo captum.*

## CAPVT II.

*Quinam locus habendus sit sacer?*

34. *Locus sacer.* **I**N doctrinæ perspicuitatem necessum est, aperias, quinam locus sacer habendus sit? Quæuis Ecclesia Episcopi auctoritate erecta, etiamsi benedicta non sit, aut non fuerint in ea diuina officia celebrata, nec adsit Eucharistiæ Sacramentum: aut etiam polluta sit, vel interdicta; vel diruta modò non fuerit Episcopi sine reedificationis spe auctoritate; sic enim priuilegium immunitatis amittit. Verùm non solum interius Ecclesiæ corpus, sed tota Ecclesiæ fabrica, vt tectum, partes parietum exteriores, campanile, Sacristia Ecclesiæ coniuncta, & similia Templo adiacentia priuilegio fruuntur immunitatis; quia quæ adhærent Templo, seu loco sacro sacra censentur.

*Extenditur ne ad fines, seu confinia? Vsq̃ue ad quadraginta passus extenditur, si fuerit Ecclesia Metropolitana; si verò minor, ad triginta.*

*Domus Parochorum, seu Canonicorum aliorumque Ecclesiasticorum intra septa Ecclesiæ iuxta doctrinam tuam immunitate gaudebunt. Quis dubitet? quamuis à laicis inhabitentur; quia priuilegium hoc directè locis, non personis concessum est.*

*Domus Religiosorum, aut Monasteria, gaudent immunitate? Maximè. Id quod extenditur ad Claustra seu habitationem, ad hortum & viridarium; totum enim illud septum est sacrum.*

*Quid de Hospitalibus, seminariis ve? Eodem priuilegio gaudent, si Episcopi sint auctoritate fundata; sunt enim loca pia.*

*Palatium, seu domus Episcopi priuilegiata ne est? Ita, licet quadraginta passibus ab Ecclesia non existat, modò eo in Palatio adsit Oratoriū, vbi diuina officia celebrentur.*

Idem

*Examen IV. De Immunitate Templorum. 659*  
Idem affirmo de domibus Cardinalium ; quamuis scio hoc priuilegium hodie Romæ non asseruari, vt bono communi consulatur.

*Reus Sacerdotem Eucharistiæ Sacramentum asserentem amplexatur : fruitor ne Templi priuilegio ?* Ob reuerentiam sacratissimo IESU corpori debitam licitè capi non posse affirmo ; tamen si capiatur iniquè, non assererem Ecclesiæ immunitatem violari, nec de rigore iuris reum esse Templo restituendum ; quia hoc priuilegium Ecclesiæ concessum est, non extra Ecclesiam Eucharistiæ. Affirmo tamen per consuetudinem, illam posse immunitatem introduci, quæ reis Sacerdotem deferentem Eucharistiam amplexantibus suffragetur.

### C A P V T III.

*Quinam sint Templi immunitate priuari ?*

**E**Xprime, quinam illi, queis Templorum immunitas non suffragatur : Dū reus extra locum sacrū comprehensus ad carcerem per cœmeterium ducitur, aut per Ecclesiam etiam si per vim trahatur, & inde recuset exire, fruitor priuilegio ? Non ; quia hic non confugit ad Ecclesiam, dum liber esset.

Si reus blanditijs, & promissionibus, sine coactione à loco sacro eliciatur, & extra eum capiatur quid ? Priuilegio non fruitor ; quia ipse sese voluntariè Ecclesiæ munimine abdicauit. Attamen si ei promissa fuit impunitas ; aut in eundem locum restitutio, illi data fides seruanda.

Reus in Ecclesia captus fuit, & in carcere fori secularis nomine Episcopi detinebatur, donec cognosceret, an immunitatis priuilegio frui deberet ; reus hic de carcere aufugit, & postea à iudice seculari captus est : num Ecclesiæ immunitate gaudebit ? Minimè ; quia fuga illi priuilegium primæ detentionis ademit.

T c

*Quid*

35.  
Priuari à  
Templi  
immunitate.

*Quid de publicis latronibus, grassatoribus viarum, depopulatoribus agrorum ad Ecclesiam confugientibus, & de occidentibus, vel mutilantibus in Templis, aut eorum cæmeteriis? Ecclesiæ immunitate priuati sunt. De latronibus, grassatoribus, & depopulatoribus expressè Bulla Greg. XIV. Certè æquum non videretur, vt Ecclesiæ immunitate occidentes, vel mutilantes fruantur, qui in Ecclesia delinquant.*

*Num qui sagitta, vel plumbea glande in loco sacro existens alium extra locum sacrum occidit, priuilegium amittat immunitatis? Non; quia licet homicidium fuerit in Ecclesia inchoatum, fuit tamen extra Ecclesiam perfectum: potest tamen hic ab Ecclesiæ ministris capi.*

*Amittitur ne immunitas ob quamlibet vulnerationem in Ecclesia factam? Minimè nisi sequatur mors etiam extra Ecclesiam: aut adsit mutilatio, seu abscissio alicuius membri aut partis corporis, quæ habet officium distinctum à reliquis.*

*Quid si imperem homicidium, aut mutilationem in Ecclesia fieri? Non priuaris ideo Ecclesiæ immunitate; quia pœna lata contra facientes non afficit mandantes, nisi id exprimatur in iure.*

*Proditoriè aliquem occidens seu ferro, seu veneno, caret ne Ecclesiæ immunitate? Caret. Profectò dicitur proditorie occidere qui aliquem id minimè suspicantem interficit. Quare qui inimicum necat haud proditor dicitur; licet per insidias, aut à tergo percutiat.*

*Num Assassini rei gaudent Ecclesiæ priuilegio? Non gaudent, ex Constitut. Greg. XIV. Assassini autem nomine eum intelligo, qui pecunia aut pretio, ad hominem incautum occidendum ex insidiis, conducitur. Quare qui sine pretio aliquem interficit, vt amico rem gratam faciat, non dicitur assassinus. Porro etiam assassini cooperatores, fautores, auxiliatores, & receptatores priuilegio immunitatis priuantur.*

*Quid de heresis reo? Non gaudet Ecclesiæ priuilegio. Dicitur*

*Examen IV. De Immunitate Templorum. 661*

Dicitur reus hæresis non solum qui cum pertinacia contra fidem sentit, verum etiam qui auxilium, aut fauorem præbet hæreticis.

*De crimine autem læsæ Maiestatis quidnam? Qui in personam Principis delinquit Ecclesiæ priuatur immunitate. Profectò Cardinales inter Principes adnumero. Quod si quæras, quandonam crimen læsæ Maiestatis in Principis personam committitur? Tunc committi assero, cum actio fit in damnum, vel offensam personæ Principis, vt occidendo, vulnerando, percutiendo, coniurando, hostiliter insequendo Principis personam, reuelando hostibus suum secretum, vt ab illis capiatur. Idem de consulentibus, auxiliantibus, aut fauorem præstantibus affirmo; hi enim criminis in Principis personam rei putantur.*

*Quidnam præstandum, antequam reus, qui ad locum sacrum confugerat, curiæ seculari tradatur? Primò obtineatur ab Episcopo loci, seu eius Vicario facultas expressa: Sede vacante Capituli Vicarius adeundus. 2. Dum reus extrahitur, persona Ecclesiastica intersit ab Episcopo, vel eius Vicario habens facultatem. 3. Non statim ac captus fuerit, laicæ potestati tradatur, sed nomine Episcopi coniciatur in carcerem, donec ab ipso, vel eius Vicario cognoscatur, an reus sit delicti, cui imposta est priuatio immunitatis.*

---

C A P V T I V.

*De Templorum violatione.*

**Q**uid requiritur, vt constet Ecclesiam, seu Templum esse consecratum? Scriptura in marmore, vel vnus testis fidem efficit. Porro Ecclesia ab Episcopo excommunicato etiam hæretico validè consecratur, vt reconciliatione nulla indigeat. Satis autem est Ecclesiam benedictam

36.  
*Violatio  
Ecclesie.*



§ 62 *Moralis Theologia Tract. VI. Status,*  
nedictam esse, atque Episcopi autoritate ad publica  
officia deputatam, vti locis sacris adnumeretur.

*Quotnam modis violatur?* Quinque 1. Iniuriosa fan-  
guinis effusione. 2. Iniurioso homicidio. 3. Ulici-  
ta humani seminis effusione. 4. Sepultura excom-  
municati non tolerati. 5. Vel non baptizati ho-  
minis.

*Quinam violationis Ecclesie effectus?* In ea Missam cele-  
brare non licet.

*Sufficit factum quo Ecclesia violatur, secretum fuisse?* Mini-  
mè, sed publicum, & notorium esse debet.

*Sacrificia, & camere, quæ sunt pro custodia vasorum, vio-  
lantur ne Ecclesia violata?* Non violantur. At violata  
Ecclesia, etiam cœmeterium violatur, sed non vice  
versa.

*Quisnam violatam Ecclesiam reconciliabit?* Solus Episco-  
pus, si Ecclesia consecrata sit: solum verò benedictam,  
ad publicave officia Episcopi autoritate deputatam  
etiam simplex Sacerdos. Idemque de cœmeterio affir-  
mo. Decens tamen est, vt prius Episcopo res significetur,  
quàm Ecclesiam Presbyter reconciliet, si extra Mis-  
sæ Sacrificium violetur. Porro obseruatur in praxi, vt  
Ecclesia nunquam violari censeatur vt reconciliatione  
indigeat, nisi locus consecratus, vel autoritate Episcopi  
benedictus fuerit.

*Reconciliatur ne Ecclesia polluta per solum Missæ Sacrificium,  
quod bona fide in ea celebratur?* Non, sed alia indiget recon-  
ciliatione intenta directè.

*Si Catholici Ecclesiam recipiant, in qua hereticorum exer-  
citia viguerunt, opus ne eam solemniter ab Episcopo recon-  
ciliari?* Non, sed sufficit aqua benedicta asper-  
gere.

*Est ne Religiosis mendicantibus aliquod privilegium, cir-  
ca Ecclesie violatæ reconciliationem?* Eis à Sede Apo-  
stolica concessa est facultas, Ecclesias consecra-  
tas, si pollutæ fuerint reconciliandi aqua ab Epi-  
scopo benedicta, & vt possint solemniter benedicere  
Ecclesias

*Examen IV. De Immunitate Templorum. 663*  
Ecclesias suas, & cœmeteria, si Episcopus nolit, aut negligat.

*Parietum dirutorum ruina obstant ne Ecclesie consecrationi?* Ecclesia consecrata consecrationem omnino amittit, ut iterum debeat consecrari, si eius parietes secundum maiorem partem destructi, aut absumpti sint. At benedictio templi, aut cœmeterij, destructis parietibus, non amittitur, cum ea inhærere solo censetur.

*Ecclesia diruta amittit ne privilegia loco sacro concessa?* Amittit, si non sit spes reedificationis. *Diruta Ecclesia in locum alium sub eodem patrono Episcopi autoritate transferatur: rogo, num etiam indulgentiæ, & privilegia transferantur?* Respondeo affirmatiuè; quia specialia indulta à parietibus; aut solo alterius basilicæ non dependent.

*Si minor pars Templi corruit, amittitur ne consecratio?* Non. Imò pars, quæ ob ruinam adiicitur, ipsa accessione consecrationem à toto corpore acquirere censetur. Idemque sentiendum, si ampletur Ecclesia. Quare tali casu sufficit partem adiectam aqua aspergere benedicta.

*Ecclesia successiuè reparata, est ne iterum consecranda?* Non; quia eadem moraliter censetur. Si tamen animo omnes aut ferè omnes parietes reparandi, adeoque quasi nouam Ecclesiam ædificandi vnus murus post alium, quasi continuatis operis, deiiciatur, & reparetur, existimo iterum Ecclesiam consecrandam.

*Polluta Ecclesia polluantur nem altaria?* Ita planè; sed execrata Ecclesia, non ideo altaria execratione afficiuntur. Porrò Ecclesia execratur, si eius parietes incendio ita absumuntur, ut omnis crusta, vel secundum maiorem partem auferatur, licet parietes non corruant; quia consecratio potissimum in exterioribus crustis consistit. At si crusta omnis, vel maior eius pars renouandæ Ecclesiæ causa, successiuè auferatur, consecrationem idcirco Ecclesia non amittit.

## CAPVT V.

*Praxis circa prædicta ex Societatis  
I E S V schola.*

37. *De immunitate Templorū varij casus.* **Q**ui in Ecclesia homicidium perpetrat aut mutilat non delibere, sed ex iracundiæ calore, amittit ne priuilegium immunitatis? Afferit Azor ex verbis Bullæ non videri amittere.

*Qui iuxta Ecclesiam deliquit, cum spe ad illam confugiendi?* Suarez docet immunitate gaudere. Idem affirmo, si sub eodem prætextu in atrio, siue Templi scalis quis alium occidat.

*Qui proditoriè voluit aliquem occidere, sed percussum, casu non necauit, gaudet ne immunitate?* Gaudere sentio cum Suario; quia Bulla excipit occidentem actu, non autem volentem occidere.

*Qui pecunia conductus ex mandato alterius aliquem occidit, præsentem ipso mandante, est ne Assassinus.* Propriè non esse Pallaus affirmat, & ideo Ecclesiæ immunitate non priuari.

*Qui nefandum crimen committunt, & qui in duello aliquem occiderunt, gaudent ne immunitate?* Ita quidem vti Fagundes asserit; neuter enim in Bulla excipitur. Adde ex eiusdem doctrina raptores virginum vel deflorantes monialem etiam priuilegio gaudere, licet in ipsa Ecclesia facta esset defloratio.

*Quid de Heretico?* Ex Suarij doctrina in criminibus non exceptis in Bulla, eadem qua cæteri immunitate frui sentio. Certè suspectus de hæresi, in locis vbi hæretici non tolerantur, si ad Ecclesiam confugiat, à ministris Inquisitionis ab ea abstrahi potest, propter Orthodoxæ fidei conseruationem.

*Quis detentus à fasellitibus intrat Ecclesiam, eosque per vim secum*

secum trahit : gaudet ne immunitate ? Gaudere meus aman-  
tissimus doctissimus planè Ferdinandus de Castro Pallao  
affirmit.

Reus ad Ecclesiam confugiens potest ne à iudicibus Ecclesia-  
sticis, vel laicis exilio, aut perpetuo carcere damnari, vel ad trive-  
mes immitti ? Negatiuè respondeo cum Suario ; quia hæ  
poenæ sunt grauiores.

Dixisti Palatium Episcopi etiam ab Ecclesia longè distans,  
gaudere eadem immunitate, qua Templum ; modò oratorium ha-  
beret : quid si non habeat ? Azorius existimat necessarium  
non esse ; cuius sententiam probabilem iudico. Mini-  
mè autem eis subscribam, qui probabile existimant  
Palatia extra dioecesim hac frui immunitate, si Car-  
dinalium Palatia extra Romam ( ut innui ) exci-  
pias.

Iudex laicus scit reum quendam Ecclesie immunitate non  
gaudere : potest ne eum ab Ecclesia extrahere ? Cum Fillutio  
iudico absque Episcopi licentia non posse, quin ex-  
communicationem incurrat. Debet enim Episcopus  
cognoscere num hoc sit verum, deinde reum seculari  
Curie consignare.

Contrauenientes huic Gregorij XIV. constitutioni possunt ne ab  
Episcopo absolui ? Ex multorum sententia possunt. Ego  
cum Fillutio pro multis vno, sentio excommunicatio-  
nem illam Summo esse Præfuli referuatam.


Reconciliatur quis inimico cum fideiussione de non occidendo,  
postea tamen illum occidit : fruitur ne Ecclesie immunitate ? Affir-  
mo, quia non dicendus absolutè proditorie occidisse,  
nisi intercessisset arctior aliqua amicitia simul comedendo,  
alloquendo, &c. vnde poterat præsumi non obstante  
fideiussione adhuc odium durare.

Occidens clericum fruitur ne immunitate ? Ita quidem ; quia  
licet sacrilegium commisit, excipiuntur tamen in Bulla  
homicidia proditoria, & per assassinium commissa. Sic  
Castro. Colligo etiam assassinij mediatorem immunitate  
frui ; quia excipiuntur tantum assassini, sub quibus me-  
diatores non comprehenduntur.

*An Clerici & Religiosi confugientes ad Ecclesiam immunitate gaudeant? Ex doctrina castri respondeo pro criminibus non exceptis in Bulla ad Templum confugientes non posse à iudicibus Ecclesiasticis, aut Superioribus extra-hi absque summi Præfulis licentia sub pœna excommunicationis. Excipio eos Religiosos, qui in propriis Monasteriis delinquant; possunt enim à Superioribus puniri salva immunitate. Quamvis hoc etiam probabiliter alij negant, cum non priuentur immunitate peccantes in ipsis Ecclesiis nisi per homicidium, & mutilationem.*

*Polluitur ne Ecclesia, si infans in matris mortuae imo sepultæ utero moriatur? Suarius pollui affirmat.*

*Per copulam conjugalem quid? Idem Suarius docet in templo licere ad vitandam incontinentiam, quando alibi facere non licet, neque templum tunc pollui.*



## E X A M E N V.

De statu seculari circa Materiam de  
Tributis.

### CAPVT PRIMVM.

*Quinam possit tributa imponere?*

38. *Tributa à quonam?* **R**ecolens quæ dixisti sigillo 1. circa quartum Decalogi præceptum quæque sigillo 2. de peccatis status secularis adiecisti, in præsentis solum de Principis Tributis impostis, de Iudice, Teste ac Reo agendum nobis est. Requiro igitur, quisnam possit tributum aut gabellam imponere? Qui Superiorem non habet in temporalibus, vel cui ipse id concesserit, vel consuetudo præscripta.

*An Episcopus possit? Potest quidem in Ecclesiis, sibi pleno*

*Exam.V. De statu sec. seu de Tributis, &c. 667*  
pleno iure subiectis cum Capituli consensu ex causa tributum, seu pensionem imponere.

*Potest ne Dominus temporalis, aut communitas inferior urgente necessitate imponere tributum aut talliam? Potest; non enim id prohibetur, sed gabella ordinaria populum grauans.*

*Potest adesse tyrannis in tributo? Tyrannicum est, si causa non sit iusta. Imo si licet iusta sit, non sit proportionata, ita ut vires Regni ac populi non excedat, alioquin erit tyrannicum.*

---

## C A P V T II.

### *De obligatione subditorum circa tributa.*

**D***ebent ne subditi tributa soluere? Debent prorsus, si iuste sint imposita.* 39. *Obligatio*

*Potest ne Princeps tributum per vim aut metum extorquere? Potest equidem, quando causæ exigendi iustæ sunt; quia illud Principis est.* *soluendi tributum.*

*Quodnam peccatum committunt vectigalia iusta fraudantes? Si materia sit sufficiens ad mortale, mortaliter delinquant, & ad restitutionem tenentur. Scio à Maldero & aliis contrariam sententiam defendi, quam reiiciendam existimo.*

*Dubitatur, an vectigal sit iuste impositum, & sunt utrinque rationes probabiles: solui ne debet? Soluendum censetur; quia in dubio pro Rege præsumendum Vasquez auctore.*

*Obligant ne nouæ gabellæ? Non obligare aliqui affirmant, nisi constet legitimè impositas. In dubio dixi pro Principe præsumendum de iustitia. Si gabella sit antiqua, non dubium quin pro Principe præsumi debeat, cuius possidentis melior conditio.*

*Sunt ne soluendæ gabellæ impositæ pro rebus ad proprium Regis aut Principis usum delatis? Communiter hæc habentur*

668 *Moral. Theologia Tract. VI. Status,*  
tur iniquæ, etsi quidam id negent si iusta aliâs causa  
imponant. Iniquas item reputari scio quæ pro pri-  
uata Principis utilitate, & non pro communi Reipubli-  
cæ imponuntur: & quæ cessante causa ob quam sunt  
impositæ; nec alia iusta de nouo emergente exigun-  
tur: aut quando maiores ac causa postulat, aut quibus  
alij plus quàm alij indebitæ grauantur.

*Cum nimis durum est tributum, tenor ne soluere non pe-  
titum? Opinor cum Toletio sufficere soluere, si pe-  
tatur.*

*Princeps grauens sine necessitate Rempubicam nouis tribu-  
tis tenetur ne ad restitutionem? Quis dubitet iniuste abla-  
tum suo domino reddendum?*

### C A P V T III.

*Praxis circa prefata ex Societatis  
IESV schola.*

40. *De Tri-  
butis va-  
rij casus.* **D**Eputati ad exigendam gabellam possunt ne cum pauperi-  
bus dissimulare? *Asserit Saa dissimulare posse, quan-  
do non habent vnde soluant.*

*Tenentur ne Clerici ad gabellam contractuum? Minimè  
nisi negotientur, nec quidem de patrimonio suo, vti  
ait Saa.*

*Prædium Ecclesie tenetur ad soluendum vectigal? Tenetur  
ad onus sibi perpetuò annexum, priusquam ad Eccle-  
siam veniret, nisi alicubi aliud sit in vsu, vti in Italia. Ita  
Toletus.*

*Ex contractibus ex dolo nullis debetur ne gabella? Deberi  
Molina docet.*

*Debent ne Mendicantium bona? Exempta planè ab om-  
ni exactione non solum bona sed & coloni, arrendata-  
rij, & negotiorum gestores ex Pio V.*

*Imponitur ne iuste tributum alicui Regno propter bella, &  
sumptus,*

*Exam.V. De statu sec. seu de Tributis, &c. 669*

*sumptus, quos Rex in aliis sustinet Regnis? Affirmant Vasquez & Turrianus iuste imponi. Nonne Regis ubique incolumitas proprij est obligatio Regni?*

*Quando antiqua tributa, aut patrimonium sibi assignatum Regi non sufficiunt, potest ne noua tributa imponere? Vasquez asserit posse; quia Rex, vel supremus Princeps habet ius assignandi iustam pecuniæ summam quæ regis dignitati, & Regno administrando sufficiat, vnde potest imponere noua tributa, vel antiqua augere*

*Quid si Rex sua culpa in egestatem incidisset? Asserit Vasquez posse iuste tributum imponere; quia non est ex usu Regni Regem esse inopem.*


*In dubio negatiuo circa iniustitiam tributorum, quæ de nouo imponuntur debeo ne soluere? In conscientia non debere Molina asserit.*

*Qui imponunt gabellas super rebus quæ emuntur non ad negotiationem, sed ad vsus vitæ necessarios, incidunt ne in excommunicationem Bullæ Cane? Negatiuè respondeo cum Suario? quia hæ gabellæ non sunt iniustæ, cum in illis, quantum fieri potest, seruetur æqualitas.*

*Certò scio non impendi gabellam in rem, ob quam imposta est: teneor ne adhuc soluere? Non teneri affirmat Filliutius.*

*Tenantur ne ad gabellam pœnam soluentes: Non teneri idem Filliutius docet. Affirmo teneri, quando in conscientia illorum id relinqueretur.*





## EXAMEN VI.

De statu seculari circa Materiam de Iudice,  
Teste, Reo, &c.

## CAPVT PRIMVM.

*De Iudice.*

41.  
Index.

**P**otesť ne Iudex sine competenti potestate iudicare? Equidem competens potestas in iudice requiritur. Ideo vsurpatione iudicij omnes illi peccant, qui iudicant eum, qui non est vel absolute eorum subditus, vel non in iis causis, in quibus eum iudicant. Quæ quidem vsurpatione iudicij ex suo genere mortale peccatum est.

*Impedit ne excommunicatio iudicium? Non, nisi denunciata sit, vel ex publica Clerici percussione procedat.*

*Crimen quod ipso iure priuat titulo annullat ne iudicium? Non, dum priuatio ea occulta sit.*

*Valida ne sunt acta à iudice habente titulum coloratum? Ita quidem. Nec tantum id verum puto de iudice ordinario, verum etiam de delegato.*

*An iudicia per tyrannidem nulla reddantur? Minime; peccat tamen tyrannus vsurpando sibi iudicium. Monuerim sermonem esse de tyranno quoad vsurpationem potestatis, non quoad usum tantum regiminis.*

*Reum legitime rogatum priuata scientia iudex nouit innocentem: potest ne eum morti addicere? Tentandæ omnes viæ vt eum liberet. Quod si non sufficiat, ex duplici sententia, altera asserente, quod condemnare possit: altera, quod non possit, sequi potest quam maluerit, vtramque enim probabilem iudico. Quid in praxi? Ea incunda ratio erit,*

erit, vt si iudici magno damno sit, officio esse priuatum, non teneatur deponere, sed condemnare possit, si modò ante superiorem iudicem adeat, & protestetur de innocentia; si verò non magnum incommodum sequatur iudici ex officij depositione, tunc deponat, & ab innocentis cæde absteineat.

*Potest ne reus aut non auditus, aut ex priuata sententia condemnari?* Minimè planè siue ab inferiore, siue à superiore iudice, qui iuxta allegata debet iudicium ferre. At si Respublica eiusmodi potestatem det, posset Princeps ex priuata scientia condemnare. At non auditum & non citatum nec Princeps condemnare potest ordinariè.

*Iuxta quasnam leges iudex debet iudicare?* Iuxta eas, quæ ius naturale contineant: & eas, quæ positium ius respiciunt, nec legi naturali, aut Diuinæ repugnant.

*Quotnam viis contra delicta procedi potest?* Tribus, Accusatione, Denunciatione, Inquisitione. Praxis tamen tribunalium duos tantùm modos vsurpat ex officio, & ad instantiam partis. Porrò inquisitio triplex, omnino generalis, omnino specialis, & mixta. Ad generalem præuia infamia necessaria non est; in ea interrogati occultos criminosos manifestare non debent. Si delictum manifestum sit, iudex inquirere potest generaliter, quis author fuerit: nec reus socios, nec interrogati veritatem fateri tenentur. Specialem præcedere debet infamia, & eiusmodi consuetudo rationabilis censenda est, modi autem inquisitionis faciendæ plures sunt. Indicia dicuntur ea quibus author delicti cognoscitur. Semiplena sufficiunt ad torturam. *Si nihil reus confessus sit potest ne sæpius torqueri?* Non, nisi grauissima essent indicia. Post tertiam autem vicem amplius torqueri non potest.

*Quid si iudex ordinem iudicij non seruet?* Ad restitutionem tenetur, nisi alia via iuridicè damnari potuisset.

## CAPVT II.

*De Accusatore.*

42. *Accusa-  
tor.* **Q**uid est *Accusatio*? Delatio rei de crimine in libello  
accusatorio, ad publicam vindictam facta. Eius  
solemnitas tribus continetur. 1. Ut fiat in scriptis,  
sufficit tamen verbalis ex consuetudine. 2. Ut in li-  
bello exprimantur nomen aecusatoris & accusati. Spe-  
cies delicti, locus & tempus. 3. Inscriptio delicti. Por-  
rò fraterna admonitio plerumque necessariò præmit-  
tenda non est.

*Ad Accusationis iustitiam quotnam cauenda?* Tria, calum-  
nia, tergiuersatio, & præuaricatio.

*An poenâ talionis Accusator puniendus?* Huiusmodi pœ-  
na iam desuetudine est abrogata. Certè Accusator erro-  
re deceptus talionis pœna puniendus non esset.

*Affectus iniuria potest ne omittere accusationem?* Licita qui-  
dem est, sed laudabiliter ille eam potest omittere; ne  
locus vllus vindictæ affectui dari videatur.

*Teneor in causa civili accusare ex præcepto?* Non teneris;  
aliquando autem obligari potes siue ob publicam siue  
ob priuatam proximi vtilitatem, cuius alia via ius de-  
fendi non potest.

*Num tenear crimen iam factum accusare?* Minimè; si  
autem faciendum sit, tunc obligatio accusandi quan-  
do in damnum tertij; aliàs non obligaris.

*An contra iustitiam delinquat, qui non accusat, cum tenetur?*  
Priuatus non, officiales autem de iustitia tenentur. Qui  
verò officiales efficiunt, vt non accusent, tenentur ad  
damnum Reipublicæ illatum, aut tertix personæ ex illo  
crimine: non autem ad pœnam, quam soluissent delin-  
quentes, si accusati fuissent.

*Est ne quando, nec posito præcepto denunciare teneor?* Hos  
casus exhibeo. Vel quando crimen huiusmodi est, vt  
illud

illud denunciare non teneamur, nisi correctione fraterna præmissa: tunc enim addito etiam Superioris præcepto sub excommunicatione, prius frater corripiendus est, qui si emendatus non fuerit, denunciabitur. Vel quando quis habet rem furto sublatam, vel ex fure cognoscens unde illa sit, non tenetur vi edicti eam manifestare; neque enim cum tanto incommodo, & periculo obligatus est. Vel quando priuatim quis crimen nouit, & scit reum probè nosse, nulli alteri esse notum, non tenetur denunciare, nisi in perniciem Reipublicæ redundet. Vel quando Superior iubet delictum manifestari vel ad emendationem delinquentis, seu satisfactionem partis, seu ne malum proximo inferatur, & peccator iam emendatus sit, & reliqua cessent, denunciandi nulla erit obligatio; Similiter si absque causa, proximi sequeretur infamia. Vel quando Superior ad delictum aliquod occultum paucis notum puniendum procedit, nemo tenetur denunciare; si pauci illi neque probare possint, neque infamia specialis de authore, neque sufficientia indicia, aut semiplena probatio habeatur. Vel quando quis nouit crimen sub secreto naturali, videlicet vt consultor, aduocatus, &c. non potest manifestare, etiam si delicti infamia præcedat, & semiplena probatio. Vel quando quis rem alienam in debiti sui compensationem accepit, edicto ad manifestandum obligari non poterit. Denique nemo cum graui incommodo vitæ, honoris, rerumque suarum manifestare tenetur. In iisque iurare potest, se nescire, cum mentali restrictione.

*Edictum indicatur ad veritatem criminum indagandam: quandiu durat? Duratio huiusmodi edictorum ex verbis attendenda. Quod si delicta iure naturæ denuncianda sint, tandiu durat obligatio, quandiu necessitas est boni communis, vel particularis, ratione cuius illa obligatio vim habet.*

*Quænam persone ab accusatione sunt repellendæ? Aliquis repellitur in proprii peccati pœnam, v.g. excommunicatus,*

674 *Moralis Theologia Tract. VI. Status,*  
nicatus, infamis, &c. Aliquis ob decentiam, v.g. Superioris respectu subditus, vt filij, serui, &c. Aliquis ob decentiam status, v.g. Clericus.

---

C A P V T III.

*De Teste.*

43.  
*Testis.*

**Q**uandonam Testis veritatem fateri teneatur iudicè interrogatus? Quinque in casibus tenetur. 1. Si author laboret infamia. 2. Si damnum Reipublicæ aliter auerti non valeat. 3. Si priuato etiam immineat. 4. Si delictum sit femiplenè probatum. 5. Si procedatur via accusationis, & delictum plenè probari possit, testis vocatus testari tenebitur.

*Quandonam autem non tenetur fateri veritatem? Sex in casibus.* 1. Si tantùm ex Sacramentali confessione sciat; 2. Si sub secreti naturalis sigillo, nisi in damnum tertij vergat. 3. Si author non laboret infamia, nec aliud timeatur. 4. Si accepit à personis non admodum fide dignis. 5. Si ex testificatione testij ipsi damnum immineat. 6. Si procedatur via accusationis, & testis videat rem probari non posse.

*Quid si iuramento apposito cogatur? Quando non tenetur absque iuramento reuelare, nec etiam tenetur, si iurasset, modò mentali restrictione mendacium effugiat.*

*Quandonam legitime interrogatur testis? Cùm legitimus iuris ordo seruatur.*

*Testes non idoneos annumerat.* Filius contra patrem testis non est. Singularis plenam probationem non facit, nec ad hæresim, sufficit tamen ad indicia. Testes de audita fatis non sunt, nisi delictum in voce consistat. Sibi contrarius legitimus testis non est.

*Standum ne testis responsioni in iudicio? Ita plarè, nisi plures coniecturæ sint pro asserto extra iudicium.*

*Quoniam*

*Quotnam testes requiruntur ?* Duo, & satis sunt, vt iure gentium receptum iam est; quod autem duo vltra accusatorem esse debeant, de humano iure tantum est.

*Quid, quando testes discordes sint ?* Si sint in substantia discordes testes actoris, & rei, iudicandum pro reo; si discordes sint in accidentibus, iudicis prudentiæ relinquitur.

*Tenetur ne aliquando quis sese offerre in testem ?* Non vocatus obligari aliquando potest ad se offerendum tam in Ciuilibus, quàm in Criminalibus. v.g. quando vel innocens perit, quem meo possim testimonio defendere, vel à proximo iniuste bona auferuntur, quæ non possit alia via recuperare.

*Testificans falsum quanto sese polluit delicto ?* Cùm iuridicè non proceditur, falsum testificari, veniale peccatum est, modò iuramentum absit; mortale verò cum iuridicè. Testificans falsum ex ignorantia probabili, vel non culpabili inaduertentia, non tenetur ad restitutionem damni ex eo secuti. Testificans falsum scienter, tenetur ad damni restitutionem & ad retractationem etiam cum periculo vitæ, si simile damnum reo timeatur.

*Qui testificari non vult tenetur ne ad restitutionem ?* Minimè. *Quid si fugiat citatus ?* Neque tenetur; agere tamen potest contra charitatem.

---

C A P V T IV.

De Reo.

**L**icet ne reo crimen occultum ad sui defensionem detegere? 44.  
Nec contra iustitiam, nec contra charitatem esse *Reus.*  
existimo: quinimò si fiat cum moderatione inculpara  
nullum peccatum esse assero; quia licet vexationem  
redimere.

*Est ne contra iustitiam accusatori calumnie crimen imponere ?*

676 *Moralis Theologiae Tract. VI. Status,*  
*nere?* Si falsum crimen, vel occultum reo obiciat, non  
erit contra iustitiam calumniae crimen accusatori im-  
ponere quia vim vi licet repellere; ac contra charita-  
tem aliquando esse posse *Filius* affirmat.

*Tenerne semper veus fateri veritatem?* Non tenetur, cum  
iuridicè non interrogatur: aut cum dubitat de iuridica  
interrogatione. Tenetur verò si iuridicè interrogetur, &  
id illi notum sit. Probabile tamen est nec cum iuridicè  
interrogatur, veritatem fateri teneri in grauioribus poe-  
nis corporalibus, vt morte, mutilatione, &c.

*Obedire ne tenetur per iniustam sententiam damnatus?* Non  
teneri in conscientia affirmo. Tamen per vim non po-  
test se defendere. Fugere quidem potest è carcere, etiam  
post sententiam, si mortem, aut mutilationem timeat.  
Effringere carcerem etiam potest, & custodes datà pe-  
cunià decipere, & aliis modis periculum euadere. *Alij*  
*ne auxilium illi possunt impendere?* Ita planè, non tamen  
ministri publicæ potestatis, nec alij specialiter prohibi-  
ti; quia Magistratus cui inseruiunt debent gerere mo-  
rem. Profectò illi, quibus licet auxilium dare ad fugam,  
non licet carceres effringere.

---

## C A R V T V.

### *De Aduocato, Procuratore, & Notario.*

45. *Aduoca-*  
*tus, Pro-*  
*curator,*  
*Notarius.* **P**ossunt ne aduocare quicumque sese huic muneri ingerere vo-  
luerint? Non omnes possunt aduocare, v. g. qui ob  
impotentiam, vel defectum, vel indecentiam. Munus  
graue aptum exigit ministrum. *Quotnam in Aduocato re-*  
*quiruntur?* Quatuor, scientia conueniens, fidelitas, iusta  
causa, & iustum pretium. *Qui scienter iniustam causam de-*  
*fendit?* Ultra mortale peccatum, ad restitutionem quo-  
que tenetur. *Si dubia causa probabilis sit?* Suscipi potest.  
*Si pretium taxatum est?* Ultra non licet; si autem non est  
taxatum,

taxatum, satis est iustum naturale. Tenetur ne pauperibus gratis patrocinari? Ita quidem; etsi sit extrema, aut grauis necessitas etiam cum suo incommodo tenetur; si communis necessitas, non tenetur huic, aut illi in particulari; si autem possit sine graui suo incommodo, aliquando tenetur.

Quotnam in Procuratore conditiones? Etiam quatuor exiguntur. Scientia, Diligentia, Veritas, & Iustitia.

Quotnam denique in Notario? Quinque, scientia, obligatio ad res sui muneris peragendas, veritas & fidelitas, & iustitia tum in conficiendis instrumentis iustis, tum in iusto pretio ob laborem suum accipiendo.

C A P V T VI.

Praxis circa pradiſta ex Societatis  
IESV schola.

**L**icet ne appellare tam in causis capitalibus, quam civilibus? Licet, etiam si inferior ille iudex sententiam tulerit iuxta probabiliorem opinionem; iudex enim Superior ad quem appellatur potest iudicare secundum opinionem probabilem, relicta probabiliore. A me Turrianus.

Plures litigantes liti expeditionem expectant, Petrus munus offert iudici ex pacto breuioris expeditionis: rogo, an delinquat iudex, si quando litigantes aequali iure temporis gaudent, Petri causam ante alios expediat? Laymanus non peccare asserit quia spectato naturali iure aliis non irrogat iniuriam. In gratiam verò Petri remuneratoris suscipit nouam obligationem expediendi causam ipsius ante alios, quæ obligatio videtur pretio æstimabilis. Igitur quod ex naturali iure cuilibet litigantium poterat exhibere, Petro muneris gratia voluit exhibere. Addo ex Molina iudicem secluso scandalo, & periculo iniustitiæ posse

46.

De iudi-  
ce.



678 *Moralis Theologiae Tract. VI. Status,*  
accipere, nec teneri restituere id, quod à litigantibus  
accepit, si datum sit instar muneris liberalis, ut maiorem  
solito diligentiam in causa adhibeat.

*Circa litem hanc ea est varietas sententiarum, ut possit iudex  
utramlibet partem in iudicando sequi: vnus litigantium, vti  
gratum magis sibi conciliet ei offert munus: requiro, num peccet  
iudex contra iustitiam illud accipiens, ut sequatur hanc partem  
potius, quàm illam? Ex sententia Lessij respondeo non  
peccare contra iustitiam; quia processit id tantum iu-  
re naturæ spectato, quando est quæstio iuris, non  
facti. Porro hæc omnia iure sunt positio pro-  
hibita.*

*Potest ne iudex in sententiis ferendis opinionem probabilem  
relictâ probabiliori sequi? Castro Pallaus posse docet, imo  
contra propriam opinionem, dummodo probabilitas  
sit circa ius, non verò circa factum; nam circa factum  
tenetur probabiliosem sequi.*

*Potest ne iudex in causis criminalibus opinionem probabilem  
sequi in fauorem rei, relictâ probabiliori in fauorem Escei, & ac-  
cusatoris? Salas asserit non solum sequi posse, sed etiam  
debere; quia in criminalibus ad condemnandum reum  
debent probationes esse luce meridiana probabiliores  
l. sciant cuncti, Cod. de probat.*

*Est nelicitum aliquid donare concubine iudicis, ut apud  
illum intercedat, quando negotium est graue, nec alia apparet  
via, quâ possis illum ad tuum ius seruandum insectere? Pallaus  
sentit posse me sic meam vexationem redimere.*

*Iudex secularis secretò informationem faciens contra Eccle-  
siasticum in causa criminali, cum intentione illam postea presen-  
tandi Prælato, violat ne Ecclesiasticam immunitatem? Violare  
existimo cum Filliutio; quia se immiscet Ecclesiastico-  
rum criminalibus causis, quod ad excommunicationem  
incurrendam sufficit.*

*Quinam est competens iudex adulterij ad pœnam sanguinis  
imponendam? Solus iudex secularis; quoad alias verò  
pœnas, est mixti fori. In causa verò diuortij solus Eccle-  
siasticus iudex est competens ad cognoscendum de  
adulterio.*

adulterio. Imo si de sola separatione ad tempus ob le-  
pram, vel aliud impedimentum agatur solus Ecclesia-  
sticus iudex competens est. Sic Sanchez.

Potest ne iudex secularis laicum cogere ad condonandam  
obligationem iuramenti, metu, aut iniuria extorti? Posse exi-  
stimo cum Molina, si id, de quo agitur ad forum se-  
culare pertinet, & non est dubium de turpitudine re-  
cipientis.

Debet ne aliquid Accusationem præcedere? Inscriptio  
equidem præcedere accusationem debet, litem verò ci-  
tatio. Sic Saa. 47.  
De Accu-  
satore.

Accusandi ius habens, tenetur ne prius fraternè corrige-  
re? Non teneri idem Doctor affirmat. Adicio, si à  
iure suo cum incommodo ob fraternam monitionem  
casurus sit.

Potest ne accusator cum Reipublicæ damno à causa desistere?  
Minimè.

Crimen est notorium, & publicum, sed ignoratur author: testis  
interrogatus à iudice tenetur ne respondere? Negatiuè respon-  
deo cum Turriano; Quia dubium est, an iudex legitimè  
interroget, & probabilis sententia asserit ipsum non in-  
terrogare iuridicè, ac proinde ipsum non esse hoc in  
casu Superiorem. Erit igitur testi liberum vel manifesta-  
re, vel occultare veritatem iuxta probabilitatem vtrius-  
que opinionis. 48.  
De Teste

Tenetur ne testis denunciare crimen, quando scit nullum alium  
esse contestem? Ex Lessij sententia probabile est non tene-  
ri; quia ex sola ipsius depositione non potest reus con-  
demnari, sed tantum torqueri. Scio Azorium contrarium  
probabilius reputare, cui quidem adhæreo.

Quis falsum testimonium dixit, ratione cuius mors vel mu-  
tilatio alteri est inferenda; tenetur ne sua dicta retractare, si  
id profuturum putet, & si ipse similem pœnam timeret? Te-  
netur planè; quia in pari damno melior est condi-  
tio innocentis. Aliud esset, si tale testimonium ex  
ignorantia non culpabili moraliter dixisset. Lessium  
sequor.

49.  
De Reo.

*Licet ne condemnare eum non adhibitis requisitis solemnitatibus? Minimè licere Azorius docet; cùm enim sententia sit publica, ex priuata notitia ferenda non est, sed ex publica in iudicio habita. Quid si crimen sit omnino publicum, (vt cum latro in flagranti delicto comprehenditur?) Potest reus absque citationibus condemnari. Ex publico supplicio periculum est. Occultè tunc potest occidi.*

*Reus tantùm indiciatus ad torturam, potest ne condemnari per sententiam iudicis ad trivemes, antequam audiatur, & ei detur terminus ad se defendendum? Non posse assero cum Lessio; quia defensio ita competit reis de iure naturali, & diuino, vt Princeps etiam de absoluta potestate eam illis non possit adimere.*

*Sunt ne aliqui casus, in quibus Princeps possit adimere huiusmodi reis potestatem? Ex Lessio & aliis hocce recenseo. Quando delictum est notorium. Quando timetur populi tumultus, & his similibus.*

*Reo non innotescit testium depositio: tenetur ne iudici respondere? Non teneri affirmo cum Sanctio; quia ei non constat, num iuridicè interrogetur.*

*Crimen non est plenè probatum: scio ad mortem vitandam, seu mutilationem reum legitimè interrogatum non teneri veritatem aperire: vogo num idem dicendum quando agitur de pœna proscriptionis, trivemium, & confiscationis omnium bonorum, aut aliquo graui alio dedecore? Ita planè. At si delictum plenè probatum sit, tenetur reus ad mentem iudicis respondere.*

*Reus legitimè interrogatus à iudice metu mortis negat veritatem: tenetur ne Confessarius ei præcipere, vt dictum suum retractet? Ex sententia Sanchez non teneri assero; quia esset cogere eum ad se prodendum. Imò neque reus tenetur manifestare veritatem iudici, non solum quandiu iudicium durat, sed neque post iustè latam mortis sententiam. Debet tamen habere voluntatem vero respondendi, si iterum interrogetur. Sed Confessarius non facilè debet hanc obligationem in particulari proponere, ne noui peccati illum exponat periculo.*

Reus

Reus iuridicè interrogatus negat delictum, ex cuius commissione penam pecuniariam tenebatur exolvere: est ne restitutioni obnoxius? Cum Vasquez negativè respondeo; quia reus tali in casu iustitiam publicam, & vindicativam lædit; non autem commutativam, ex qua obligatio restitutionis exoritur.

An id verum, si crimen negans falsis testibus se defenderet? Sanchez idem respondendum esse affirmavit.

Captivi alij aperto carcere fugiunt, quando reus licitè, & effracto illo aufugit: num ex eo delinquant, ad restitutionemve teneantur? Reginaldum sequutus negativè respondeo; reus enim vitur iurè suo, quod habet ad vitam tuendam.

Potest ne procedi adversus reum sine accusatione præmissa? Minimè, uti Valentia ait, vel infamia, quæ est velut accusatio, nisi Princeps aliud iubeat, aut scandalum magnum, aut periculum postulet. Equivaleret accusationi facti evidentia, & manifesta indicia. Porro tum proceditur contra aliquem via accusationis requiritur semiplena probatio; cum autem per viam inquisitionis, infamia, vel indicia sufficientia iudicis arbitrio. Certè vnus testis omni exceptione maior semiplenè probat. Consuetudo autem iudicum procedendi non secundum omnia à iure requisita adversus reum tolerabilis ne est? Afferit ex Soto Saa vim legis obtinere.

Quandonam potest reus de sociis criminis interrogari? Non potest de occultis sociis nisi in crimine nimis pernicioso, v.g. maleficio, proditione, crimine adulterandi nummos, hæresi, uti Toletus afferit; aut lege, seu consuetudine rationabili id concedente; aut requirente id damno alicuius, quod aliter non possit impediri. Nec sociorum relatio tormentis extorquenda, nisi sint indicia sufficientia, quod habeat socios.

Quid de Tortura rei? Torqueri non potest minor quatuordecim annis, nec gravidâ, neque qui est in dignitate, aut nobilis, aut Doctor. Ad torquendum reum per viam accusationis requiritur semiplena probatio;

682 *Moral. Theologia Tract. V. Virtutes,*  
vel clara indicia legitime probata; per viam verò in-  
quisitionis clamorosa insinuatio per testes legitime  
probata.

*Quid de rei appellatione?* Qui appellauit non censetur  
damnatus. Cùm prohibetur appellatio, intelligitur quæ  
non est iusta. Quilibet etiam Religiosus potest à sen-  
tentix grauamine appellare. Quilibet potest appellare  
ad Papam. Appellandum planè intra decem dies post  
sententiam; non currit autem tempus datum ad pro-  
sequendum appellationem durante partium composi-  
tio ne seu consensu. Potest quisque appellare pro eo qui  
ad supplicium ducitur. Appellatione pendente nihil  
innouandum. Si autem appellatio non possit fieri co-  
ram iudice, fiat coram Notario, & vno saltem honesto  
viro. Sic Saa.

§ 0. *Potest ne Aduocatus cogi per iudicem patrocinari litiganti?*  
De Ad- Publicum Aduocatum cogi posse Saa affirmat, accepto  
uocato. tamen competenti stipendio.

*Aduocatus ne potest esse iudex in causa, cuius fuit patronus,*  
*etiam altera parte inscia?* Affirmat Pallaus, modò sententiam  
ferat secundum leges, nullo habito ad affectionem car-  
nalem respectu.

*Causa dubia non est: potest ne Aduocatus patrocinari?* Quan-  
diu causa est dubia, patrocinari potest: quo autem tem-  
pore tenetur scire esse iniustam, de damno tenetur, vt  
Emanueli placet.

*Aduocare ne potest coram iudice seculari Religiosus?* Filliu-  
tius asserit aduocare posse ob Monasterij necessitatem.  
Addo imperante Prælato.

*Potest ne ancipitem causam tueri?* Non potest in re graui  
honoris, aut vitæ; quia melior est conditio possi-  
dentis. At in re parum graui expressa causæ imbecil-  
litate clienti, sine mendacijs posse idem docet  
Emanuel.

§ 1. *Procurator ad negotia, potest ne alium procuratorem institue-*  
De Pro- re? Posse asserit ex Syl. Saa  
curatore. *An sint valida acta per Procuratorem, dum facultatem*  
*remocatum*

*Examen VII. De Statu Religioso.* 683  
venocatum esse ignoratur? Valida planè esse affirmavit  
Molina.

Procuratoris munus maturam ne requirit aetatem? Posse quem  
Procuratorem in iudicio esse ante vigesimum quintum  
annum Emanuel Saa affirmat. Qui addit in causis spiri-  
tualibus laicum etiam posse esse Procuratorem; item  
non posse Procuratorem de quota pacisci.

Potest ne laicus in Ecclesiastico foro Tabellio esse? Ita planè.  
Tabellio fit Clericus, aut Religiosus: num perdit officium? Haud  
ipso iure perdit, interdicitur tamen communiter vsus.  
Sic Saa ex Panormit.


Potest ne Tabellio extra suum territorium instrumenta confi-  
cere? Minimè, nisi sit creatus à Principe.

Rogatus Tabellio tenetur ne instrumentum confiscare? Tenetur  
equidem; quia id iuramento promisit.

Tabellio non potest adiri: quidnam præstandum? Eius vicem  
supplent duæ personæ honestæ.

Imperitus Tabellio est. De damnis ex imperitia culpabili  
obortis tenetur.

Quis Notarij munus apud visitatorem exerit; potest ne ali-  
quid accipere à visitatis? Si de eius familia non est, nec  
habet salarium ex publico, potest accipere, modò aut  
statuto, aut consuetudine non prohibeatur. Ita quidem  
Emanuel.




## EXAMEN VII.

Circa materiam de statu Religionis.

---

### CAPVT PRIMVM.

*De essentia status Religiosi.*

 *Vid est Religionis status? Fidelium ad Christianam perfectionem tendentium editis votis, perpetuæ* *Religio- nis.*

V. v. s. paupertatis,

52.  
De Ta-  
bellione.

53.  
Status

684 *Moralis Theologia Tract. VI. Status.*  
paupertatis, castitatis, ac obedientiæ stabilis in communi modo viuendi modus ab Ecclesia approbatus. Dicitur quidem perfectionis status non eo sensu, quod omnes Religiosi perfecti esse debeant, sed ad perfectionem tendere.

*Num debeat esse approbatus à Summo Pontifice Religiosus Ordo?* Ita planè; quia Ordo Religiosus est sacer quidam coetus habens spirituales iurisdictionem, quæ ab Ecclesiæ Prælati, præcipuè à summo eius capite Romano Pontifice debet provenire.

*Quidnam ad status Religiosi essentiam requiritur?* Trium votorum editio siue solemnium, siue simplicium, dummodò Ecclesiæ autoritate acceptentur. Hinc colligo Ordines Religiosorum licet inter se differant accidentaliter regularum suarum discrimine, tamen in essentialibus conuenire.

*An nostræ Societatis filij tria simplicia vota edentes veri sint Religiosi?* Quis abneget cum sese Societati dedicent, & actu tradant quantum ex parte ipsorum irrevocabiliter. Possunt tamen dimitti Superiorum autoritate ad eum modum, quo serui manumittuntur, licet ipsimet discedendi careant libertate. Ante dimissionem autem inualidè contrahere matrimonium certum omninò Ecclesiæ præscriptione.

*Qui in Ordinibus militaribus castitatem non absolutam, sed tantum coniugalem vouent; sunt ne Religiosi proprie?* Minimè: secus milites Sancti Ioannis & Ordinis Teutonici, qui tria vota substantialia absolutè edunt.

*An Religiosi, qui editis votis perpetuæ castitatis, ac paupertatis obedientiam vouent Episcopo, aut Confessario?* Non; quia talivoto non subiiciuntur spirituali iurisdictioni Ordinis.

*Num Summus Pontifex possit in solemnibus votis dispensare?* Potest adedò vt aliquis Religiosus esse desinat; nam cum possit in simplicibus consequenter potest in solemnibus; quia solemnitas votorum Ecclesiæ inuentura est.

Quis Religiosus ad Cardinalatum, aut Episcopatum promovetur: manet ne essentialibus votis Religionis obstrictus? Ita equidem licet quoad aliquos effectus paupertatis, & obedientiæ exemptus per accidens censeatur: quia nihilominus manet sub Summi Pontificis obedientia, qui omnium Religionum caput.

Religiosus factus Cardinalis aut Episcopus debet ne servare suæ Religionis præscripta? Debet saltem ex moralis honestatis obligatione ea scilicet, quæ cum dignitate sua potest consistere, v.g. habitum suæ Religionis deferre. Porrò Religiosus ad secularem Parochiam promotus habitum suæ Religionis deferre, & alia præscripta Regulæ, quatenus cum munere, & laboribus suis consistere possunt observare debet etiam sub culpæ obligatione, si Regula Ordinis ita præscribat. Qui quidem Religiosus dum Parochiam secularem administrat, in plerisque Dioecesis Episcopo subiicitur: verum in his quæ ad regulam Ordinis spectant. v.g. vt gestet habitum, videtur Abbati, seu Præposito Monasterij manere subiectus.

Quot sunt Regule religiose? Quatuor, S. Basilij, S. Augustini, S. Benedicti, S. Francisci, sub quibus omnes Religiosi viuunt, præter Carthusianos, & Societatem IESU, qui quidem Ordines propria statuta habent.

Compara Religiones inter se. Perfectò omnis variorum Ordinum diuersitas, vt inuimus, accidentalis est; quia omnes variis mediis ad Christianam perfectionem tendunt, quæ in charitate, & coniunctione cum Deo consistit. Triplex Religiosorum vita Contemplatiua, scilicet vacans Deo per contemplationem, & orationem: Actiua, seu vacans proximo propter Deum per opera misericordiarum tum corporalia, tum spiritualia: & Mixta ex utraque. Cuiuscumque Religionis perfectio attendenda est tum ex fine eius proprio, tum ex mediis, quæ ad hunc ipsum finem, & tria substantialia vota implenda, ac denique charitatis perfectionem consequendam conuenienter adhibet.



## CAPVT II.

*De Religionis ingressione & abscessu.*

54.  
Ingressus  
Religio-  
nis.

**V**oui me Religionem ingressurum : quidnam præstare debeo ? Moralem diligentiam adhibere , vt in aliquo Ordine suscipiaris , tui voti spectata conditione. In mea prouincia pluribus aditis Monasteriis non recipior : sed tamen spero alibi suscipiendum : num extraneas terras adibo ? Ex circumstantiis equidem personæ vouentis colligendum est , vtrum obligationem te conferendi ad alias terras suscipere intenderis ; quia masculi solùm intentionem habere censentur ad monasteria suæ patriæ : foeminae verò ad monasteria vicina propter cognatorum commoditatem. Si in ordine laxiori non recipior , teneor ne ad strictissimum : v. g. Cappuccinorum ? Minimè ; præcipuè si delicatus sis ; quia in generali promissione non obligaris ad ea , quæ in specie promissurus non fuisses.

*An sub generali voto Religionem ingrediendi, non Claustralis equitum militarium comprehendendi videatur ?* Non ; quia strictè Religio non est , quæ tribus substantialibus votis absolute non illigatur.

*Voui certam Religionem, & in vno Monasterio repulsam tuli: debeo ne alia eiusdem Ordinis adire Monasteria ?* Ita quidem ; si spes sit suscepturum iri ; secus si certi Monasterij ingressum speciali ex causa vouisti. Passus quidem repulsam fui non semel ; sed Religiosi postea mutata voluntate me recipere volunt. Ingredi teneris ; quia votum Religionis in Dei honorem editur , vouentisque spiritualem utilitatem ; non autem in fauorem Religionum , vt hi iuri suo renunciantes vouentem obligatione sua liberare possint.

*Voui me , in Religione laxa professurum , possum eligere strictiorem ?*

*Fiorem? Potes. Et si strictiorem voti, & laxiorem ingressus sum? Peccasti; quia minus præstas, quàm promiseras. Num tamen valida est professio? Valida est; quia votum solemne, in quo personæ traditio fit, & Religioni ius in ipsam acquiritur, derogat priori simplici voto, per quod nullum tale ius strictiori Religioni acquisitum erat.*

*Voti ingredi, & experiri Religionem strictiorem: possum ne commutare in votum profitendi laxiorem? Potes; quia votum perseverandi in laxiori melius est, & plus obligans, quàm votum tantùm ingrediendi, & experiendi.*

*Potest ne professus unius Ordinis ad alium strictiorem transire? Potest, petita tamen, ne bonum obedientiæ contemni videatur, licet non obtenta sui Prælati licentia. Mendicantes quidem non possunt ad alium Ordinem non mendicantium transire (excepto Carthusianorum) sub excommunicatione Papæ reservata: & licet cum licentia Papæ, seu Ordinis transeant, non tamen habent vocem in Capitulo, nec administrationes, nec Prioratus, nec officia consequi possunt.*

*Quenam Religio strictior habetur? In transitu quidem ad Religionem strictiorem attendi debet ad maiorem severitatem externam præsertim circa silentium & solitudinem. Ut etiam optimè Baldellus adnotavit, austeritas Ordinis attendenda non est secundùm institutum regulæ, sed secundùm præsentem observationem aded, ut professus in strictiori Ordine, ubi regulæ non servantur, possit ad laxiorem transire, nisi spes sit reformationis.*

*Possunt ne Canonici Regulares ad Monachos transire, & vice versa? Possunt quidem transire ad Monachos, Monachi autem minimè ad Canonicos regulares; quia Monachorum Religio austerior est.*

*Vouit quis absolutè Religionem: quidnam censetur promississe? Nisi de alia eius intentione constet, centeri debet solùm ingressum, & probationem promississe.*

*Quid si sine*

55.  
*Professus ad alium Ordinem transiens.*

688 *Moralis Theologie Tract. V I. Status,*  
*sine iusta causa egrediatur?* Censetur contra votum peccare mortaliter; quia vouit ingredi sicut, & reliqui, vt probationis tempore videret, num possit instituti rationi se accingere.

*Consilio ingrediendi Religionem cum parentibus communicato, me volunt impedire: quid præstandum? Num ingredi licet?* Iphis inuitis licet ingredi, ac profiteri; quia sola causa, qua licitum non est obedire parentibus, Deus est.

*Quidnam debet præstare filius circa Religionis ingressum, aut egressum parentibus aut fratribus, seu sororibus in necessitate constitutus?* Si parentes in extrema necessitate sint, filius etiam professus licet Prælatus iniuriosè licentiam abneget, egredi potest, & succurrere; quia præceptū iuris naturalis, & diuini nullo voto tolli potest. Si parentum inopia sit grauis, filius ingressum Religionis differre debet, dum ipsis succurratur; quia maiore præ aliis hominibus obligatione tenetur filius ad subueniendum parentibus in graui necessitate constitutis. Quod si sororibus, aut fratribus subuenire debeat, maior debet esse necessitas, quàm parentum. Si autem editis votis filius Religiosus factus sit non potest egredi ad subueniendum parentibus in graui sine licentia Prælati; quia status religiosus id postulat.

56.  
Nouitij.

*Nouitij ne præceptis obligantur?* Regula Ordinis non ligantur sub culpa; quia adhuc eam non promiserunt; tamen iustis præceptis conuenienter eorum statui à Prælato impositis obligari videntur; quia nouitij subiciuntur spirituali potestati Prælatorum, & consequenter eorum iustis præceptis possunt illigari; alioquin tanquam vagabundi nullius proximi Ordinarij iurisdictioni subessent.

*Num Ecclesiastici fori & Canonis nouitij priuilegijs gaudent?* Ita equidem, & Prælati iurisdictioni subiciuntur.

*An Nouitius Ordines possit accipere ab Episcopo Diocesis, in qua Monasterium situm est?* Maximè; quia per ingressum Monasterij, habitusque assumptionem domicilium censetur acquisisse: ingressus est enim cum

cum proposito manendi, nisi mutatio aliqua alibi eueniat.

*Nouitius ab Ordine recedens est ne obligatus ad expensas Ordini soluendas?* Minimè; vt libera nouitijs egrediendi voluntas relinquatur, quæ quidem impedita foret, si ad soluendas expensas teneretur. Excipe nisi consuetudo sit vt de expensis soluendis pactum ineatur, qualis communiter in Monialium Monasteriis viget.

*Possunt ne Religiosi iustas ob causas per sententiam à Religione eici?* Possunt. Primò quidem in crimine notorio incorrigibiles existentes. Secundò, si ob criminis infamiam sine graui Ordinis detrimento tolerari non possint. Tertio, si quis reticeat morbum epilepticum per fraudem. Porrò Monialis incorrigibilis perpetuo carceri debet amandari.

57.  
Expulsi.

*Manet ne eiectus votis substantialibus adstrictus?* Manet, & rerum dominium non acquirit, sed solum habet vsum, & administrationem. *Quid si Religiosus eiectus alicui inferuiat Ecclesie?* Bona ab ipso acquisita ad eandem Ecclesiam debent spectare. *Fugitiuus autem bona ad quem nam pertinent?* Ad Monasterium, à quo fugit, modò illud sit capax; quia Apostatæ non sunt à iure, ac potestate Monasterij liberati.

*Eiectus per sententiam est ne omnino liberatus ab obedientie voto?* Non, licet magna ex parte eius executio cesserit, donec in Ordinem recipiatur. Vnde voto obligatus manet virtualiter.

*An eiectus per sententiam, interim monasticis obseruationibus adstrictus sit?* Probabile arbitror esse liberum; quia ex non comitantur professionem trium substantialium votorum absolute, sed quatenus seruari debent, sub regula, seu statu vitæ regularis, à qua tamen ille expulsus est.

*Eiectus ne ob crimen, debet se corrigere, ac redire, si ab Ordine recipiatur?* Ita planè; quia talis Religiosus substantialibus votis, ac religiosa professione absolutus non est, vnde tenetur sese idoneum, quatenus potest, reddere, vt  
sua

690 *Moralis Theologiae Tract. V I. Status,*  
sua vota exequi possit. Tenentur ne Praelati Apostatas, sine  
eictos recipere redeuntés, aut reducere? Non semper, praerfer-  
tim si incorrigibiles videantur: aut sine scandalo, vel  
Ordinis detrimento recipi nequeant; quia si ob talem  
causam interdum eiici possunt Regulares, multò magis  
postquam malitiosè exierint, non recipi. *Quid si eicti, &*  
*curantes vegredi, non recipiuntur?* Tutò in seculo degunt,  
cùm per ipsos non stet, quin in statum, quem vouerunt,  
reuertantur.

*Interdum Praelati ob iustam causam professum tali pacto*  
*eiciunt, vt aliam Religionem profiteatur: num talem condi-*  
*tionem professus teneatur implere?* Si acceptauit, tenetur  
planè, vel regressum ad suam Religionem impetrare.

---

### C A P V T III.

#### *De Professione, & votis substantialibus.*

58. *Professio.* **Q**uotuplex in Religione professio? Duplex, alia expressa  
verbo, aut scripto: alia tacita, v. g. si quis post an-  
num probationis professorum habitum proprium tri-  
duo gestet, vel intra triduum post probationis annum  
actum professorum exerceat, v. g. in Capitulo suffragium  
ferat.

*Potest ne probationis tempus iustam ob causam produci?*  
Potest, v. g. ob morbum aut defectum ætatis.

*Quenam necessariò requiruntur ad professionem?* Tria, Pri-  
mùm, qualitas seu aptitudo personæ vouentis, legitima  
ætate, anno exacto probationis, in habitu religioso, &  
sine impedimento substantiali. Secundum, consensus, &  
acceptatio eius, ad quem pertinet aliquem in Religione  
incorporare. Tertium, vt professio sponte fiat, non graui  
metu cogente.

*Num Religionis assumptio per tria vota substantialia ob ali-*  
*quem errorem qualitatis, aut accidentariæ conditionis infirmetur?*  
Minimè,

Minimè, sicut carnale Matrimonium. v.g. si quis simul et se sanum, cum sit leprosus: & legitimum, cum sit illegitimus.

*Requiratur ne ad professionem eam acceptari à Prælo cum consilio, imò & consensu Capituli? Ita sanè; quia professio continet in se quasi contractum & obligationem reciprocam inter profitentem & Monasterium, cui incorporatur; vnde si altera pars non acceptet, nulla oriatur obligatio.*

*Num metus annullat professionem? Metus grauis iniustus ipso iure infirmat: v.g. si nouitius carceri amandatus fuit, propterea quòd discessum petierit. Item metus reuerentialis: v.g. si consanguinci nihil subsidij præbendum minentur, si è Religione egrediatur. Quid de reclamatione circa professionis nullitatem? Post quinquennium à professionis die Religiosus foro in externo non auditur clamans professionem suam ob metum, vel aliud impedimentum irritam fuisse.*

*Quid si alicuius professio irrita ipso iure fuerit, & conetur ratificare? Subsequente expressa, vel tacita ratificatione coram prælo. usque, quorum interest, facile conualefcit. Porro qui actum ratificat scire debet eum ex iuris dispositione irritum esse; quia incogniti nulla voluntas potest esse, nec censeri possum ratificasse professionem, quam irritam esse ignorabam.*

*Ad votorum substantialium in professione emissorum tractationem veniamus. Ratione voti Paupertatis ad quidnam obligatur Religiosus? Ne quid proprium possit habere. Profectò retinet dominium hominis, & famæ, capaxque est iuris eligendi, & præsentandi beneficiatum regularem. Scholastici, & Coadiutores temporales qui vota simplicia post biennium probationis ediderunt, retinere, & acquirere possunt dominium verum radicale: v.g. hæreditatem; priuati tamen actuali iure de iis arbitrato suo disponendi. Si re ipsa inter viuos aut mortis causa de bonis disponant absque Superioris consensu? Valida videtur esse dispositio, licet ipsi contra votum paupertatis delinquant;*

59.

Votum  
Paupertatis.

Inquant; quia retinent dominium radicale bonorum, donec se ipsis per solemnem professionem abdicarint. Itaque sine Superioris consensu expresso, aut præsumpto Religiosus nullam rem pretio æstimabilem accipere, retinere, aut absumere potest.

*Quid de comestibilibus, de commutationibus, de aliisque quæ Religioso assolent circa materia paupertatis familiariter accidere?* Comestibilia accepta in notabili quantitate mortale constituunt. At in his maior quantitas requiritur, quàm in aliis quæ comestibilia non sunt. Profectò tantam materiam ad voti transgressionem grauem assigno, quantum in futo, si pecunie aliave non comestibilia pignora dentur, aut recipiantur: si autem comestibilia, fructusve consumptibiles sint, materiam aliquantulum affirmo producendam. Esculenta ex mensa pro se posita etiam auferre sine intentione procedendi ad alia usque ad materiam grauem, solummodo veniale peccatum; quod si ex intentione surripiantur huiusmodi comestibilia, materia quæ excedat notabiliter communem grauis furti materiam assignatam mortale constituet; quia amplius filio-familias Religionis concedendum, quàm extraneo! Commutatio autem rei pro re, v.g. breuiarij imagines, dummodo excessus valoris notabilis non sit, culpam venialem non excedit.

*Religiosus parca viuendo aliquid reseruat: nem sibi acquirit?* Acquit Religioni; quia ipse dominij incapax est.

*Res sibi ad usum concessas Religiosus per culpam crassam perdit: delinquit ne grauius?* Si materia sit grauis, grauius peccat; quia hic actus est proprie dominij, posse rem suo arbitratu destruere.

*Acquirit contractu, donatione, vel hereditate Religiosus?* Num sibi? Minimè, sed Monasterio planè, penes quod dominium. *Quid si Religiosus contrahat delictum ex quo sumptus oriantur?* Non obligatur Monasterium nisi quatenus consensum præbuerit influens in ipsum delictum, aut aliquod inde commodum accepit.

*Abscondit Religiosus aliquid valoris notabilis, ne Prælati habere*

habere sciat, aut auferre possit: delinquit ne contra votum paupertatis? Delinquit; quia tales sunt actus dominij independentis, seu iuris proprietarij.

Administratores, & Oeconomus Religionis quidnam dare possunt? Solum quod Ordinis regula, consuetudo, vel Superioris voluntas permittit.

Quandonam Prælati regulares contra votum paupertatis delinquant? Cùm bona Conuentus aliter expendunt, aut donant, quàm Ordinis regula aut consuetudo permittit; quia Prælati non sunt bonorum communium domini; sed solummodò administratores.

Num Religiosi possint peculium siue pusillum temporalis subsidij habere? Possunt secundùm professionem, & administrationem dependentem à Prælati voluntate: v. g. beneficium parochiale cum licentia Prælati, vestes, & alia necessaria, quæ quotannis à propinquis pro Monasterij consuetudine solent impendi. Profectò Concilium Tridentinum prohibuisse videtur, ne Religioso designentur stabiles redditus instar cuiusdam peculij, quamuis dependentis à superiorum voluntate: sed cum Laymano & aliis Doctoribus non sine probabilitate id Concilio affirmo non aduersari.

Dixisti Monasterium non teneri ex Monachi delicto: quid si peculium ille habeat? Resarciendum quidem damnum ex Monachi peculio, præsertim si extra Monasterium degat.

Potest ne Prælati religiosus licentiam dare res assumendi in usus vanos aut illicitos? Minimè; quia Prælati maiorem facultatem subdito dare non potest, quam ipse habet: cùm autem is bonorum Monasterij dominus non sit, sed administrator, ea arbitrato suo inutiliter, aut illicitè non potest expendere, ergo nec facultatem subdito concedere.

Potest Religiosus rem aliquam donatam absolutè acceptare in fauorem alterius non interueniente licentia Prælati? Peccat contra paupertatis votum. Secus si se habeat tantùm vt intercessor, elemosynarius, aut internuncius. Scio



694 *Moralis Theologiae Tract. VI. Status,*  
tamen hoc Societatis nostræ regulis repugnare; quia  
(in priori casu à fortiori) etiam in posteriori Religio-  
sus ius aliquod pretio æstimabile sibi usurpat, si accipiat  
pecuniam suo arbitratu pauperibus dispergendam, ita  
ut à dante reuocari non possit.

*Quidnam de Religioso beneficiario?* Dum beneficio poti-  
tur, administrationem reddituum habet à sacris Cano-  
nibus sibi concessam, quas ad pias causas, aut ad sui su-  
sistentationem potest applicare; quia talis natura bene-  
ficij Ecclesiastici, ut tribuat cuique ius impendendi fru-  
ctus ad vsus pios, vel necessarios. Redditus autem ex  
hoc beneficio relictus post mortem Religiosi, ad Eccle-  
siam cui inferuiuit, pertinent. Quæ autem aliunde, v.g.  
hæreditate, aut donatione, ultra beneficium acquisiuit,  
Monasterium sibi vindicare potest.

*Potest ne Religioso concedi facultas ad usum alicuius rei  
tanquam irreuocabilem?* Minime; quia voto paupertatis re-  
pugnet vsus habere alicuius rei independentem, aut  
reuocabilem à Prælato.

*Monacho legatum relinquitur ea lege, ut ad ipsum, & non  
ad Monasterium debeat pertinere: num potest eo frui?* Expli-  
cari debet voluisse testatorem, ut ad Monachum perti-  
neat cum consensu Prælati; quasi si Prælatus consensum  
neget, corrumpit legatum; quia verba testatoris intelligi  
debent secundum conditionem personæ, cui legatum  
cedit; at Religiosus aliter capax non est hæreditatis.  
Profectò Religiosus potest legatum sibi relictum Mo-  
nasterio resignare; quia in gratiam Monachi cum esset  
legatum, quisque potest suo iuri renunciare.

*Quænam Religioso proprietario pœnæ à iure Canonico decretæ  
sunt?* Prima, si absque pœnitentia mortuus fuerit, in  
loco sacro non sepelitur: aut sepultus extrahitur à tu-  
mulo. Secunda, ad agendam pœnitentiam detruditur  
in carcerem. Tertia, biennio voce actiua, & passiua  
priuatur.

60.

*Votum* Est ne aliquid circa religiosæ castitatis votum aduertendum?  
*castitatis.* Religiosus quidem contra castitatem delinquens duo  
peccata

peccata committit, sacrilegium scilicet, & impudicitiam. Recurre ad Materiam luxurix circa sextum Decalogi Præceptum sigillo 1.

Ad Obedientiæ votum accedamus. Si Prælatus in se aliquid præcipiat Religioso cum voluntate eum obligandi, peccat ille non obediendo? Ita planè in graui materia lethaliter; quia voti in re graui transgressor. Fateor planè non eandem esse in omnibus Religionibus voti obedientix perfectionem; quare nec eadem præcipiendi potestas, & obediendi necessitas est. Rarò equidem Superiores Ordinum sub culpæ obligatione præcipere aliquid censendi sunt, nisi vtantur his verbis: *in virtute sanctæ obedientiæ.*

Præcipit Prælatus Monacho austeriora, quàm regula requirit: tenetur ne obedire? Minimè; quia præcipiendi limites excedit; nec enim potest præcipere nisi quod directè, aut indirectè ad regulam pertinet.

Potest ne Prælatus propter votum obediendi in omnibus, quæ iusta sunt etiam actus internos præcipere? Possè est probabile, licet consuetum, aut consultum non sit, vt talia sub peccato præcipiantur; quia cum Prælati possint vota interina irritare, habent gubernatiuam in actus internos potestatem.

Ordinis regula sub generali obligat: v. g. regula S. Francisci imponit silentium sub peccato: num transgressio sit contra votum? Ita quidem; quia lex seu regula non minùs præceptiuà est, quàm vox Superioris, qui iuxta regulam debet præcipere.

Si Ordinis regula sub culpà non obligat eius transgressor peccat ne contra obedientiæ votum? Non; quia votum obedientiæ intelligitur de iis tantum, quæ continent propriè præceptum.

Non obligant regulæ ad culpam in aliquibus Ordinibus: v. g. Prædicatorum aut Societatis nostræ: delinquit ne qui frangit? Transgrediens bono aliquo fine, v. g. si extra tempus loquatur cum socio, non peccat. Si verò regulam violet ob torporem, aut libidinem, peccat saltem venialiter;

696 *Moralis Theologiæ Tract. VI. Status,*  
imò si quis frequenter transgrediatur, & aduertens idèd  
religiosam disciplinam grauius perturbet, mortaliter  
peccat.

*Tenantur ne Professores regulares nouam regulam, seu arctiorem  
uiuendi morem acceptave, quàm nec explicitè, nec implicitè pro-  
fessi sunt? Minimè; quia per votum obedientiæ non  
transfulerunt omnem voluntatem in Superiorem ut  
quælibet ipsis possit imperare; sed ea solùm, quæ ad  
obseruationem regulæ, quam profitentur directè, vel  
indirectè spectant. Quid si strictior obseruatio necessarium  
medium ad substantialium votorum in tali Ordine obseruatio-  
nem videatur? Imponi potest autoritate Prælatorum,  
licet eam subditi expressè non vouerint; quia talis ob-  
seruatio indirectè pertinet ad regulam.*

---

## C A P V T I V.

### *De Religiosi status prærogatiuis, & Præuilegiis.*

62. *Præroga-  
tiue Re-  
gularis  
status.* **Q**uam susceptionis status religiosi prærogatiue? Susce-  
ptio status huiusce maculas legales furti aufert,  
quoad actus temporales, ita ut damnatus de crimine  
v.g. furti, postea ad testimonium in iudicio, & similes  
actus legitimos admitti possit. *Professionis autem præroga-  
tiuas recenseas.* Per vota religiosa in gratiam constitutus  
omnium peccatorum remissionem consequitur; quia  
qui partem bonorum in eleemosynam pauperum dat,  
pro peccatis satisfacit, Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redi-  
me: ergo qui omnia sua, & seipsum diuinis tradit obse-  
quiis, plenè satisfacit. Num perfectius, & plenius, quàm per  
plenariam indulgentiam consequatur? Ita planè; quia cum  
indulgentia sit donatio quædam ex autoritate  
summi Præfulis causam concedendi iustam requirit; at  
verò ad remissionem peccatorum iunctam cum pro-  
fessio*

professione religiosa alia insuper quæ recipiat magis aut minus causa non requiritur; quandoquidem ea remissio ex natura & præstantia ipsius operis per modum cuiusdam iustæ exolutionis ex meritis Christi præmanat.

An per renouationem votorum factam bis quotannis in Societate IESV hoc beneficium possit obtineri? Cum Laymano, & aliis probabiliter affirmo; nam vota Religiosa ideò afferunt plenariam remissionem peccatorum, quia continent perfectam hominis erga Deum traditionem; cum autem hæc traditio reiterari possit, etiam remissio peccatorum iteratò valet acquiri.

Quidnam ulterius per professionem recipimus? Omnia iuramenta, & vota pia ipso iure expirant; quia per obligationem professionis religiosæ omnes hominis facultates ac vires in perpetuum, & irreuocabiliter Deo offeruntur; ideo eminenter in se continent omnes alias particulares obligationes; quemadmodum si quis erga hominem debitis quibusdam adstrictus omnia bona illi offerat. Illegitimi, & spurij absque alia dispensatione Ordines suscipere possunt, sed ad Prælaturam & dignitates promoueri non debent. Soluitur per professionem patria potestas; tamen dimissus è Societate nostra redit ad patriam potestatem, nisi sit in sacris constitutus. Tollit insuper professio ingratitude notam, ob quam hæres necessarius alioquin possit exheredari; æquum est enim, ut per conuersionem ad religiosum institutum prioris delicti macula saltem in ordine ad temporales actus, & iura expurgeretur. Professio denique solemniter dirimit matrimonium contractum, sed non consummatum; professio verò simplicium solum dirimit contrahendum.

Nym Religiosus in iudicio possit stare? Neque ut actor, neque ut reus stare potest; quia cum omne ius in monasterium transtulerit, seruo comparatur, qui in iudicio nec agere, nec conueniri valet. Excipiendus 1. Religiosus beneficiatus cum libera administratione, v. g.

698 *Moralis Theologia Tract. VI. Status,*  
 parochus. 2. Si Religiosus absens sit à Prælato, v.g. in  
 studiis, vt facillè licentiam petere non possit, & de  
 ea concedenda rationabilem præsumptionem habeat.  
 3. Si Religiosus obligationem contraxit ante Ordinis  
 ingressum. 4. Si Abbatem ex rationabili causa velit  
 accusare. 5. Monachus ob delictum conueniendus  
 est, non monasterium, sicut nec Dominus ob serui deli-  
 ctum.

*Quænam munera exercere possunt ex curia, quænamque mi-  
 nimè? Non possunt Religiosi esse Procuratores, nec ad-  
 uocati in iudicio nisi cum licentia Prælati, & vtilitate  
 Monasterij. Consilium quid secundùm iura in causa  
 agendum sit, possunt dare; quia illis prohibitum non  
 non est. Munus Tabellionis non ampliùs possunt exer-  
 cere; valent tamen illorum acta. Nec iudices esse pos-  
 sunt, nec Assessores nisi cum Prælati consensu, & in  
 causa ad vtilitatem Monasterij spectante. Prælati Ordini  
 constitui possunt iudices conseruatores. Licet au-  
 tem Religiosus non possit esse Arbitrator à partibus con-  
 stitutus, vt secundùm iuris terminos sententiam ferat:  
 potest tamen esse Arbitrator, ènpe amicabile composi-  
 tor à partibus electus; vt pro bono pacis seruandæ  
 vnius iuri demere, & alteri tribuere possit, vitata tamen  
 magna læsione. Si Religiosus absque licentia Prælati in Te-  
 stamento ad causas profanas, atque in iudicio testimonium inter-  
 ponat? Malè agit, sed interpositio testimonij vali-  
 da est.*

63. *Confessi Regularibus tenentur ne eadem peccata suis Para-  
 chis confiteri? Minimè, imò contrarium asserentes pun-  
 niendos ab Inquisitoribus tanquam de hæresi suspectos  
 Zanardus & alij affirmant.*

*Possunt ne Regulares dispensare cum coniugatis, qui incestu,  
 vel voto ad petendum debitum impediuntur? Possunt, si à  
 suis Prouincialibus ad id facultatem acceperunt. Quæ  
 quidè dispensatio extra Sacramentum dari potest. Imo  
 urgente necessitate absentibus per scriptum immitti  
 posse non improbabile ex Portello asseruerim.*

*Regulares*

Regulares in vna diœcesi approbati possunt ne in itinere confessiones in alia audire? Ita planè si non possunt facile Ordinarium adire, & Parocho minimè repugnante.

Regularis expositus ad excipiendas tantùm virorum confessiones, etiam feminarum excepit virtute Iubilei puniendus ne? Minimè; quia (vti ex Sanchez accipi) sese probabili opinioni accommodauit.

Possunt Generales & alij Prælati Religionum confessarium etiam extra Religionem eligere? Possunt, dummodò ab eorum constitutionibus & statutis hoc illis non prohibeatur. Nec Capitulum generale potest huic derogare priuilegio, ni fuerit à Papa confirmatum.

Num Prælati regulares & quilibet Religiosi facultatem habentes eligendi confessarium possunt eligere quemlibet Sacerdotem, etiam si ab Episcopo non fuerit approbatus? Possunt; quia Tridentinum nihil hac in re innouauit, sed loquitur tantùm de confessionibus secularium ad quas audiendas vult confessarios ab Ordinario approbatos accedere, vti Suarius affirmat. Imò Præpositi Regularium possunt illis quemcumque confessarium extra Religionem etiam non approbatum eligendi facultatem impertiri, dummodo constitutio Religionis aut statutum contrarium præscribat; quia qui habent ordinariam potestatem, possunt illam subito delegare.

Potest ne quis Regularem ex præsumpta Superioris voluntate absoluerè? Potest, si præsumptio fundatur in signis; quæ sufficienter præsentem Superioris voluntatem valeant indicare.

Quisnam præterea Regulares priuilegijs gaudent? Possunt vbique vti altari portatili præsertim itinerantes, non contradicente Episcopo; nec enim (vti Præpositus adnotat) à Tridentino est hoc priuilegium reuocatum. Possunt ab Episcopo ordinari extra tempora, vel etiam non seruatis interstitiis. Possunt Præpositi Religionum quæ priuilegiorum communicatione gaudent, concedere Nouitijs dimissorias, vt ab Episcopo ordinentur. Sic Suarius. Possunt item Regulares Præpositi, si Episco-

700 *Moral. Theologiae Tract. VI. Status,*  
pus diœcesis abfuerit, vel ordinationes non fit habiturus, ad quemcumque alium Episcopum subditis suis literas dimissorias concedere. Vult tamen Concilium Trident. in illis dimissoriis absentiae Episcopi diœcesani, seu Ordinationum ab eo non habendarum causam exprimi.

*Regularis scit suam professionem esse irritam: suscipit tamen sacros Ordines: quid delinquit ne? Mortaliter quidem, & suspensione afficitur; quia sine titulo patrimonij ordinatur.*

## C A P V T V.

### *De Monialium, Regulariumque virorum clausura.*

64. *Monialium clausura.* **Q**uid de Monialium professorum clausura? Eis seuerissime præcipitur, nisi ob causam necessariam licentia ab ordinario Prælato fuerit obtenta.

*Quenam causa legitima Moniali excundi? Pestis, aut lepræ, periculum incendiij; hæreticorum incurfus. An ad aërem mutandum ob morbum periculosum possit egressus permitti? Non; quia Canones sacri significant, causam ob quam egressus permitti possit, debere esse publicam. Aliter egredientes excommunicationem Papæ reservatam incurrunt.*

*Quid de ingressu intra Monialium claustra? Sub excommunicatione prohibitus est, præterquam si ob causam necessitatis licentia ab Ordinario in scriptis obtenta sit. Excipiendi pueri ante rationis usum.*

*Potest ne ingredi Episcopus? Potest ob iustam causam cum focis. Item Sacerdos ad communicandum, Medicus, Chirurgus, fabri ferrarij, & lignarij ad necessaria, alique necessarii aut aquæ asportatores, aut horti ministri. Admonuerim consuetudines de clausura Monialium,*

*Examen VII. De Statu Religioso.* 701  
nialium, & prohibitiones ingressus intra septa Monasterij non vbiq; quoad omnem modum esse receptas.

*De ingressu mulierum intra claustra Regularium virorum quid?* Non ita constat sub mortali, & excommunicatione prohibitum esse. Nam in pœnalibus nomine masculino non comprehenditur fœmininum. Porrò constitutionem Pij V. quoad prohibitionem hanc, non vbiq; receptam assero cum Laymano.

*Sunt ne certi casus, quibus mulieres seculares ad regularium virorum habitationem sine scandalo, & peccato admittuntur?* Ita quidem. 1. Reginæ cum comitatu. 2. Fundatrices Monasterij. 3. Aliæ fœminæ illustres cum comitatu. 4. In sepultura Ecclesiastica simul mulieres comitantes admittuntur. 5. Si Religiosi in residentia viuunt, Monasterio nondum constituto. 6. Honestæ mulieres, secluso scandalo, ad aulam Abbatis semotam à claustro possunt admitti.

---

## C A P V T VI.

### *De Regularium Prælati.*

**Q***uidnam possunt Abbates ex Pontificum privilegio, alique Prælati Regulares?* Abbates quidem possunt calices, campanas, altaria, vestimenta consecrare ac benedicere, non tantùm ad suarum Ecclesiarum vsum, sed etiam alienarum. Privilegium autem quorundam Abbatum minores Ordines conferendi non esse reuocatum per Tridentinum Sanchez affirmat. Possunt item Clericis secularibus sibi subditis literas dimissorias concedere. Prælati autem reliqui possunt commutare, & dispensare vota Nouitiorum: suos subditos à casibus Bullæ Coenæ absoluerè secundùm *Suarium*; imò & malè ad Ordines suè ante legitimam ætatem, siue per saltum

65.

*Prælati*

*Regula-*

*res.*



702 *Moralis Theologiae Tract. VI. Status;*  
saltum promotos. Possunt item dispensare votum sub-  
diti de transeundo ad strictiorem Religionem. Ita *Sua-*  
*rius*. Possunt benedicere paramenta Ecclesiarum, etiam  
externorum. *Possunt ne aliquid sub pœna excommunicationis*  
*sibi reseruata vetare?* Minimè; quia (vt *Sanchez* affirmat)  
ex decreto Clementis VII. omnis reseruatio illis est  
interdicta.

*Num Prælati Regulares (queis eligendi curâ) digniores eligere*  
*ad gubernationis munera teneantur?* Affirmat *Turrianus* ten-  
neri; quia Prælaturæ Regulares beneficia sunt Eccle-  
siastica curam animarum habentia. Ego cum *Fillintio*, &  
*Reginaldo* sufficere existimo, si dignum eligant digniori  
non assumpto.

*Possunt ne Prælati regulares à suis Prælaturis ad libitum Su-*  
*periorum etiam sine causa amoueri?* Ita planè, si non sint ele-  
ctiui, dummodo accusatio, aut inquisitio contra ipsos  
non pendeat.

*Prælati Regulares tenentur ne subditorum etiam venialia*  
*peccata corripere?* Tenentur cum communiter transgres-  
sio diuagatur, imò Regulæ transgressionem commu-  
nem, licet non obliget sub veniali, ne Religiosa disci-  
plina collabatur.

*Quonammodo sese circa criminum Inquisitionem Regularis*  
*Prælati gerere debet?* Potest, ac debet in peccata occulta  
subditorum inquirere, vt illa fraternè corrigat, modò ab-  
sit nimia; & anxia sollicitudo. *Num liceat priuato Religioso in*  
*vitam fratrum inquirere, vt fraternè corrigere possit?* Minimè;  
quia vbi muneris obligatio non exigit, non sunt quæ-  
renda peccata, vt corrigantur.

*Potest ne Monialis vidua eligi in Abbatissam?* Maximè; lex  
enim id prohibens per contrarium vsum est abrogata.  
*Quid de illegitima?* Etiam sine dispensatione potest in  
Abbatissam assumi: & quamuis requireretur dispensa-  
tio, ab ipsarum Prælati Monialium concedi posset.

CAPVT VII.

Praxis circa prædicta ex Societatis  
IESV schola.

**R**egularis Nouitio idoneo negat suffragium : delinquit ne  
grauiter ? Suarius respondet affirmatiuè ; quia non  
tantum illum ab ingressu Religionis retrahit, sed etiam  
à Religione sine iusta causa expellit. 66.  
De statu  
Regulari  
varij ca-

Quoniammodo implendum est tempus ad professionis valo-  
rem ? Cum eodem Suario affirmandum complendum  
esse annum nouitiatus de momento ad momentum, uti  
& annus decimus sextus ætatis.

Dubium est, num circum professionem emittendam metus  
intercesserit, vel an fuerit iustus, vel an ratione me-  
tus adfuerit animus se obligandi : iudicandum ne est in fa-  
uorem professi, an Religionis ? Semper ex Sanchez sen-  
tentia in fauorem Religionis, ac professionis præsu-  
mendum.

Reticet quis in examine morbum gallicum v. g. num  
efficiat irritam professionem ? De iure communi non  
facit irritam, sed ut bene adnotat Lessius, sufficien-  
tem exhibet causam sic, professum à Religione ex-  
pellendi.

Dubium est, num parentum necessitas grauis sit : potest ne  
filius ingredi Religionem ? Potest teste Sanchez, quia possi-  
det libertatem.

Potest quis ad facilius impetrandam receptionem suam  
in aliqua Religione conferre Superioribus vel alijs munera ?  
Cum Valentia affirmatiuè respondeo, si gratis &  
sponte sit.

Ignorat quis suæ professionis nullitatem, vel impeditur in-  
tra quinquennium reclamare : potest adhuc reclamationi operam  
impendere ? Potest ex Sanctio.

Quando

*Quandonam Religiosus sine excommunicatione potest habitum exuere? Si in loco secreto exuat, vt commodius ei sit, vel vt melius currat, & saltet. Vel si iniuste grauatus à Prælato immediato fugiat ad Superiorem sine habitu, ne agnitus comprehendatur. Vel si ad turpem causam, v. g. vt furetur occultè, vel fornicetur, illum dimittat mox reassumpturus. Sanchez ita.*

*Peccat ne mortaliter Religiosus etiam ex consuetudine extra chorum recitans horas canonicas? Affirmat Suarius non peccare.*

*Possunt ne Regulares compelli ab Episcopis per censuras ad processiones? Minimè ex Sanchez sententia. Non tamen debent extra ambitum Conuentus processiones ducere absque licentiâ Episcopi de iure communi.*

*Potest ne Regularis exemptus qui incurrit excommunicationem ob crimen notorium, ab Episcopo denunciari, vt ab aliis vitetur? Sentit Henriquez posse, licet quidam id tantùm admittat in casibus specialiter Episcopo permissis, quibus hæreo.*

*Regularis, qui iustam habet causam appellationis, potest ne, omissis mediis Superioribus, ad Papam prouocare? Cum Sanchez assero posse, quando Prælati corrigentes manifestè limites Religiosæ disciplinæ excedunt.*

*Quotnam causis potest quis à Religione strictiori ad laxiorem transfere? Tribus præcipuè. 1. Ob corporis imbecillitatem. 2. Si indignè tractetur, aut sit exosus. 3. Si est infamatus, ita vt semper in pudore, & subinde magna tristitia sit victurus. Admonuerim hoc præstari debere Superioris licentiâ, non aliter. Mecum sentiunt Lessius, & Sanctius.*

*Bona Religiosi ad aliam Religionem transeuntis ad quodnam pertinent Monasterium? Ad primum planè ex Suarij assertionem, quod quidem ad summum illi dare sufficientia alimenta tenetur.*

*Potest ne secum huiusmodi Religiosus sine speciali licentiâ deferre? Potest libros à se compositos, aut scripta,*

scripta, vti ex Reginaldo accepi.

Religiosus Episcopus factus eximitur ne à paupertatis voto? Eximi asserit Vasquez adiiciens non teneri ad obseruantiam regularem nisi ex quadam honestate. Vterius asserit Sanchez haud incurrere excommunicationem, licet habitum suæ Religionis omitat. Addit Molina expulsus à Religione non teneri se emendare, vt ad illam redeat, neque obligari voto obedientiæ: paupertatis tamen voto ita obligari, vt quidquid acquirit, Monasterio acquirat.

Religiosus eiectus ab Ordine, si emendatus petat recipi, tenentur eum Superiores admittere? Non, neque ipse ad aliam Religionem transire tenetur ex Sanctio. Imò probabilius neque ad suam.

Ære alieno oppressus potest ne in Religione admitti? Olim quidem poterat Religionem ingredi, & sic quasi cedere bonis; nunc tamen non potest admitti, nisi prius satisfaciat creditoribus ex noua Sixti V. constitutione, moderatione Gregorij XIV. addita. Sic Saa.

Valet ne Novitij obligatio? Extra Societatem IESV minimè sine licentia Episcopi, aut eius Vicarij, idque intra duos menses ante professionem, ante quam nullum sortitur effectum ex Trident. sess. 25. vbi non prohibetur testamentum, sed donatio inter viuos: nec dispositiones de bonis suis ante susceptum habitum, modò non fiat intuitu Religionis. Ex Molina.

Si novitiatus annus interrumpatur per egressum, opus ne est de nouo incipere? Affirmatiuè respondeo cum Saa, alioquin inualida professio. Admonuerim tamen non interrumpi manendo ex causa extra Monasterium de licentia Superioris: id quod posse etiam post Concilium Trid. fieri assero.

Possunt ne parentes offerre Religioni filios impuberes inuitis tutoribus? Possunt, imò pater auo inuito, non autem auus inuito parente. Sic Saa.

Cuinam acquirit Religiosus professus? Pensionem, & hæreditatem Monasterio acquirit. Quod si ille hæreditatem

706 *Moralis Theolog. Tract. VI. Status,*  
tem sibi relictam repudiet, potest Monasterium acce-  
ptare: etsi moriatur ante aditam patris hæreditatem,  
succedit Monasterium. Acquirat equidem Religiosus  
Monasterio, cui se dedit profitendo; quod si generali-  
ter Ordinem profiteretur, nulli se Monasterio addicens,  
toti Ordini acquirit. Ex *Molina* collegi.

*Superior aliquid infra regulam præcipit: tenetur ne subditus obedire?* Affirmat *Saa*, saltem quantum se vel tacite eius vota extendunt. Ego autem cum *Lessio* non teneri inferiorem assero, nisi iusta causa Superiori infra regulam præcipienti subdit. Nec etiam si quid supra, nisi in iustam alicuius criminis pœnam imponatur, aut putetur necessarium ad seruanda vota, vt clausura Monialium. Nec si quid contra, nisi fortè possit Superior in ea parte regulæ dispensare, & iusta causa subdit.

*Quonammodo Carthusianus abstinere à carnibus teneatur?* Respondeo ex *Azorio* teneri vesci carnibus, si aliter non possit à morbo liberari, aut viuere. Sunt & qui affirmant (teste *Saa*) non peccare illos mortaliter, si carnibus vescantur extra morbum, abstracto scandalo; non enim ex voto abstinent, sed ex consuetudine.

*Potest ne secularis iudex de facto Religiosi ante ingressum Religionis cognoscere?* Minimè; nam vt adnotat *Saa*, iam est forum mutatum.

67. *Circa munerum largitionem quid Religiosi possunt post Bullam Clem. VIII.* Huius Bullæ (authore *Sanctio*) duo sunt fines præcipui, nempe ne Monasterij bona dilapidentur, & ne detur ambitionis occasio. *Granadum* sequor confirmantem. Porro hæc Bulla quò ad pœnas non videtur vsu recepta, nec quotannis in Capitulis Monasteriorum legitur. Neque edita est ad nouum ius, seu nouam obligationem inducendam, sed ad ius commune restituendum, ac confirmandum.

*Num Milites D. Iacobi, Alcantara, &c. in hac Bulla includantur?* Non includuntur teste *Sanctio*; quia expressè Pontifex licet eos verè Religiosos innuat, excludit. *An Nouitii?* Non includi Nouitios sub nomine Religiosorum

rum afferit *Fillintius*; quia tantum in fauorabilibus hoc nomine gaudent.

*Religiosus in aliquo speciali casu non dissipat bona Religionis, nec ulla adest ambitionis occasio largiendo munera; num incurrat Bullæ pœnas? Non; quia (vti *Grandus* ait) cessante ratione, & sine legis, cessat eiusdem obligatio.*

*Religiosus sine Superioris licentia dat munusculum duorum aureorum: incurret ne in Bullæ pœnas? Cum *Fillintio* scio peccatum quidem furti graue ab eiusmodi Religioso admitti, non tamen incurrere in Bullæ pœnas; quia ad Monasterij dilapidationem parum confert hæc quantitas.*

*Casus in Bulla excepti extendine possunt ad alios similes? Extendi posse assero cum *Fillintio*. Quare licet excipiat tantum leuia comestibilia, & ad deuotionem pertinentia, possunt etiam leuiuscula alterius generis dari.*

*Religiosus rogat amicum, vt det aliquod alteri suo nomine munus: delinquit ne contra Bullam? Neque contra Bullam, neque contra paupertatis votum peccare cum *Suario* existimo; quia non disponit de re aliqua Monasterij sine Superioris facultate.*

*Peccat ne contra Bullam Monialis, aut Regularis dans eleemosynam? Non; quia Bulla tantum prohibet munerum largitionem. Vnde assero nec prohibere sumptus, qui fiunt diebus festis solemnibus in musicam, in sustentationem concionatoris, & eorum, qui altari ministrant; hæc enim omnia pertinent ad commodum Monasterij.*

*Num Regulares largientes aliquod domum in remunerationem, Bullæ contraueniant? Minimè; quia remuneratio donatio gratuita non est. Quid si remuneratio hæc merita, & beneficia accepta excedat? Licet in quarta parte, v.g. excedat, non adhuc est contra Bullam; quia id postulat*

68.

De Con-

*Quia plerumque Regulares concionandi muneri incumbunt, concionatore.*

Yy

aliquas

708 *Moralis Theologiae Tract. VI. Status,*  
aliquas difficultates à te enodandas subiiciam: rogo, num peccato sese concionator illiget in crimine lethali concionando? Non est peccatum, si occultum sit crimen, secus si publicum; quia actus concionandi non est consecratus neque ex sua natura, neque ex institutione Ecclesiae, neque certo Ordini deputatus; cum multi nondum sacris Ordinibus initiati praedicare soleant. Idem dicendum de Lectore sacrae Scripturae & Theologiae, modo absit scandalum. Ita *Suaris.*

*Necessum ne Religiosos in ordine ad conciones ab Episcopo approbati? Scio à pluribus Doctoribus affirmari necessarium non esse. Quin & non me fugit, alios asserere contradicente Episcopo in suis Ecclesiis concionari posse. Tamen in praxi melius non concionari; ne ex huiusmodi concione plus scandalum, quam fructus oboriatur. Quid si in alienis Ecclesiis sine Episcopi licentia concionentur? Non possunt ab ipso puniri, sed à suis puniendi Superioribus, uti ex Declaratione Cardin. constat.*

*Quandonam Concionator mortaliter in concione delinquit? Respondeo ex Saa, (qui à Nau. & Caiet. accepit) graviter delinquere si praedicat valde inutilia, aut scienter falsa in fidei doctrina, vel morum, vel miraculis, aut vita Sanctorum; aut detrahendo ferè nominatim Praelatis Ecclesiae. Scio non esse graue crimen fabellam recitare: imo si id fit animo excitandi auditores ad pie audiendum, nullum peccatum est. Porro praedicare quem principaliter ob gloriam, aut pecuniam, mortale non esse affirmo.*

*An Episcopo contradicente quis concionari potest? Concilium Trid. verat. Excipit tamen Pius V. Mendicantes in Templis praedicantes, nisi ipse Episcopus concionari veller. Certè Episcopus non potest sine rationabili causa eos à praedicatione suspendere. Nec Mendicantes in vna Diocesi ad praedicandum examinatos in eadem amplius examinare; quod si sint graduati in Theologia, aut Lectores examine Episcopi non egent. Profecò  
Mendi*

Mendicantes etiam cum in Cathedrali prædicatur, concionari posse affirmo.

*Mendicantium concionem agentium indulgentias à Pontificibus concessas exprime.* Possunt Prædicatores, & Minores, & qui cum ipsis communicant in priuilegiis, v.g. Societatis I E S V concionatores & alij Mendicantes concionantes suis in domibus quocumque anni tempore, concedere auditoribus suis 18. annos, & 320. dies indulgentiæ: extra suas verò Ecclesias 18. annos, & 222. dies tantum. Tempore verò Quadragesimæ in suis domibus feria secunda, quarta, & sexta 156. annos & 24. dies. Monuerim tamen debere eos expressè nomine suæ Sanctitatis has indulgentias concedere, aliàs essent nullæ.







TRACTATUS SEPTIMVS  
 LIBRI THEOLOGIÆ  
 MORALIS,  
 OFFERENS SIGILLVM  
 SEPTIMVM, SIVE  
 Sacramenta.


*Vbi Materia de Sacramentis in genere, & in  
 specie, de indulgentiisque  
 discutiuntur.*

PROLVSI O.



*T* cum aperuisset (concludit Ioannes) sigillum septimum, vide septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datae sunt illis septem tubæ, & alius Angelus stetit ante Altare habens thuribulum aureum, & datae sunt illi incensae multa. Profectò Angelus hic Sacerdos Pontifex Ecclesiae Dominicae, minister utique Sacramentorum quae septem in tubis, Augustino auctore, figurantur. Sacramentorum igitur materiam illustro exprimens placita

*Examen I. De Sacramentis in genere. 711*  
placita præcipue Suarj, Coninch, Toleti, Henriquez, Ioan-  
nis de Lugo, Castro Pallao, Filiuty, Laymani, meique Docti ssmi  
Magistri Francisci de Lugo.



EXAMEN PRIMVM.

Circa materiam de Sacramentis in genere.

CAPVT PRIMVM.

*De definitione Sacramenti, numero, ac necessitate  
Sacramentorum.*

**Q**uotnam ad rationem Sacramenti requiruntur? Tria. I.  
Primò, quidem vt sit signum sacrum, sensibile, *Sacramē-*  
voluntarium, & permanens. Secundò, vt sacræ *torij nu-*  
rei sit signum. Tertio, vt aliquam eo vendi conferat *merus,*  
sanctitatem. Porro vt sit nouæ legis Sacramentum duo *necessitas.*  
insuper requiruntur, nempe vt conferat aliquam sancti-  
ficationem, quando recipitur, & vt illa vi Sacramenti  
conferatur.

*Quid igitur est nouæ legis Sacramentum?* Res sensibilis,  
quæ ex Dei institutione sanctitatis & iustitiæ tum signi-  
ficandæ, tum efficiendæ vim habet. Qua quidem *effi-*  
ciendæ particula, nouæ legis Sacramenta ab antiquis  
maximè fecernuntur; hæc enim ex opere operato  
gratiam conferunt, illa autem ex opere operantis, vno  
vel altero duntaxat excepto.

*Sacramentorum nouæ legis numerum expone.* In felicissimo  
innocentiæ statu Sacramenta non fuere, vti fert proba-  
bilis Doctorum placitum. Profectò in lege naturæ sal-  
tem pro infantibus fuit Sacramentum. In lege scripta  
Circumcisio, aliæque complura esse cœperunt. Donec

712 *Moralis Theol, Tract. VII. Sacramenta,*  
in lege gratiæ septem sapientissima Christi institutione  
perfecta sunt Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eu-  
charistia, Extrema-Vnctio, Ordo, Matrimonium. Cuius  
numeri congruitas ex corporeæ vitæ cum spirituali  
comparatione desumpta est. Nascitur Baptismate ho-  
mo, Confirmatione adolescit, Eucharistia nutritur, Pœ-  
nitentia ab ægritudinibus liberatur, Vnctione extrema  
à criminum expiatur reliquiis, Ordine ad Sacra per-  
agenda instituitur, Matrimonio humana specie propa-  
gata, cuius congregatione Ecclesia resultat.

*An sint Sacramenta ad salutem necessaria? Non sunt ab-  
solutè, & ex natura rei necessaria ad salutem, quia Deus  
potuisset alia media ad nostram salutem instituere.  
Supposita tamen Christi institutione sunt necessaria  
saltem aliqua necessitate medijs, & similiter necessitate  
præcepti.*

---

## C A P V T II.

### *De causa efficienti, ac finali, materia ac forma Sacramentorum.*

2. *Sacramen-  
ti causa.* **C**ausam efficientem Sacramentorum assigna. Principalis  
efficiens causa vnus est Deus; instrumentalis con-  
iuncta humanitas Christi, separata autem ipse minist-  
ter, qui virtute Christi Sacramentum conficit.

*Quare Sacramenta instituta? Ad hominis iustificatio-  
nem solius. Congruè quidem ad id huiusmodi, assum-  
pta sunt media, quæ & diuinam misericordiam, iusti-  
tiam, sapientiam, & potestatem maximè decerent: &  
homini tum ad eruditionem, humiliationem, exercita-  
tionemque prodesse possent, tum illum velut errantem,  
& vagum sub vnico Christianæ Religionis signo redu-  
cerent.*

*Nam Sacramentorum nostrorum dignitatem valebis expo-  
nere?*

*Examen I. De Sacramentis in genere. 713*  
nere & Minimè planè. Tanta enim eorum dignitas, ut si cum antiquis conferantur, iis & magnitudine utilitatis, & virtutis efficacia, & usus facilitate, & numeri paucitate præcellant. Si verò inter sese conferantur, de fide quidem est, ea paria non esse, cum Eucharistia simpliciter omnium sit præstantissima: licet Baptismo vni, atque Poenitentiae post culpam admissam, sola spectata necessitate, primatum iure concedat.

*Quenam Materia ac Forma Sacramentorum?* Constant quasi materia rebus, ac veluti forma verbis. Remota quidem materia in omnibus res aliqua naturalis est, v. g. in Baptismo aqua, &c. proxima ferè semper actio quædam est, aut passio, quæ remotam magis actuat, & ad subiectum unà cum forma determinat, v. g. ablutio in Baptismo. Vtraque à Christo determinata est, vade non licet immutare. Forma verò Sacramentorum verba sunt, v. g. in Baptismo illa. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, &c.* Profectò si in forma sensus varietur, nihil fiet; quod si seruetur, admitti poterit aliqua mutatio, etiam si minister ritum aliquem intenet inducere, modò illum ita non exprimat, & verborum sensus ambiguus reddatur.

---

### C A P V T III.

#### *De Ministro, & suscipiente.*

**Q**uam Sacramentorum Minister? Vnus homo, non quicumque, sed qui ritè in Ecclesia sit initiatus, Baptismo, ac Matrimonio dumtaxat exceptis.

*An Ministri intentio sit necessaria?* Porro intentio ac voluntas faciendi, quod Christus instituit, omnino ad Sacramentum perficiendum est necessaria. *Quenam intentio?* Actualis est optima, sed non necessaria: virtualis sufficit, & necessariò requiritur, nam habitualis insufficientis est.

3.  
Minister  
Sacra-  
menti.

*Obest aut infidelitas, aut malitia ministri Sacramento? Minime, modò cætera requisita non desint; quia diuinâ Christi virtute operatur.*

*Quotnam Ministro obseruanda sunt ex præcepto? Quatuor, Primò, vt debita adfit potestas tum Sacramentum conficiendi, tum confectum licitè ministrandi, siue quia nulla sit Censura prohibitus, siue quia conuenientem obtineat iurisdictionem. Secundò, vt consuetas Sacramentorum materias & formas in vsu retineat; alioquin si aut aliquid in iis ad substantiam pertinens immutet, aut materiam, quam Ecclesia præscripsit non obseruet, lethale peccatum admittit. Tertiò, vt se ad gratiam per actionem pareat vt minimum, quam tamen ipse Contritionem existimet; alioquin si ex officio Sacramentum administret, illud conficiendo, se graui in culpa esse deprehendens, mortaliter peccat; non ita qui in necessitate Sacramentum confert. Quartò denique, vt eas in Sacramento administrando cæremonias ac ritus obseruet, quos Ecclesia Spiritu sancto edocta præscripsit.*

4.  
*Susceptor  
Sacra-  
menti.*

*Quinam capax suscipiendi Sacramenta? Solus homo hæc in vita degens.*

*Quenam ei obseruanda? Duo præcipuè. Primum, vt Sacramenta aliquando suscipiat, siue quia aliquod eorum absolutè necessarium sit, siue quia ob vrgentem aliquam temptationem, aut circumstantiam, ad ea confugere sit necessum. Secundum verò, vt tam ex parte Sacramenti omnia illa exhibeat, quæ & ad substantiam ipsius, & ad conuenientem ex præcepto modum requiruntur, v. g. intentio debita, capacitas, & concursus actiuus, vbi ille necessarius est: quàm ex parte dispositionis ita paratus accedat, vt saltem gratiam iustificantem, quæ principalis effectus est, recipere possit.*

*Num possit ab omnibus Ministris Sacramenta petere? Ab eo non debet petere, qui siue validè, siue licitè dare non possit. Neque ab eo, quem certò nouit in peccato daturum,*

*Examen I. De Sacramentis in genere. 715*  
turum, nisi fortè aut seruandi præcepti necessitas, aut  
alterius ministri defectus excuset. Absolutè tamen, pe-  
tere, vel accipere Sacramentum ab eo, qui cum possit  
dignè dare, ex malitia tantùm sua dignus non est ad  
ministrandum, nullum iudico esse peccatum, quia ab  
eo actu potest per se eiusmodi separari malitia.

---

## C A P V T I V.

### *De Sacramentorum effectibus.*

**Q**uam præcipuus Sacramentorum effectus? Primus 5.  
quidem est gratia eaque iustificans, quam ex opere Effectus  
operato ab omnibus Sacramentis effici de fide est. Illam Sacra-  
virtutes ac dona consequuntur. Præter hanc vnum menti.  
quodque suam specialiter efficit, quam sola quadam  
ratione à communi illa distinctam esse reor. Vtramque  
quidem secundùm propriam quisque mensuram, &  
dispositionem accipit, non diuino solo beneplacito, aut  
merito, seu impetratione ministri. Profectò prior sem-  
per confertur, obicem non ponenti in ipsomet rece-  
ptionis momento: posterior verò quando ea gratia  
opus erit ad actiones ab eo Sacramento dependentes.  
Illam porrò Sacramenta tanquam separata instrumen-  
ta perficiunt, & probabile quidem est ad modum  
causæ physicæ, probabilius autem ad modum causæ  
moralis.

*Alterum minus principalem effectum Sacramentorum assi-  
gna. Character est, qualitas videlicet supernaturalis, &  
spiritualis, in animæ substantialia per habitus modum  
impressa, cuius munus est aptum reddere ad diuinum  
cultum, configurare nos Christo, & à cæteris siue infi-  
delibus in Baptismo, siue trepidis ob persecutionem in  
Confirmatione, siue à secularibus in Ordine, quasi sacro  
quodam signo, notàve distinguere.*

*Propria characteris quænam?* Primò, vt deleri nunquam possit, cum semel est habitus, & si vnum Christum excipias, in cæteris omnibus noui Testamenti Patribus vna cum ipsius sanctissima Matre, iure optimo ponitur. Secundò, vt animam Deo, veluti quoddam templum, reddat sacram. Tertiò, vt homo vi illius in ius, & potestatem Dei specialissimè transferatur. Quartò, vt per eum Christo, eiusque membris similis fiat. Quintò denique, vt ad alia Sacramenta vel recipienda, vel administranda disponat.

## CAPVT V.

*Praxis circa prefata ex Societatis  
IESV schola.*

6. *De Sacramentis in genere vatri casus.* **C**onferunt ne omnia Sacramenta primam gratiam? Bâptismus & Pœnitentia ex sua institutione conferunt gratiam primam, id est, eam, quæ nullam aliam supponit in subiecto; reliqua verò Sacramenta ad augendam gratiam sunt instituta, & supponunt fuscipientem in gratia constitutum, nec conferunt primam gratiam primariò & per se, per accidens autem conferre posse, Doctores affirmant.

*Accipit quis aliquod Sacramentum cum fictione, v.g. quando intentio deficit: sublata ne illa fictione, & mutata voluntate, recipit effectum?* Minimè; culpa graui omnia vitiant. (De Baptismo autem suo loco dicendum.) Secus quidem de eo, qui recipit Pœnitentiæ Sacramentum prætermissa inculpabiliter attritione: sublata enim fictione, id est attritione posita consequitur Sacramenti effectum, & gratiam respondentem Sacramento præterito. Sic Coninch.

*Sunt ne publico peccatori indignè petenti administranda Sacramenta?* Minimè. Secus dicendum de peccatore occulto

*Examen I. De Sacramentis in genere. 717*

culto publicè petenti, & qui sine scandalo, & infamia repelli non possit. Profectò nomine publici peccatoris intellige Histronem, qui comœdias turpes turpiter repræsentat; aut vsurarium publicum & notorium. Fateor posse Sacerdotem publico peccatori ob metum Sacramenta administrare; affirmoque non posse huiusmodi peccatori hostiam non consecratam exhibere, ne ad idololatriæ materialis barathrum alliciat. Ex eodem Coninch.

*Num fides sit necessaria in Sacramentorum ministerio? Respondeo ex Busæo necessariam non esse, primò quia sic est in Concil. Nicæno 1. definitum. Deinde quia minister nihil in Sacramento agit nisi virtute diuina.*

*Existit quis in mortali; necessum baptizare, aut aliud Sacramentum ministrare: quidnam ei præstandum? Ex Suario respondeo ad ministrandum Sacramentum, quod simul efficitur, contritionem requiri, nisi quis baptizet in necessitate sine solemnitate, aut Matrimonio vt parochus assistat. Contritionem dixero saltem secundum conatum & inculpabilem hominis opinionem.*


*Si cognosco Ministrum esse excommunicatum, possum ne ab ipso Sacramenta accipere? Cum Toletò, Suario, & Valentia respondeo Sacramenta accipienda à Pastore etiam si sciat ouis esse irregularem, aut suspensum, aut excommunicatum, modò denunciatus non sit aut notorius Clerici percussor. Illum verò subdito petenti ministrando peccare si per ipsum stec: at si non stat per ipsum quominus absoluat, aut aliter subdito satisfacere nequeat, non delinquere.*

*Quid in mortis articulo? Licet tunc accipere Baptismum, & pœnitentiam à nominatim excommunicato, etiam ab hæretico. Ex Toletò, qui quidem adiicit, quouis tempore licere accipere Sacramenta ab eo, qui non est denunciatus excommunicatus, aut notorius Clerici percussor, si non potest commodè ab alio habere & tuæ necessitati aut spiritali vtilitati prouidere.*

*Peccant*



*Peccant ne contrahentes Matrimonium in peccato mortali?*  
 Multos ob ignorantiam excusari Sanchez affirmat; quia  
 non sunt ministri consecrati.



## E X A M E N II.

Circa Materiam de Baptismo.

### CAPVT PRIMVM.

*De Baptismi definitione, institutione, proprietatibus  
 ac ritu.*

7.  
 Baptis-  
 mus tri-  
 plex.



*Vid Baptismus?* Sacramentum consistens in ablu-  
 tione corporis exteriori sub præscripta verbo-  
 rum forma à Christo instituta ad regeneratio-  
 nem spiritualement. Institutus planè Baptismus, quando  
 Christus à Ioanne fuit in Iordane dilutus. Necessarius  
 quidem non solum necessitate medij, verùm necessitate  
 præcepti; quia sine Baptismo in re, vel in voto, non po-  
 test salus obtineri.

*Quotuplex Baptismus?* Triplex, Fluminis quidem, san-  
 guinis, & Fluminis. Baptismus Fluminis est poenitentia,  
 seu dolor perfectus de peccatis ob Dei amorem. Ba-  
 ptismus sanguinis est Martyrium, sic dictum, quod esse-  
 ctus efficiat Baptismi, & illius vices aliquando gerat.  
 Porrò Martyrium est passio seu cruciatus lethalis sus-  
 ceptus pro Christi fide, aut pro vera virtute. Condi-  
 tiones ad Martyrium requisitæ sunt, vt in adultis adsit  
 voluntas suscipiendi, simul cum attritione supernatu-  
 rali, si adultus peccato mortali illigetur. Deinde qui pa-  
 titur, pati debet ob fidei Catholicæ conseruationem,  
 vel castitatis vel immunitatis Ecclesiasticæ, vel alterius

veræ

yeræ virtutis, Præterea necessaria est passio seu cruciatus lethalis in odium Christi, vel in contemptum fidei illatus. Confert equidem Martyrium gratiam ex opere operato, tribuitque omnis culpæ & poenæ remissionem. Baptismus Fluminis est verus & proprius Baptismus, verumque ac proprium Sacramentum.

*Quo differt Baptismus Fluminis à reliquis?* A Baptismo Fluminis in eo potissimum differt, quod ille tantum ex opere operantis gratiam conferat; at noster ex opere operato. A Baptismo sanguinis verò, quod tantum ex privilegio conferat, cum noster ex iure ordinario institutionis Christi. Quod si dignitate cum his conferatur, diuersa quidem ratione vnus alterum excellit; at in ratione Sacramenti, vel medij necessarij Baptismus cæteris longe præstat. Denique Ioannis Baptismus nec Sacramentum fuit, nec habuit vim gratiam conferendi ex opere operato, nec vllum characterem impressit; sed fuit tantum præparatio quædam de consilio ad Christi Baptismum, qui multiplici nomine illum superabat.

*Proprietates, seu ritum Baptismi exprimas precor.* Aliquas cæremonias optimo quidem iure tum ad instructionem nostram, tum ad Sacramenti significationem, efficaciam, ac reuerentiam Catholica Ecclesia præscripsit. Profectò antequam eo quis initietur, quasi sub Christi vexillo depugnaturus, sua primò dat nomina. Deinde examinatur, abrenunciat operibus Sathanæ, fidem profitetur, tum a Sacerdote signo Crucis, exorcismo, exsufflatione, manuum impositione, vnctione munitur. Denique lingua sale, nares, & aures saliuæ tanguntur, toti que corpori indicitur abstinentia. Cum verò sacro mysterio imbuitur, primò nomen imponitur, eique susceptor datur, tum aqua consecratur, ad extremum illa perfunditur. Demum post illam datur osculum pacis, Chrismate inungitur, cereum gestat accensum, candidam vestem induit, & lac vna cum melle delibat. Atque hæc quidem adultis. Infantibus autem illa tantum adhibentur,

8.

Ritus Baptismi.

720 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
hibentur, quæ per ætatem licent; præcipuè verò susce-  
ptor qui nouo Tridentini iure vnus tantum, vel vna, vel  
ad summum vnus & vna esse poterunt. Hic spiritualem  
cognitionem cum baptizato, quemadmodum ac bapti-  
zans cum patre, & ipsius matre dumtaxat contrahit,  
omni alia fraternitate sublata.

## C A P V T II.

### *De Materia & Forma Baptismi.*

9. *Materia Baptismi.* **Q**uænam Baptismi Materia remota? Aqua est naturalis,  
eâque verâ, non quæ ab arte proficiscitur: & sim-  
plex, non autem ita cum alio liquore permixta, vt  
aquæ denominatio pereat. Deinde elementalîs, &  
quæ appelletur vsualis ab eo, quod apta sit vsui ablu-  
tionis.

*Quænam autem proxima Materia?* Ipsa erit ablutio.  
Phyſicus planè ac realis corporis abluendi contactus,  
tantus, quantum ad hoc vt quispiam dicatur ablutus,  
morale periti exigit iudicium; talis quidem esset, qui  
veram corporis ipsius partem moraliter sufficientem  
attingat: siue contactus huiusmodi per asperſionem  
fiat, vt in necessitate: siue per infusionem, vt mos  
in aliquibus Prouinciis: siue per immersionem, vt  
olim.

10. *Forma Baptismi.* **Q**uænam Baptismi Forma? Ego te baptizo in nomine  
Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In qua quidem si pro-  
nomen solummodo demas, quo persona baptizantis ex-  
primitur, cætera omnino necessaria esse affirmo, quippe  
baptizandi ipsemet actus, ille etiam qui baptizandus est,  
& expressa Trinitatis inuocatio, quæ reliquis verbis  
omissa duplici coniunctione continetur, in forma Ba-  
ptismi necessariò sunt exprimenda.

*An expressio Dei, aut Christi, aut Trinitatis sufficiat? Profe-*  
ctò

Ad solius nominis Dei expressio, aut Christi sufficiens non est; neque solum expressio Trinitatis absque eo quod exprimitur vnitas Dei comprehensa illa particula: *in nomine*. Quin etiam Trinitatis expressio sub aliis nominibus quàm Patris, & Filij, & Spiritus sancti etsi speculatiuè probabile sit satis fore ad valorem: practicè tamen nullo modo est vsurpanda, tum propter periculum, cui sese baptizans exponit, tum quia contra Christi institutionem ageret, & contra communem vsum & traditionem Ecclesiæ.

C A P V T III.

De Ministro Baptismi, eum suscipientibus  
ipsiusque effectibus.

**Q**uam Minister Baptismi? Ex officio Sacerdos, isque Parochus, Diaconus solus illius commissione; vel in ipsius absentia, si necessitas exigat potest etiam solemniter baptizare. Cæteri hominum, modò loqui, & abluere simul possint, in necessitate sufficiunt. Plures sanè si singuli per se & integrè vnum eundemque baptizent, verum conferunt Sacramentum. *Quid si vel actum ablutionis externum ita vt vnus materiam, alter verò formam apponat: vel intentionem ipsam inter se partiantur, ita vt vnus non habeat intentionem baptizandi sine alio? Nihil profusè efficiunt.*

II.  
Minister  
Baptismi.

*Assigna vberius Ministrum Baptismi ex præcepto, & ex necessitate. Minister ex præcepto solus est Pastor, in necessitate quilibet, eo tamen ordine seruato, vt cæteris præferatur Sacerdos, deinde Diaconus, tum Clericus, postea laicus, vltimo foemina. Hunc ordinem peruertere est ne peccatum? Peruertere cum persona Pastoris aut Sacerdotis, lethale peccatum est, cum aliis minimè. Adde in necessitate etiam hæreticum, & paganum baptizare posse, modò*

722 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta.*  
modo habeat intentionem baptizandi. Num anima se-  
parata? Non, quia non est homo, nec humano more po-  
test formam exprimere. Possit quidem Angelus ex spe-  
ciali Dei dispensatione.

*Qui bis baptizat, cuiam pœnæ obnoxius est?* Irregularis  
fit ipso facto, & ad superiores Ordines prohibetur  
ascendere, etiamsi secretè deliquerit. Eadem sequi-  
tur pœna semel iterumque baptizatum, nisi fortè in-  
culpabilis vtrumque siue facti, siue iuris excuset  
ignoratio.

*Dixisti Baptismum necessarium esse ad salutem: exprime  
quoniammodo necessarius adultis, & parvulis?* Omnibus ab-  
solutè necessarius est: adultis quidem si re vera eius  
suscipiendi copia desit, saltem in voto: infantibus etiam  
re ipsa, si Martyrij priuilegium excludas. Huic necessi-  
tati, quæ est ex medio, conformis est necessitas, ex vi  
præcepti, quo iure diuino omnes homines astringuntur,  
etiam infideles. Infantes quidem ante rationis vsum  
non obligantur, sed eorum parentes, vt videlicet quan-  
do primum commodè possint, iis Baptismum procu-  
rent. Si filij Christianorum sunt baptizari debent ante  
rationis vsum, non ita si parentes infideles habeant, &  
Baptismo resistant. *Quid si serui sint, & mancipia Christia-  
norum?* Et si licitè possint Baptismo perfundi, non adest  
tamen obligatio id faciendi: nisi fortè in extrema sint  
necessitate constituti.

*Requiratur ne in baptizando assensus?* In adulto quidem  
consentire necesse est, licet vi, metûve eiusmodi as-  
sensus extorqueatur. Porro in infantibus nulla exigitur  
dispositio ob ætatem, nec ipsorum quidem parentum  
consentientis voluntas infirmæ ætatis vicem supplens re-  
quisita est.

**12.**  
*Effectus*  
*Baptismi.*  
*Quinam Baptismi effectus?* Culpam omnem tam Ori-  
ginalem, ob quam præcipuè institutus est, quam actua-  
lem abstergit. Pœnam etiam inde à Deo inflictam re-  
mittit. Iustificantem gratiam, virtutes, & dona; quæ  
illam necessariò sequuntur, propriam item ad mu-  
nera

nera Christiani ritè obeunda vna cum caractere gratiam confert.

*Quenam in adultis dispositio requiritur? Qui mortale peccatum coniunctam habet cum originis culpa cum attritione saltem peccatorum eaque supernaturali accedat, oportet; quia ea deficiente nullus gratia confurgit effectus.*

*Quid si fictè Baptismum suscipiat, id est non se curet contritione, aut attritione preparare? Eiusmodi fictione, quæ regulariter peccatum mortale est, vera contritione subblata vim Baptismi iam recepti quoad omnia consequetur. Neque enim iterandum est Baptismum vti Pœnitentia; quia Sacramenta quæ Characterem imprimunt, non iterantur. Vnde quidquid in pœnitentiæ fictione delinquitur rursus iterata pœnitentia expiatur; at fictio Baptismi non ipso iterato, sed contritionis actu est abluenda.*

#### C A P V T IV.

*Praxis circa prædicta ex Societatis*

*I E S V schola.*

**Q**uanta sufficiens est aqua ad Baptismum? Respondeo ex 13.  
*Vasquez* eam necessariam, quæ possit contingere De Ba-  
 corpus & successivè per aliquam eius partem ptismo  
 fluere. *varij ca-*

*Exprime aquæ qualitatem.* Esse potest ex sale, niue, aut gelu liquefactis; quia est essentialiter aqua. Item de ea quæ ex olla euaporatur & in tegumento hærescit, & quæ hyeme ex parietibus, & lapidibus manat. Ille tamen humor qui ex vite aut arbore fluit non certum an aqua sit. In casu necessitatis ad Baptismum adhibeatur. Sic *Henriquez*,

*Baptizat sic Sacerdos: Ego te baptizo nomine Patris, Filij,*

*zz*

*e*

714 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
& Spiritus sancti, omittens particulam, in cum, &c; num conficiat verè Sacramentum? Conficit; quia omissio non est substantialis, neque verborum sensum destruit, vti *Coinch* ait.

Adit quis formæ Baptismi post Spiritus sancti, & in nomine Virginis: an Baptismus conferat? Affirmo cum *Suario* conferre, dummodo per illa verba non intendat baptizare in nomine Virginis, sicut in nomine Patris, &c. Sed tantùm velit opem B. Virginis implorare, vti eius intercessio baptizato prosit.

Baptizantes sub conditione incurrunt ne irregularitatem à *Suario* non incurrere affirmat; quia hæc non est re-baptizatio simpliciter.

Ob periculum mortis quis baptizavit filium suum adstantibus multis, qui hoc facere poterant, & sic cum vxore sua cognationem contraxit: rogo, num possit petere debitum? Respondet *Suario* affirmatiuè; quia nullo textu id prohibetur.

Quis per errorem de sacro fonte suscipit filium *Antonij*, quem existimabat esse *Pauli* filium: an ullam cum *Antonio* contrahat cognationem? Docet *Sanchez* probabiliter non contrahere. Et re ipsa maritus qui per ignorantiam leuauit filium vxoris, à debiti petitione non arceatur.

Teneo in Baptismo infantem nomine alterius: contraho ne ipse spiritualem cognationem; Non; quia non tuo, sed alieno nomine tenes. Ita *Sanchez* adiiciens probabile esse neque ipsum principalem, qui legatum misit, cognationem ullam contrahere.

Num necessarium sit adhibere patrinum in priuato Baptismo necessitate urgente? Negatiuè respondeo; quia tunc vix possunt parentes idoneum eligere. Sic *Suario*. Quo casu si quis infantem teneat etiam ex proposito vt patrini munus obeat, probabile reputo cum *Sanctio* nullam contrahere spiritualem cognationem. Adicio ex *Laymano* non esse improbandam consuetudinem, qua queisdam in locis Catholici patrini

erini sunt filij hæreticorum, illos hæretico ministro baptizante.

Tenellus & paucorum dierum infans expositus inuenitur non habens schedulam Baptismi testem: est ne baptizandus? Affirmat Vasquez, Si verò infans ex colore & ætate videretur ante mensem natus, nec vllam haberet schedulam Baptismum testantem sub conditione baptizandus esset. Quid si inter infideles infans expositus cum testante schedula inueniretur? Existimo cum Vasquez sub conditione baptizandum; ne fortè supposita sit ab infideli schedula falsus testis.

Baptizari ne possunt hæreticorum filij, etiamsi sub cura parentum probabiliter timeatur subuersionis periculum? Securus Laymanum assero dilui posse; quia fortè ante vsum rationis obibunt, aut aliquando dogmatis Catholicæ fidei imbuentur, aut ignorantia inuincibili excusabuntur, atque ita per lauacrum salutem consequentur.

Baptizari ne possunt filij infidelium seruorum etiam antequam vendantur, existentes sub cura parentum inuitorum? Ruiz posse baptizari affirmat; parentes enim indigni sunt illo naturali iure ratione abusus, vnde nulla eis sit iniuria dum à dominis iure suo iniuste possessio priuantur. Addo ex Vasquez & Turriano eos ius non habere, vt ipsi soli curam salutis spiritualis filiorum gerant. Imo, eisdem Doctoribus attestantibus, domini sub peccato mortali ratione charitatis tenentur tali in casu illos baptizare.

Mulier damnatur ad mortem, & est periculum ne ex aliquo morbo ante partum vna cum prole moriatur; potest ne seruato iuris ordine prius secari, si spes sit fore, vt sœtius baptizari valeat? Posse Suarius & Coninch asserunt; nihil enim fit contra ius.

An obstetrices ex officio scire teneantur necessaria ad Baptismum? Nec materna aut vulgari quidem lingua teneri Suarius docet; quia nullum est ea de re præceptum Ecclesiasticum, nec naturale; quippe obstetrix ex sui muneris vi tantum cooperari tenetur corporali infantis natiui



726 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
natiuitati. Scio Hispanicas obstetrices ab Ordinariis  
examinari solere, num necessaria ad ablutionem sacram  
norint.

*Potesť aliqua infantis pars tingi in vtero matris : num bapti-  
zare liceat ? Licet Suario auctore, etiamsi natiuitas pro-  
prię dicta non præcedat, laudo equidem nouam apud  
nostrates foeminarum sectionem, dum spirante matre,  
aliquid ori apponitur ne infanti in vtero degenti obtu-  
retur respirationis via, & mox inciditur vterus, vt in-  
fans diluatur. Multos audiui hac diligentia salutem  
consecutos.*

*Si quando in casu necessitatis baptizandus est infans, præ-  
sente Sacerdote laicus baptizet peccat, vt dixisti, mortaliter: rogo  
quonam peccato se adfirmat, si adfit Diaconus, aut Clericus in-  
ferior ? Venialiter peccare Suarius affirmat. Porrò Valen-  
tia etiam præsente Sacerdote baptizantem laicum so-  
lum venialiter delinquere affirmat.*

*Suppletur ne à Deo peruersa intentio Ministrī conferentis Ba-  
ptismum, aut aliud Sacramentum ? Quoad gratiam minimè;  
est enim de fide intentionem Ministri necessariò requi-  
ri, vti Suarius docet.*

*Sacerdos post ablutionem infantis statim pronunciat formam  
Baptismi, aut finita prolatione verborum statim abluit : est ne  
validus Baptismus ? Validum Henríquez asserit, neque repe-  
tendum ; quia tunc materia & forma censentur mora-  
liter concurrere, & esse simul.*

*Quenam corporis pars ordinariè sit abluenda ? Ex Ecclesię  
præcepto caput ; quia in capite sunt omnes hominis  
sensus, vnde eo diluto, totus homo dicitur baptizatus.  
In casu necessitatis omnes Doctores affirmant sufficere  
principalis alicuius partis ablutionem, v. g. brachij, pe-  
ctoris, dorsi. Quid si minima pars ablueretur, digitus v. g. Du-  
bius Baptismus redderetur, tamen sub conditione in-  
fans oportet diluatur.*

*An amentes & furiosi baptizandi sint ? Si ab ipsa natiui-  
tate rationis expertes, baptizentur. Si aliquando com-  
potes rationis fuerint, baptizari possunt cum ante  
amentiam*

amentiam petierint Baptismum, aut propensionem perspicuam ad eum ostenderint. Si habeant lucida interualla, diluantur in amentia dum petierint ante ipsam Baptismum, & periculum mortis immineat.



E X A M E N III.

Circa Materiam Sacramenti Confirmationis.

C A P V T P R I M V M.

De Confirmationis essentia.

**Q**uid Confirmatio? Sacramentum nouæ legis speciale robur Spiritus sancti per vnctionem Chrismatis in fronte, & certa verba significans, & conferens.

14.  
Confirma-  
tionis  
Materia  
& For-  
ma.

Quando instituta? Si antiquæ credendum traditioni, ab ipso Christo in extrema nocte Cœnæ instituta est, & ab Apostolis post Pentecostem fidelibus in usum adhibita.

Quenam Confirmationis materia? Remota quidem est Chrilma, quod oleo constat & balsamo, est certa materia, probabilis oleum oliuarum, cui consecratio Episcopi, vel Sacerdotis à Summo Pontifice ad id munus per priuilegium deputati necessario adiungenda est. Proxima autem est vnctio ipsa in fronte per Episcopi pollicem in modum Crucis adhibita.

Quenam verò forma? Illa sufficiens ac necessaria: Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis; in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

## CAPVT II.

*De dispositione ad Confirmationem, & ritum eam recipiendi.*

15. *Dispositio ad Confirmationem.* **D**ispositionem exprime ad Confirmationem recipiendam? Sua natura gratiam in fuscipiente supponit. Per accidens verò sat est attritio cognita, vel contritio existimata. Dignè igitur, & cum debita intentione fuscipi debet, & semel tantùm. Quod si iteretur, liber confirmatus erit ab irregularitate, non autem à mortali crimine.

16. *Ritus Confirmationis.* **C**eremonias huius Sacramenti exprime. Iure optimo in eius materia tum consecranda, tum in ipso conferendo tot adhibentur cæremonia. Primò enim oleum separatim Episcopus benedicit & balsamum. Deinde super os ampullæ id continentis vnà cum duodecim Sacerdotibus halat; inde postquam admiscuit balsamo reuerenter salutat. Cùm verò conferendum est, Episcopo sacris vestibus induto, in Ecclesia, vel alio decenti loco, susceptor confirmati adsit oportet, qui distinctus esse debet ab eo, qui in Baptismo suscepit. Tunc variæ dicuntur preces, & confirmandus inungitur in fronte, quo factò linea vita adstringitur, ne Chrisma defluat; & alapam accipit. *Quare?* Alij dixerint ob Sacramenti suscepti memoriam. Ego, vt intelligat se contra verbera pro Christo patientia armandum quam quidem sustinentiam Confirmationis Sacramentum specialiter operatur.

C A P V T III.

De Ministro suscipiente, de effectibusque Confirmationis.

**M**inistrum Confirmationis assigna. Ordinarius Minister I 7a  
 necessariò est Episcopus. Ex Papæ singulari con- Minister  
 cessione Sacerdos, non autem eo inferior. Confir-

Si Minister sit hæreticus, aut excommunicatus? Profectò eius  
 administrationem neque hæresis, nec vlla Censura, red-  
 dit inualidam. mationis

Obligaciones huiusce Ministri aperias. Triplici ille obliga-  
 tione illigatur. Prima est, vt aliquoties hoc Sacramen-  
 tum administret. Alioquin ex negligentia omittens Epi-  
 scopus lethaliter peccat. Secunda, vt conferat validè, &  
 licitè. Quod si bis conferat, grauiter delinquit, non ta-  
 men incurrit irregularitatem; quia nullo in iure ex-  
 pressa inuenitur. Tertia denique, vt dignè, se videlicet  
 ad gratiam præparando, vtendo nouo Chrismate, cele-  
 brando cum debita solemnitate, personâsque sibi sub-  
 ditâs tantùm in sua confirmando dicecesi.

Quisnam suscipit Confirmationis Sacramentum? Omnis &  
 solus baptizatus, foemina, puer, infans, amens, è vita  
 discessurus.

Quanam suscipiendi obligatio? Non est necessarium ne- 18.  
 que necessitate medi, neque necessitate præcepti. Vnde Suscipiēs  
 non peccat mortaliter, secluso contemptu, vel alia cir- Confir-  
 cunstantia, qui Confirmationem sponte omittit. Scio mationē.  
 Fillinejum asseruisse olim ob frequentes contra fidem  
 persecutiones adfuisse præceptum diuinum obligans  
 semel in vita ad eam recipendam, & ea cessante  
 expirasse, vel contraria consuetudine abrogatum  
 esse.

Effectus denique Confirmationis indica. Primus ac præci- 19.  
 puus Effectus  
 Confirmationis.

730 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta.*  
pius est gratia, quæ eam, quam in Baptismo recepimus, confirmat, & roborat, unde, ut innui, sua natura gratiam aliquam in suscipiente supponit. Addit etiam propriam Sacramentalem gratiam qua fidelis specialem Spiritus sancti protectionem ad fidei confessionem coram persecutoribus accipit. Animam insuper proprio quodam caractere consignat, tantò Baptismi signaculo perfectiore, quantò est Sacramentum ipsum illo perfectius.

## CAPVT IV.

*Praxis circa præfata ex Societatis  
IESV schola.*

20.  
*De Confirmatione varij casus.*

**A**N necessarium sit vnctionem manu Episcopi fieri, & num sit peccatum alio digito quàm pollice fieri. Necessarium equidem necessitate Sacramenti vnctionem Confirmationis ab Episcopi manu fieri immediatè. Si tamen Episcopus alio digito, quàm pollice inungeret, non peccaret mortaliter. *Fernand.* asserit ex quibusdam Sacramentum constare, etsi vnctio aliquo exteriori fieret instrumento; id quod minimè probarim.

*An expressa Trinitatis inuocatio sit essentialis?* Ex *Coninch* respondeo essentialem esse; quia Confirmatio ad profitendam Trinitatis fidem in Baptismo acceptam refertur.

*Num sit etiam essentialis expressio crucis signi?* Affero cum *Filliuto* essentialem, ut vera sint verba formæ: *Signo te signo crucis*, &c.

*Quenam ætas ad Confirmationem suscipiendam requiritur?* Pueros ante septennium posse confirmari, si vel vsum rationis habeant, vel diu occasio confirmandi non sit futura, vel sint in periculo mortis, vel in dicecessi ea vigeat consuetudo *Laymanus* affirmat.

*Quid si confermentur sine dictis causis?* Peccatum mortale non

*Examen III. De Confirmatione. 731*

non esse reor, imò etsi ante usum rationis consumitur; quia dispositio non est ita ad hoc necessaria Sacramentum.

*An perpetuò amentes sint confirmandi? Docet Suarius confirmandos esse maximè si quis post usum rationis incidit in amentiam; quia adest tunc interpretatiua hominis voluntas suscipiendi tempore opportuno Sacramenta.*

*Num Ordinibus necessariò præmittenda Confirmatio? Est qui affirmet non peccare qui primam tonsuram ante Confirmationem acceptam recipit; qui etiam recipientem sic, reum delicti facere. Asseruerim receptionem primæ tonsuræ absque præuia Confirmatione non excedere culpam venialem leuem; Ordinum autem minorum veniale commissum grauius quidem æquare: Ordinum denique maiorum ad dignitatem eleuatos absque præcedente Confirmatione, mortali sese inquinare delicto, graui equidem Subdiaconum, Diaconum grauiori, adhuc denique plus graui Presbyterum: non autem esse ad Ordines simpliciter necessariam*

*Potest ne Episcopus confirmare eum qui à suo Episcopo literas dimissorias offert vt ordinetur? Potest, & si ordinandus ille est, debet; quia, vt arguit Laymanus, qui concedit finem, concedit ad finem necessaria: at Confirmatio ritè est Ordinibus præmittenda: ergo potest, Episcopus illum confirmare.*

*An Episcopus in propria Diœcesi confirmans possit confirmare subditos alterius Episcopi ibidem concurrentes? Posse assero cum Tannero; quia id gratum fore alij Episcopo est præsumendum.*


*Num Patrinus Confirmationis obligationem contrahat instruendi confirmatum? Cum Coninch negatiuè respondeo; quia id iure non est statutum.*

*Si non confirmatus teneat alterum, in hoc Sacramento contrahit ne cognitionem spiritualem? Non; quia non est legitimus susceptor. At probabile est non confirmatum confirmandum tenere non esse mortale peccatum. Ita Coninch.*

An debeat Confirmationis susceptor alius esse, ac susceptor seu patrinus Baptismi? Ita sanè, nisi necessitas id non ferat. Quid si aliter absque necessitate fiat? Non peccavit mortaliter, ipso Coninch auctore.

Num Religiosi mendicantes possint esse patrimi in Sacramento Confirmationis, & Baptismi? Possunt; quia nomine Monachorum excluduntur tantùm ij, qui colunt solitudinem. Ex eodem Coninch accipi.

Scio unum tantummodò debere esse Confirmationis patrinum; rogo tamen, si plures adhibeantur, an omnes cognationem spirituales contrahant? Contrahunt quidem Doctore Suario. Porrò Toletus asserit posse duos patrinos velut in Baptismo adhiberi.



#### EXAMEN IV.

Circa Materiam de Sacramento Pœnitentiæ.

### CAPVT PRIMVM.

*De Pœnitentiæ virtute.*

2 I.  
*Virtus  
Pœnitentiæ.*

**P**œnitentiæ, vt virtus, quidnam est? Virtus quidem hominem ad peccati detestationem inclinans cum efficaci voluntate satisfaciendi Deo per illum offenso.

Quodnam huiusce virtutis obiectum materiale? Vt fugiendum planè malum est culpæ internæ, siue externæ, propriæ, siue alienæ; vt verò amplectendum bonum ali-quod opus est, & indirectè etiam Deus ipse, cui per actus suos æquiualens reddit.

Quodnam autem formale obiectum? Diuinam resarcire iustitiam,

iustitiam, & pro poena velle dignè satisfacere. Hinc quidem moralem quandam virtutem esse per se infusam, & partem imperfectam iustitiæ, quam potentialem vocant, esse affirmo.

*Quodnam est huius virtutis subiectum?* In voluntate quidem tanquam proximo subiecto residet; remotè autem (Christum, & eius Matrem si excipias) in aliis omnibus hominibus viatoribus, beatis, & in purgatorio existentibus: non in damnatis, incapacibus planè, si ratio status eorum habeatur.

*Virtutis Pœnitentiæ actus recenset.* Profectò pœnitentiæ huiusce actum, qui detestatio dicitur, honestum, & supernaturalem esse assero: Externos verò actus in vniuersum omnes eos esse, quibus commissum peccatum expiatur, & sub ieiunio, eleemosyna, & oratione rectè posse comprehendi affirmo. Sermo de Pœnitentia Sacramento nobis vberior.

C A P V T II.

*De Sacramenti Pœnitentiæ institutione, necessitate, præcepto, materia, & forma.*

**Q**uid est Sacramentū Pœnitentiæ? Sacramentum reconciliationis post Baptismum, in actibus pœnitentis, Pœnitentiæ, & Sacerdotis absolutione consistens. Vnum quidem est natura sua, cuius materia tres continet actus Contritionem, Confessionem, satisfactionem. 22.

*Potest ne iterari?* Maximè, non modò ratione diuersarum culparum, verùm etiam circa eadem peccata, diuersa confessione resecta; quia nescimus, vtrum sine pœnitentiæ lauacro purificatæ stola.

*Distinguntur ne in Pœnitentia tria illa, Sacramentum tantum, res tantum, & vtrumque?* Ita planè; Sacramentum enim tantum sunt externi pœnitentis, & ministri actus:



734 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
res tantum est gratia, & peccati remissio: res autem &  
Sacramentum est interior contritio; hæc enim ab ex-  
terna significatur, & gratiam significat, cuius est  
causa.

23. *Expende Pœnitentiæ necessitatem.* Necessaria quidem est  
necessitate mediæ in re; vel in voto: ita enim à Christo  
instituta est, ut eius susceptio ad integram, necessa-  
riamque dispositionem pertineat: Sufficit autem im-  
plicitum in contritione votum supposita Pœniten-  
tiæ institutione necessariò inclusum: unde, iure di-  
vino, iustificatus contritione Pœnitentiæ Sacramen-  
tum suo tempore recipere, & remissa peccata confiteri  
debet.

24. *Pœnitentiæ quænam Materia?* Remota actualia peccata  
sunt post Baptismum commissa. Proxima, ut innui, tres  
pœnitentis actus, Contritio, Confessio, & satisfactio.  
*Materiam remotam necessariam & sufficientem distingue.* Nec-  
cessaria quidem materia sola mortalia peccata sunt:  
sufficiens autem venialia, vel mortalia semel con-  
fessa.

*Quænam Pœnitentiæ forma?* Illa equidem: *Ego te ab-  
solvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus san-  
cti, &c.* Ex quibus verbis essentialia duo tantum sunt,  
*Absolvo te*, id est, confero tibi gratiam expulsiuam pec-  
cati. Et per se quidem eorum peccatorum remissio-  
nem significat, quæ pœnitens confessus est; ea enim  
dicuntur absolui: per accidens autem etiam aliorum  
remissionem, quæ indirectè remittuntur.

*Potest ne formæ huic vlla addi conditio?* Tunc intelli-  
mente conditio potest, cum Sacerdos vel dubitat de  
pœnitente, an vsum rationis habeat: vel de peccatis an  
ea verè peccata fuerint, nec ne.

*Iterari ne potest absolutio?* Potest tam in ordine ad pec-  
cata post receptum Sacramentum commissa, quam  
in ordine ad illa, quæ ante illud commissa fuissent,  
sed oblita naturaliter, vel legitima de causa omissa;  
in ordine autem ad iam remissa Sacramentaliter,  
vtiliter

utiliter quidem, non tamen necessario iterari potest.

*Absenti ne potest absolutio impendi?* Minimè; quin imo contraria sententia tanquam falsa, temeraria, & scandalosa damnata est, & nullo modo licet eam in praxim, vsúmque deducere.

C A P V T III.

De Pœnitentia effectibus.

**Q**uot sunt effectus primarij Pœnitentiæ? Quatuor. 25.  
 Primus quidem mortalis peccati remissio; ad id enim Effectus  
 tollendum sufficiens est, non modò si semel, sed & Pœnitentiæ.  
 quoties homo peccauerit: & nullum adeò graue peccatum est, nec tam multa, vt per veram pœnitentiam deleri in hac vita non possint. *An vnum mortale sine alio commisso deleri valeat?* Minimè, ne sibi Deus contrarius esse videretur; vnde etiam crimina oblita indirectè remittuntur, ratione gratiæ, quæ vi Sacramenti confertur. Secundus effectus est æternæ pœnæ in temporalem commutatio; hæc verò temporalis non semper tota, neque eius pars certa remittitur, sed iuxta contritionis excellentiam. Tertius, Sacramentalis gratia est; speciale nimirum auxilium, quo pœnitens à peccatis facilius præseruatur, Quartus denique, reliquias peccatorum ex parte tollere: sic enim per hoc Sacramentum ad altaris cœlestis conuiuium ritè disponimur.

*Quotnam autem sunt Pœnitentiæ secundarij effectus?* Tres. Primus est venialium peccatorum remissio. Nam & gratiæ beneficium venialis culpæ condonatio est, & absque gratuito Dei auxilio naturæ viribus non potest comparari. Porro in subiecto sanctificantem hæc condonatio gratiam supponit, quæ vel tunc fiat, vt cum per Sacramentum

736 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
menta quis iustificatur, vel extra illa vi contritionis: siue  
quæ præcesserit, & adhuc maneat. Et quamuis de facto  
nunquam absque gratiæ infusione venialia remittantur,  
vel eius augmento: per se tamen ea non requiruntur.  
Profectò Pœnitentiæ virtutis actus & sufficit, & ad ve-  
niale tollendum necessarius est; non semper formalis  
exigitur, sed satis est virtualis, is nimirum actus erga  
Deum, & diuina, vt ob eius excellentiam, ac bonitatem  
tanquam condignam dispositionem vel omnia, vel ali-  
qua deleat ex suæ sapientiæ dispositione. Talis est actus  
amoris Dei super omnia, & quilibet meritorius, si ab  
operante referatur ad effectum, vt per eum venialis re-  
missio obtineatur. Contritio quæcumque, si vera sit, om-  
nia illa venialia delet, de quibus habetur per modum  
dispositionis meriti de condigno. Si cum veniali pecca-  
to quis moriatur, in ipso separationis animæ à corpore  
momento per actum dilectionis veræ deletur. Redeo  
ad primum secundarium Pœnitentiæ effectum: Per Sa-  
cramenta ex opere operato peccata venialia remittuntur,  
siue lethalibus coniuncta sint, siue per se sola, vt in  
homine iusto. Sacramentalia item, venialia delendi vim  
habent siue ex opere operato, vt probabile est: siue ex  
opere operantis, ratione scilicet boni motus, cum quo  
sæpè fere coniuncta sunt, vt probabilius *Filiutio* vide-  
tur. Secundus effectus est viuificatio operis tum Sacra-  
menti sicte suscepti, tum alterius cuiuspiam quod spe-  
ciali ratione dicatur opus Christi, vt Pœnitentiæ à  
Confessario iniunctæ, satisfactionis Missarum respectu  
offerentium; vel eorum, pro quibus offeruntur: deni-  
que indulgentiæ; nam etiam si in lethali peccato exer-  
ceantur, validæ sunt ad satisfaciendum: sed pœnæ re-  
missio non conceditur, nisi cum à peccato resurgitur.  
Tertius effectus minus principalis Pœnitentiæ est, in  
primam virtutum dignitatem restituere; virtutes enim  
infusas restituit, quæ gratiam consequuntur; & opera  
bona mortificata reuiuiscunt. Non ita peccata semel di-  
missa redeunt, cum denuò quis peccat, sed tantum  
imperfecto

imperfecto quodam modo redire dicuntur, quatenus eadem gratiæ priuatio redit, & pœna maior ob accepti beneficii ingratitude.

C A P V T I V.

De Contritione prima quidem parte  
Pœnitentia.

**D**ixisti partes integrantes Pœnitentiæ esse Contritionem, Confessionem & Satisfactionem. Ad primam igitur Pœnitentiæ partem, siue actum primum pœnitentis accedo. Quid est Contritio? Animi dolor, & detestatio de commisso peccato, cum proposito non peccandi de cætero. Porrò si detestatio ista sit quatenus offensa Dei est, & propter Deum summè dilectum propria Contritio est, Attritioni condistincta; si de peccato quomodocumque, siue ob temporale motiuum, siue ob æternum v.g. ob peccati fœditatem, & inferni pœnam, Attritio est; quæ quidem cum Sacramento sufficiens est ad hominem disponendum ad gratiam, modò supernaturalis sit, & ex motiuo æterno, vt pœnæ inferni, priuationis gloriæ, offensa etiam Dei, sed non summè dilecti. Perfectò Contritio formaliter detestatio quædam est, ad eamque amor Dei super omnia requiritur, non qui tunc eliciatur, sed qui virtute maneat. Necessarium item est ad illam propositum non peccandi de cætero, si per se loquamur: at per accidens, satis est virtuale, si transigendus vitæ cursus in mentem non veniat.

Quo differunt Contritio, & Attritio? Contritio semper cum gratia iuncta est, siue quæ in eodem infundatur instanti, siue quæ antea infusa supponatur. Attritio verò à gratia potest esse disiuncta, vt in peccatore, qui Sacramenta, ad quæ sufficienter Attritio disponderet, non recipit. Contritio quidem sine Sacramento in voto, post  
eius

26.

Contritio  
& Attritio.

738 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
eius institutionem, non iustificat: *Attritio* verò sine Sa-  
cramento in re.

*Requiruntur ne ad singula peccata expianda singule Contri-  
tiones?* Vnus actus sufficit ad omnia delenda. Neque te-  
nemur eodem actu mortalia & venialia detestari; quia  
possumus remissionem mortalium obtinere, non obte-  
nta venialium remissione.

*Potest ne aliquis per Contritionis actum iustificari nisi cogni-  
tionem habeat peccatorum?* Debet planè aliquam cogniti-  
onem saltem confusam peccatorum habere; quia Contri-  
tio est actus voluntatis, quæ in obiectum non fertur in-  
cognitum. Admonuerim tamen pluribus in casibus de-  
bere poenitentem peccata sua distinctè recogitare: v.g.  
quando post Contritionem faciendâ est Confessio,  
quando restitutionis faciendæ extat obligatio, & quan-  
do remedium aliquod ad evitanda crimina est adhiben-  
dum. Porro iustificatur tamen qui Contritionis elicit  
actum vnius solummodo peccati, cuius recordatur, fa-  
cto diligenti conscientix examine.

*Quando nam quis actum Contritionis teneatur elicere?* Non  
statim ac peccat, sed statò tēpore, nempe in mortis arti-  
culo, & in vita aliquoties si solum ius naturale spectetur,  
& probabile est quinto quoque anno. *Quid si ad ius  
positiuum respiciamus?* Nullum determinatum tempus est  
ad quod adultus obligetur extra Poenitentix Sacramen-  
tum, & tunc sufficit imperfecta Contritio, seu Attritio,  
quæ perficitur per Sacramentum. Quare nec singulis  
annis deficiente Confessario, nec singulis festis, nec ra-  
tione periculi obliuionis peccatorum vrget obligatio.  
Ex accidenti profectò vim obligandi potest habere siue  
ob mortis spiritualis periculum, siue ob Sacramenta di-  
gnè administranda, vel recipienda.

*Exigitur ne certus intensiois gradus ad Contritionem?* Mi-  
nimè; satis enim est ipsius substantia in quocumque sit  
gradu.

## CAPVT V.

De Confessione secunda Pœnitentia  
parte.

**Q**uid nomen Confessio? Criminis in Sacramento pœnitentia<sup>27.</sup> manifestatio ad veniam consequendam Confessio-  
eiusdem. *Quando inſtituta Confessio?* Quando in lege nis con-  
Euangelica Christus suis Discipulis Ioan. 20. dixit: *Acci- ditiones.*  
pitate Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittun-  
tur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Ita deſcribitur  
à Doctoribus: Legitima peccatorum accuſatio facta  
coram Sacerdote in Sacramentali iudicio Dei locum  
habente, ad veniam peccatorum virtute Clauium obti-  
nendam.

*Precor Confessionis recenseas conditiones.* Ad duo reuoco  
capita: ad Materiam ſcilicet, & ad modum. Vt materia  
ſit integra, ſimplex, pura, fidelis, nuda, diſcreta, fortis,  
frequens, & accelerata: Modus autem, vt fiat cum ani-  
mi dolore, humilis, libens, verecunda, lacrymabilis, &  
parere parata, & vt fiat ſecretè.

*Eſt ne modus eſſentialis, vt fiat Confessio ſecretè?* Etiamſi  
publicè fieret, vera Confessio eſſet; quamuis honeſtus  
valde, & humanæ naturæ accommodatus ſecretæ Con-  
feſſionis vſus habeatur.

*Num ſit de absoluta neceſſitate vt humana voce fiat?* Mini-  
mè; conſuetudo tamen, cum id fieri poteſt, obligatio-  
nem præcepti iam introduxit. Poteſt & per interpre-  
tem, nuncium, & teſtes fieri; & quamuis natura ſua Sa-  
cerdos præſens eſſe debeat pœnitentis Confessione; vt  
illam audiat: attamen in caſu, quo Sacerdos ad morien-  
tem accederet, à quo nullum peccati, vel doloris ſignum  
poſſit extorquere, contentus eſſe poſſet intermedio  
nuncio, vel teſte, qui affirmaret, pœnitentem Confessio-

740 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
nem petiisse, & illum in præsentia absoluere; quod de-  
creto Clementis VIII. non repugnat; talis enim in præ-  
sentia, non in absentia absoluitur, Confessariòque per  
testem quasi crimina præsentantur.

*Integritatem exprime Confessionis?* Præcipua quidem  
Confessionis conditio integritas est aut formalis aut  
materialis. Ad materialem quidem pertinet, vt Confes-  
sio fiat de omnibus mortalibus commissis post Baptis-  
mum non confessis hætenus, quorum poenitens habet  
conscientiam. Omnia quidem quò ad species moraliter  
distinctas, quoad numerum, & quoad circumstantias,  
quæ species immutant: non autem necessariò quoad  
circumstantias aggravantes intra eandem speciem, nisi  
in casibus sigillo secundo appositis. *Peccata semel confessa*  
*aperienda ne sunt?* Non, nisi peculiari Religionis alicuius  
regula, vel voto quis ad id obligaretur; modò prior  
Confessio valida fuerit; si enim fuisset inualida neces-  
sariò iterum aperienda erunt. *Quid de venialibus?* Nec  
omnia, nec aliquod ex necessitate declarandum. *Dubia*  
*ne de mortali?* Sub dubio sunt exprimenda. *Mendacium est*  
*ne mortale in Confessione?* Si circa materiam sit necessa-  
riam mortale est: si circa non necessariam: veniale, per se  
loquendo. *Explica necessitatem formalis integritatis.* Ita ne-  
cessaria est formalis integritas, sicut Confessio; quia  
sine sufficienti dolore, & proposito fit irrita.

*Est ne causa sufficiens materialis integritatis omittenda?* Ita  
planè. Et quidem in articulo mortis potest adesse occa-  
sio sufficiens materialis integritatis omittendæ; quin  
etiam contritionis dumtaxat signa possunt sufficere ad  
absolutionem impendendam, siue cum conditione  
mente intellecta: *si capax es*: Siue etiam absque illa  
absolutè; vnde etiam si huiusmodi signa data fuerint in  
absentia Sacerdotis, satis erunt, modò absolutio (vt in-  
nuì) in præsentia concedatur. Præterea proprium, vel  
alienum nocumentum satis esse aliquando poterit; ad  
omittendæ eius generis peccata, vnde nocumentum ti-  
metur, modò tamen alia exprimentur, cum rationabilis  
adeft

adeſt cauſa Confefſionis faciendæ , alioquin ipſam Confefſionem præſtabit omittere. Nec tamen cum aliquod peccatum reticet ex cauſa prædicta , primo quoque tempore, cum aderit occaſio Confefſionis integræ, ad eam tenebitur ; ſed expectare poterit tempus neceſſarium. *An reſeruatione ſola peccati ſit cauſa ſufficiens diuidendæ Confefſionis? Quidquid alij docuerint, ego iudico, ſufficientem cauſam non eſſe, ac etiam inferiori Sacerdoti omnia eſſe tam reſeruata quàm non reſeruata manifeſtanda, vt abſolutio eorum, quæ reſeruata non ſunt, directè habeatur, de alijs indirecta, donec directè Superior abſoluat. Eſt ne ſufficiens cauſa dimidiationis Confefſario complicitis notitiam non dare? Quando alius non ſit, qui complicem non agnoſcat, non eſt ſufficiens cauſa, niſi ex notitia nocumentum aliquod complici ſecuturum timeretur ; quando autem alius adſit complicem non agnoſcens, dimidiari Confefſio poteſt. Excusat ne ab integritate ignorantia? Si inuincibilis ſit, excuſat, ſicuti naturalis obliuius ; ſi vincibilis, non excuſat, niſi minima eſſet negligentia, quæ ſcilicet peccatum veniale non excederet : quando verò vincibilis eſt etiam mortaliter, ſed non eſt per ſe intenta, probabile quidem eſt efficere Confefſionem validam ; ſecurior tamen eſt contraria ſententia, quæ nullam eſſe pronunciat ; tunc autem valere aſſero, quando ignorantia, quæ reuera vincibilis eſt, inuincibilis reputaretur.*

*Quenam ad Confefſionem inſuſcipiente requiritur diſpoſitio? Primo quidem ad effectum gratiæ dolor aliquis neceſſarius eſt, quo eum admiſſæ culpæ pœniteat. Is verus eſſe debet, non tantum exiſtimatus : & ſupernaturalis, donum ſcilicet Dei non inhabitantis adhuc, ſed mouentis, ſiue ad contritionem attingat, ſiue intra Attritionem conſiſtat. Præterea dolor hic vniuerſalis eſſe debet, omnium videlicet peccatorum ſaltem mortalium, quæ remiſſa non ſunt, etiam obliuorum : ſatis autem eſt Attritio etiam cognita. Secundò, ad valorem Sacramenti aliquis dolor exigitur, cum eſſentialis ipſius pars ſit,*

28.

Diſpoſitio  
pœnitentis.



742 *Moral, Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
 isque efficax, & absolutus cum proposito non peccandi  
 de cætero. *Num necessarius sit dolor supernaturalis?* Sufficit  
 naturalis, qui tamen supernaturalis existimetur. *Necessa-*  
*rium ne ad omnia peccata confessio se extendere dolorem?* Si  
 quodpiam ex iis excluderetur, quod mortale esset, nul-  
 lam efficeret Confessionem. *Propositum non peccandi de cæ-*  
*tero formale ne, an virtuale debet esse?* Bona fide interceden-  
 te virtuale sufficit, præsertim in venialium Confessione.  
 Ex defectu debiti doloris dari ne potest Confessio in-  
 formis, sed valida? Potest planè, primò scilicet, si dolor  
 ex naturali motu fuerit, supernaturalis autem reputetur.  
 Secundò, si dolor ad omnia mortalia se quidem  
 non extendat, inculpabiliter tamen eius peccati obliui-  
 scatur, ad quod attritio se non extendit: vel si culpa-  
 biliter, ignoretur tamen culpa. Porro informis Confes-  
 sionis fictione recedente, Sacramentum suum effectum  
 fortietur.

29. *Potestatem Clauium explica.* Ea est soluendi, ac ligandi  
 facultas, qua Ecclesiasticus iudex dignos valet ad cælo-  
 rum Regnum admittere, & indignos repellere, Ordinis  
 & iurisdictionis continens potestatem. *Quidnam potestas*  
*Ordinis?* Nū aliud quàm Character, quatenus ex diuina  
 ordinatione Sacerdos deputatur, vt per illum in pœni-  
 tentiæ foro iudex esse valeat. *Iurisdictionis potestas quid?*  
 Auctoritas, qua vnus alteri Superior fit in foro Pœni-  
 tentiæ. Vtraque ad peccata remittenda necessaria, illa  
 quidem in ipsa Sacerdotis ordinatione confertur, hæc  
 per extrinsecam Ecclesiæ concessionem: vnde hæc ab  
 Ecclesia tolli, illa nullo modo potest.

30. *Quinam Pœnitentiæ, seu Confessionis est Minister?* Solus  
 Sacerdos etiam malus, neque alius in extrema neces-  
 sitate esse potest. *Num omnis?* Non sufficiens est om-  
 nis Sacerdos, nisi fortè peccator extremè indigeret,  
 aut tantum venialia peccata commisisset, aut mor-  
 talia iam ritè confessa rursus confessioni sola exponer-  
 ret. Igitur iurdictio Ordini est adiungenda.

*Quotplex iurdictio? Duplex.* Altera quidem Ordina-

ria, cum ex vi proprii muneris est aliquis Superior alteri in Pœnitentiâ foro, v.g. Summus Pœntifex, Episcopus, Parochus, ad quos alij ferè Ordinarij reducuntur. Altera iurisdicção dicitur Delegata, quæ nimirum ab habentibus Ordinariam aliis conceditur. Vnde Papa cuiuscumque Sacerdoti, pro quolibet loco, & pro quibuscumque peccatis eam delegare potest, Episcopus in sua Diœcesi tantùm, Parochus in sua parœcia, si adsit Ordinarij approbatio. *Potest ne Papa delegare sine Episcopi aut Parochi licentiâ, aut Episcopus sine Parochi facultate?* Ita planè, vnde delegatus à Papa non potest ab Episcopo nec delegatus ab Episcopo, v.g. Regularis, non potest à Parocho, imo etiam si subditus eius esset, à Confessionibus audiendis prohiberi. *Est ne ad delegandam huiusmodi potestatem vlla necessaria forma?* Nulla, sola sufficit voluntatis declaratio, porrò rati habitionem de futuro non satis esse existimo; præsens enim Superioris consensus requiritur sufficienter expressus. *Quot modis de facto delegata huiusmodi facultas est?* Tribus. Primò, à iure respectu pœnitentium, quibus Confessorem eligendi concessa est potestas. Secundò, à consuetudine, quo pacto Sacerdos quiuis in articulo mortis, & à venialibus peccatis, vel mortalibus iam confessis potest absolvere. Tertiò ab homine, siue sit personalis, siue communis, v.g. quæ Religiosis per priuilegia tradita est; vnde & confessio iis facta Sacramentalis, & valida est, & pœnitens ea peccata confiteri amplius non tenetur. *Quandiu iurisdicção delegata durat?* Quandiu non reuocatur; neque enim per delegantis mortem finitur; quia sequitur regulam gratiæ, quæ concedentis obitu non expirat.

*De iurisdicção delegata ex parte pœnitentis, cui datur facultas Confessarium eligendi, differe.* Dare possunt Ordinarij Pastores tres, scilicet Pontifex, Episcopus, & Parochus huiusmodi facultatem. De facto autem iure Diuino solus Papa Confessarium sibi potest eligere; iure Ecclesiastico Episcopi Superiores, & inferiores Prælati exemptis consuetudine autem Parochi, alique simplices Sacer-

744 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
 dotes Confessarium sibi eligunt. Ab homine denique  
 illam habere solent Reges, alique Principes, & per Bul-  
 lam Cruciatæ Hispaniæ, & Siciliæ populi. *Sufficit ne fa-*  
*cultas interpretativa aut presumpta?* Non, nisi aliquibus fi-  
 gnis fundetur, quæ præsentem voluntatem Superioris  
 sufficienter indicent; nec satis est vt facultas peratur, si  
 non obtineatur. *Requiritur ne vt Sacerdos, cui facultas hæc,*  
*seu iurisdiclio conceditur, idoneus sit?* Ita planè. Adesse de-  
 bet in primis in eo bonitas, hoc est, fidelitas intentionis  
 in conferendo Sacramento. Sanctitas ad valorem Sacra-  
 menti non requiritur; ad vsum rectum, & licitum est  
 necessaria. Secundò, scientia, vt causam poenitentis va-  
 leat diiudicare. *Quid si scientia tanta non sit, vt absolutionis*  
*nouerit formam, & mortalis peccati à veniali distinctionem?*  
 Secundum generalem, & communem rationem inhabi-  
 lis esset ad hoc Sacramentum conferendum. Tertio re-  
 quiritur approbatio ab Episcopo, nisi Parochiale benefi-  
 cium obtineret. Porro approbatus simpliciter, pro om-  
 nibus est ex se locis approbatus; non ita qui pro certo  
 loco tantum, vel pro certo genere personarum. *Durat*  
*huiusmodi approbatio?* Quandiu non reuocatur, nec ob  
 mortem (vt innui) concedentis expirat: quin imò  
 absque iusta causa assero non posse reuocari.

31. *Quia ad Ordinariam iurisdictionem pertinet etiam casuum*  
*casus re-* *reservatio, hoc est, negatio iurisdictionis circa aliquod peccatum:*  
*seruati.* *rogo, quænam crimina reservari possunt?* Peccata quidem so-  
 la culpæ ratione habita reservari valent, non tantum  
 ratione Censuræ, & de facto multa sunt eo modo ab  
 Episcopis reservata, licet à Papa omnia ferè etiam Cen-  
 suram habeant adiunctam. Sola mortalia reservari pos-  
 sunt. *Quid requiritur uti sit valida reservatio, & ut sit licita?*  
 Externa debent esse peccata, vt expediens reservatio sit:  
 vt valida, potestas tantum in reservante adesse debet,  
 saltem respectu eius, qui tantum delegatam habet  
 confitendi potestatem; vt iusta, iusta etiam causa exigitur.  
 Vnde à Tridentino, aliisque Pontificum decretis, pau-  
 cos ab Episcopis reservandos, eosque grauiores edi-  
 citur.

dicur. *Quisnam ab eis potest absoluerè directè?* Qui reserua-  
uit, eiusque Superior, isque, cui à reseruante commissâ  
est facultas. Iter agens si reseruatum suo Episcopo ca-  
sum habeat, ab eo potest absolui, cui in eo loco potest  
confiteri. Inferior autem Sacerdos non potest nisi in  
mortis articulo. *Tenetur ne Superior petenti subdito largiri  
potestatem, ut absoluat?* Tenetur aliquando ex iustitiâ,  
aliquando potest denegare. Si tamen graue damnum  
timeat, ex charitate, & sui muneris debito concedere tenetur;  
ideoque regulariter facilem se potius exhibeat.  
In eius equidem potestate est, vel absolutè illam com-  
mittere prudenti Confessario, vel certum pœnitentiæ  
onus adiungere; vel etiam comparandi Superiori, si  
casus habeat annexam Censuram. *Potest ne à solis reserua-  
tis Sacramentaliter absoluerè?* Potest aliquando, si iusta cau-  
sa adsit, & pro aliis ad inferiorem. Admonuerim fatuus  
facturum, si omnium alteri committat absolutionem.  
*Sermo de absolutione indirecta procedat.* Poterit etiam infe-  
rior rationabili de causa omnium peccatorum Confes-  
sione audita à reseruatis, pro absolutione directâ ad Su-  
periores remittendo. *Quandonam ab inferiori poterit pœ-  
nitens absolui directè?* Semel à reseruatis absolutus à Su-  
periori, ab inferiori quolibet, cui possit peccata confi-  
teri, de iisdem potest absolui. Aufert planè reseruatio-  
nem Superior, etiam si quis in Confessione apud eum  
facta omittat aliquod ex non reseruatis: multo que ma-  
gis si quis virtute Iubilæi absolutus ab omnibus alicuius  
reseruati oblitus esset.

*Sigilli Confessionis exprime obligationem.* Ad illud Confes-  
sarius obligatur Sacramenti supposita institutione iure  
quodam naturali: tantâque est eius obligatio, ut neque  
pro tuenda Republica à quocumque malo siue tempo-  
rali, siue spiritali violari liceat, nedum pro vita propria  
defendenda. *Vndenam oritur obligatio hæc? num ex sola  
Confessione perfecta?* Imò ex inchoata oritur, facta non so-  
lum Sacerdoti vero, sed & existimato. *Quenam reticenda?  
Peccata, & quæcumque circumstantiæ eorum, & omnia,*

32.  
Confessio-  
nis sigil-  
lum.

746 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
quæ ad peccatum declarandum manifestata sunt, etiam  
publica peccata quatenus habita in Confessione. Porrò  
hæc omnia ita sunt reticenda, vt pœnitens minimè de-  
tegaratur: alioquin de peccatis in Confessione auditis, si  
generaliter sermo instituat, modò prudenter, & cau-  
tè id fiat, non violatur sigillum: satius nunquam in hu-  
iusmodi sermonem incidere. *Quinam ad sigillum seruand-  
um tenentur?* Confessarius, interpretes, vel nuncius, con-  
filiarius, & qui furtiuè audit fortassè Confessionem, &  
is cui sacrilegus Sacerdos alterius peccatum reuelaret.  
*Licet ne ipsi Confessario de rebus in Confessione perceptis cum pœ-  
nitente extra Confessionis occasionem loqui?* Minimè, nisi de  
eius facultate expressa, quam solum cogente necessitate  
petere curauit. *An indirectè frangi potest sigillum?* Seruandú  
planè omnibus modis, tam directè, quàm indirectè. Vn-  
de dicere non licet: *Hunc non absolui.* Seruari debet ver-  
bis, signis, factis, denique in Ordine ad quamcumque  
interrogationem, quæ siue in iudicio, siue extra illud  
fieri posset, debet obseruari. *Licet ne uti notitia in Confessio-  
ne habita?* Minimè, si cum morali periculo reuelationis  
directè vel indirectè sit. *Publica ne pœnitentia imponi potest  
à Confessario?* Non nisi voluntaria à pœnitente acceptetur;  
nec actio vlla externa debet exerceri, vnde proba-  
bilis suspicio reuelationis possit oriri. *Cuinam pœ-  
næ subiacet sigilli violator?* Depositionis pœnam à iu-  
dice inferendam incurrit, & in Monasterium detru-  
ditur.

*Quonammodo circa personam complicis secretum obseruan-  
dum est?* Absque rationabili causa detecto in Confessio-  
ne complice, mortalis ex suo genere culpa committitur.  
Si malum aliquod complici probabiliter ex reuelatione  
timeatur, reuelare non licet; si tantum id damni, quod  
ex notitia sub sigillo Confessori commissa sequitur,  
tunc licet, quando alius Sacerdos non adfit, cui complex  
ignoratus sit. Porrò eodem sigillo complicis peccatum  
tenetur seruare Confessor, quo peccata pœnitentis:  
nec ea scientia licet vllò pacto vti, quo manifestari  
compli

complicis persona possit. *An de licentia ipsius pœnitentis uti Confessario liceat peccati complicis scientia in bonum pœnitentis? Licet; at prudenter id fieri necesse est, ne iure con-  
queri complex queat.*

*Quenam præcepta pertinent ad Ministrum Confessionis? Primo, debet pœnitentis dolorem explorare; & si quidem non debite eum dolere agnoscat, absolvere non debet; tunc autem multò magis explorandus est dolor, & propositum non peccandi de cætero, cum vel peculiari restituendi inest obligatio, vel proxima est occasio relinquenda. Secundò integritas exploranda prudenti interrogatione, tum Confessionis initio, tum progressu, & fine. Tertiò, cum pœnitens est in statu de se malo, ut in validi matrimonij, si quidem de veritate eius rei dubitet pœnitens, illam debet Confessarius aperire; quod si non profuturam credat admonitionem, vel in proprium damnum vertendam, potest, & debet reticere.*

*Inter pœnitentem & Confessarium opinionum varietas intercedit, pœnitente volente absolvi, Confessario autem absolute indignum iudicante: quidnam præstandum est? Sux adhærere Confessarius opinioni debet; quia tunc iudicis debet prævalere sententia. Quid si oriatur dissidium ex eo, quod Confessarius proprius Sacerdos non sit, & pœnitentem, audita eius Confessione, nolit absolvere; quia sibi videatur obligatus non esse: pœnitens autem absolutionem efflagitet? Pœnitentis sententia Confessori sequenda est; quia audita Confessione tenetur absolvere. Si pœnitens vni probabili sententiæ adhæreat, contrariam verò probabilitorem Confessor existimet: quid? Pœnitentis sententiæ probabili, probabiliori reiecta, se debet Confessor conformare.*

33.  
Osser-  
uanda à  
Confessa-  
rio.

## CAPVT VI.

*De Satisfactione tertia parte Pœnitentia.*

34. *Satisfactio.* **Q**uid est Satisfactio? Voluntaria solutio, & quædam compensatio iniuriæ Deo per peccatum illatæ; cum proposito non peccandi ampliùs. Confert maximè ad pœnæ temporalis remissionem, quam per opera sua iustus posset absolūtè obtinere.

*Quenam conditiones requiruntur vt quis per opera sua pœnæ temporalis obtineat remissionem?* Aliquot requiruntur. Prima, vt qui satisfacit in gratia sit; quia dum in peccato moratur, nec pro remissis peccatis satisfacere potest, nec bonâ opera in illo facta vnquam ad satisfactionem reuiuifcent ex opere operantis. Secunda, vt sit viator. Tertia, vt opus liberum sit moraliter bonum, & honestum, siue sit ex consilio, siue etiâ ex præcepto, siue internum, siue externum. Quarta, vt sit pœnale; scio probabile esse opus omne bonum & meritorium, esse quoque satisfactorium. Porrò pro quolibet peccato satisfieri per quodlibet opus pœnale potest, si ratio habeatur solutionis pœnæ: non ita si ratio medicinæ spectetur. Etiam per pœnas extrinsecus illatas, v.g. ægritudines, bella, aliaque incommoda satisfacere possumus, modò propter Deum voluntariè acceptemus. Quinta denique ex parte Dei requiritur eius permissio, vt opera nostra infallibiliter satisfactoria sint, & alterius vitæ pœnas remittant. Hisce conditionibus opera nostra de condigno satisfactoria dicuntur pro illa purgatorij pœna quæ peccato respondet, non adhuc plenè quoad pœnam remisso.

*Iam de Sacramentali satisfactione integrali quidem Sacramenti parte non essentiali, disseras precor.* Hæc planè aliquem habet

habet effectum ex opere operato, nempe eius pœnæ remissionem, quæ præter illam, quæ merito respondet operantis, confertur. Datur per eam præseruans auxilium ad peccatorum emendationem.

*Tenetur ne Confessor semper pœnitenti satisfactionem impone?* Regulariter, & per se loquendo tenetur, non quidem semper per modum præcepti, sed aliquando per modum consilij, nonnumquam spectato doloris documento externo etiam potest absoluere nulla imposita pœnitentia. *An propterea in libera Confessarij voluntate relictam dicis pœnitentiæ seu satisfactionis impositionem?* Minimè, sed consideratis debitis circumstantiis imponi ab eo congruentem satisfactionem debere, & ex iusta causa leuiorem, & nullam specialem aliquando ob dolorem affirmatiuam sufficientem ad integritatem Sacramenti speciali dolore, & illa clausula superaddita formæ absolutionis: *Quidquid boni feceris, &c.*

*Conditiones satisfactionis sacramentalis enumera.* Debet esse opus moraliter bonum, personale regulariter, (ex consensu tamen Confessarij potest etiam per alium confici) denique particulare, & determinatum.

*Potest ne huiusmodi satisfactio imposita tolli, & commutari?* Potest tum ab eodem Confessario in Sacramento pœnitentiæ, tum ab alio, sed audita Confessione saltem in specie, si æqualis Confessarius est primò; tum à Superiori Confessario eodem modo. Profectò Indulgentiæ plenariæ applicatio valet priorem pœnitentiam extinguere. Denique inferior potest commutare in ordine ad ea peccata, in quibus habet iurisdictionem; nam circa reseruata non posset nisi in necessitate, cum facilis non esset ad Superiorem recursus.

*Debet ne pœnitens pœnitentiam acceptare?* Debet, & Confessor ad id eum valet obligare, supposito quod se velit Clauibus subiicere. Est autem obligatio suo genere grauis. *An possit in statu peccati impleri?* Profectò



750 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
Etò ad Sacramenti integritatem satis est eam in sta-  
tu peccati impleri; sed venialem in eò culpam com-  
mitti existimo.

## CAPVT VII.

*Praxis circà præfata ex Societatis  
IESV schola.*

35.  
De Con-  
tritione  
varij ca-  
sus.

**E**st ne Contritus qui mauult fuisse mortuum, quàm Deum  
offendisse? Contritum videri si id ex Charitatis mo-  
tuo procedat ex Lopez Saa affirmat.

Num sufficiens cum Sacramento dolor est, dolere quod  
non satis doleam? Idem Saa ex Nauarro asserit sufficien-  
tem esse; itémque displicentiam ex peccato cum pro-  
posito cauendi.

*Infirmus in articulo mortis constitutus tenetur ne in rigore, &  
ex præcepto de omnibus peccatis mortalibus, quæ commisit in vi-  
ta, actum Contritionis elicere? Minimè, sed sufficit Confessio  
cum attritione cognita de solum non confessis; quia  
Tridentinum docet ad salutem & gratiam à Deo impe-  
trandam attritionem cognitam cum Sacramento Pœ-  
nitentiæ sufficere. Optimum tamen factu cum Coninch  
reor, in articulo mortis ob Dei amorem perfectum de  
peccatis dolorem excitare.*

*Moritur quis absente Confessario: tenetur ne reuocare in  
memoriâ omnia peccata sigillatim, vt de illis Contritionis  
actum eliciat? Negatiuè cum Laymano respondeo; sufficit  
enim vt illa in vniuersum derelictur.*

*Sufficit ne ad remissionem peccatorum venialium extra Sa-  
cramentum pœnitentiæ in iustis attritio? Sufficit probabili-  
ter vt docet Suarius, addito proposito illa vitandi in  
posterum.*

*Conficitur quis plura peccata venialia: sufficit ne ad Sacra-  
menti validitatem tantum de vno dolere seu Contritionis, seu  
attritionis*

attritionis actu elicito? Ex Lugo cenſeo ſufficere cum propoſito illud vitandi; quia vnum peccatum veniale remitti ſine alio poteſt.

Attritio de peccatis ob malum temporale, eſt ne ſufficiens ad Confessionis effectum? Quatenus id prouenit à Deo ſufficiens eſſe reor cum Gaſpare Hurtado; non verò ſi eſt ob malum temporale, vt aliunde eueniens, vel euenturum, & ſine reſpectu ad Deum.

Pœnitens bona fide ſua peccata aperuit, & culpa in ſolo confefſario reſedit ob ſuauitatem, ſomnolentiam, aut animi vagationem: validè ne & fructuoſè abſoluitur à non percipiente omnia crimina conſeſſa? Ita planè, modò pœnitens poſtea cognoscens vnum, vel plura peccata mortalia non fuiſſe à Confefſario intellecta, ea ſola cum aliis poſtea commiſſis in ſequenti Confefſione iterum aperiat. Sic Laymanus, & Henriquez.

Per ignorantiam quis aliquod peccatum in Confefſione omiſit, eo quod erroneè putaret tale non eſſe, ſi poſtea cognouerit illud eſſe mortale, tenetur ne priorem Confefſionem repetere? Ex Reginaldo Vaſquez, & Lugo cenſeo non teneri, etſi error vincibilis fuerit: ſed tantùm quod fuit omiſſum confiteri.

Post Confefſionem aliquam inuvalidam, fecit quis debitè alias intermediarias, in quibus ex obliuione non eſt conſeſſus inuvalidæ Confefſionis defectum: an opus ſit omnes Confefſiones priores reiterare? Ex placito Vaſquez, Lugo, & Toleti aſſero opus non eſſe, ſed ſufficere ſolùm nullitatis defectum, & peccata in ea Confefſione explicata aperire; quia Confefſiones intermediarè validæ fuerunt.

Mentitur quis ſe veniale peccatum commiſiſſe: peccat mortaliter, an venialiter? Cum Suario iudico venialiter peccare, ſi alia peccata certa confiteatur; at ſi peccatum illud veniale tota materia ſit Confefſionis, delinquere mortaliter; quia nullam materiam ſubiicit abſolutioni.

Confiteor de peccato, vt dubio, poſt ea comperio me illud peccatum commiſiſſe: teneor ne illud iterum vt certum in Confefſione aperire? Teneris Turriano & Sanctio authoribus; quod tamen

36.

De Confefſione.

752 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramentæ,*  
tamen non procedit, quando pœnitens integrè confes-  
sus est, quod fecit, dubitans tamen an esset mortales;  
quia ad Confessionis valorem non est necessum pœni-  
tentem, aut Confessarium scire determinatè peccatum  
illud esse mortale, vel non.

*Quis post diligentem conscientie discussionem dubius manet,*  
*an mortaliter peccauerit, & in neutram partem inclinat. Debet,*  
*Suario, & Sanctio docentibus, peccatum illud sub dubio*  
*confiteri.*

*Testis simul rogatur de pluribus articulis, sub iuramento, & in*  
*omnibus mentitus est: tenetur ne in Confessione aperire se in om-*  
*nibus esse mentitum? Minimè, sed tantum debet dicere,*  
*Transgressus sum iuramentum: quia tantum est vnum*  
*peccatum. Sic Sanchez. Vnde Fagundes vnum tantum*  
*peccatum committere ait, qui sæpius vouit, aut iurauit,*  
*se aliquid facturum, violando votum, aut iuramentum,*  
*neque hanc circumstantiam repetiti voti, aut iuramen-*  
*ti esse aperiendam in Confessione. Addit Azorius eum,*  
*qui voto vel præcepto prohibitus est ludere, si tota*  
*nocte cum quatuor vel quinque ludat, vnicum pecca-*  
*tum committere.*

*Diu quis fuit in prauo statu, & inueterata alicuius peccati*  
*consuetudine, nec potest numerum designare. Satisfaciet, (vbi*  
*Suarus docet) tempus, quo in tali statu vixit, decla-*  
*rando. Tamen debet præter tempus præcipuas pec-*  
*catorum species dinumerare, v.g. si peccauit cum con-*  
*iugato, affine, Sacerdote, &c. Colligit hinc Fagundes*  
*haud esse cogendos rusticos, ad priores Confessiones*  
*repetendas sine specificatione, numero, & diligentia*  
*factas.*

*An in eodem actu physico plures malitiæ morales numero di-*  
*stinctæ inueniri possint in Confessione exprimendæ? Inueniuntur*  
*planè, Vasquez authore. v. g. qui statuit per totam*  
*Quadragesimam non ieiunare, tot peccata committit,*  
*quot sunt dies Quadragesimæ. Qui eodem verbo lædit*  
*grauiter famam trium, tribus criminibus implicatur:*  
*Qui vnico verbo decem ad peccandum inducit, decem*  
*commisit*

commisit peccata : Denique coniugatus, qui cum alterius vxore adulterium committit, bis contra iustitiam peccat. *Qui tres Clericos vno occidit ictu in quos incurrit excommunicationes ?* In tres, *Molina & Salas* afferentibus ; fecus qui ter eundem Clericum vulnerat.

*Repetit quis sapius eodem actû, & tempore eandem blasphemiam.* Reginaldus docet vnum tantum blasphemiam peccatum commississe in Confessione aperire debere. Nec necesse esse exprimere quænam verba contumeliosa in Deum vel Sanctos fuisse prolata; quia omnes contumeliæ eiusdem speciei sunt.

*Multis imminet periculum vitæ, v.g. in naufragio, bello, peste: possunt ne omnes simul aliqua peccata confiteri, & dolorem ostendere, & sic simul omnes vnica forma absolui ?* Ex *Coninck*, & *Lugo* posse assero ; quia talis Confessio est formaliter integra.

*Habet quis casus reseruatos, vrgētque communicandi aut faciendi sacrum necessitas : potest ne ad vitandam grauem infamiam, confiteri solum peccata non reseruata, & reseruata reticere : vel elicere actum contritionis, & absque præuia Confessione sic communicare ?* Vtrumque affirmo probabiliter. Quod si tantum attritus esset posset confiteri inferiori Sacerdoti non reseruata.

*Vocauit quis proximum ebrium, suxem, &c. Sufficit ne in Confessione dicere : Toties contumelia proximum affeci ?* Affirmat *Azorius* sufficere ; quia omnes contumeliæ eiusdem speciei sunt, & conueniunt in ratione formali, quæ est intentio alterius famam lædendi.

*Duos quis adit Confessarios, quorum alteri mortalia, alteri venialia constitetur, vti bonam famam apud ordinarium Confessarium tueatur : rogo num delinquat ?* Cum *Suario* assero non delinquere ; quia est Confessio integra, neque est vera hypocrisis, neque mendacium. Admonerim tamen per accidens posse esse peccatum mortale, si ob hanc causam pœnitens in occasione peccati mortalis maneret.

*Accedit quis ad Confessarium dicens se facturum generalem*

754 *Moralis Theol. Tract. VII. Sacramenta.*  
*lem Confessionem : debet ne omnia mortalia aperire ?* Negative  
respondeo cum Henriquez, si iam sint Confessione alia  
expiata. Addo facientem Confessionem generalem, &  
nolentem manifestare se aliquod peccatum ab vltima  
Confessione commisisse, posse illud inter alia peccata  
prius confessa aperire. Sic Lugo & alij.

*Confessio sine venialiter mala peragitur : redditur ne inde  
inualida ?* Minimè (Vasquez docet) quandiu suscipiens  
per hoc non peccat mortaliter.

*Consuetur quis peccata præterita olim confessa : tenetur ne  
elicere nouum dolorem ?* Teneri assero cum Henriquez &  
Billuio ; quia debet semper adesse nouum motuum  
erubescencia, & doloris, quoties quis confitetur. Pro-  
fecto necessarium non est de omnibus de nouo do-  
lere, sufficit de vno, vti de venialibus certum esse di-  
ximus.

*Verecundia prohibitus, non audeo peccata ore confiteri : pos-  
sum per scriptum ?* Non peccare te mortaliter Vasquez  
affirmat, modo Sacerdos præsens sit. Vnde (vti adno-  
tat Laymanus) si ægrotus præ faucium dolore, ægrè  
posset ore confiteri, posset autem facilius per schedam,  
omnino absoluendus esset ; quia consuetudo ore pro-  
prio confitendi, in hoc casu tam grauitè non  
obligat.

*Rogo, vtrum aut in Paschate, aut in mortis articulo te-  
neatur quis per scriptum confiteri, si aliter non possit ?* Re-  
spondeo cum Henriquez non teneri ; quia hic confiten-  
di modus est inusitatus, nec periculo vacat ; cui sese  
potest voluntariè exponere qui in casu præterito per  
schedam confitetur.

*An teneatur quis per interpretem peccata aperire ?* Nemo  
Ecclesiastico præcepto tenetur, vti Vasquez docet ; quia  
esset aliquo modo publica Confessio. At si ægrotus  
probabiliter dubitat, an habeat Contritionem, tunc  
tenetur ex charitate per interpretem confiteri, si aliter  
nequit ; ne se exponat damnationis periculo. *Potest ta-  
men peccata maioris infamia subtricare ?* Potest ; imo cum

Coninck

Coninch probabiliter assero posse confiteri aliqua peccata venialia in specie, & generatim omnia mortalia. Attamen satius consulendum omnia speciatim crimina aperiri, quia interpret tenetur obseruare sigillum, vt dixi.

Tenetur ne peccata scribere pœnitens, qui labilis est memoria? Non teneri sentio cum Vasquez; quia ante Confessionem iubeamur tantum præmittere sufficiens conscientie examen, non verò conseruare peccatorum memoriam. Nullum denique post mediocrem adhibitam in discussione conscientie diligentiam in ordine ad Confessionem teneri assero vterius de antea acta vita cogitare. Quid si aliquid occurrat, quod explicatum in Confessione non videatur? Potest sibi pœnitens persuadere, illud cum cæteris fuisse memoratum.

Potest Confessarius propter delinquendi consuetudinem absolutionem differre? Quidquid alij arguant in contrarium, posse cum Suario iudico.

37.

De Absolutione.

Pœnitens vnum tantum peccatum confitetur, quod reseruatū esse videtur, at Confessarius probabiliter credit non esse reseruatū: valet absolutio? Valere crediderim cum Lessio; quia probabilis Doctorum opinio facit, vt Ecclesia impendat Confessario iurisdictionem.

Dubito de pueri capacitate quoad vsum rationis. Da ei absolutionem sub conditione saltem animo retenta; quia in dubiis pœnitenti fauendum. Sic Laymanus.

Debitor est in mora soluendi, sæpius confitetur, neque restituit, habet tamen animum restituendi: peccat ne mortaliter, vel est ei neganda absolutio? Cum Molina negatiuè respondeo, si ex illa dilatione detrimentum creditori non sequitur.

An absolutio ab excommunicatione à laico moribundo homini data valida sit, ita vt in loco sacro possit sepeliri? Imò aliqui censent hominem laicum hæreticum in articulo mortis absolueri posse ab excommunicatione. Sequor negatiuam sententiam cum Auila; quia

756 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta;*  
folis Sacerdotibus absoluendi est concessa fa-  
cultas,

*Potest ne Confessarius alicuius Iubilei virtute ab hæresi oc-  
cultâ penitentem absolvere? Non posse, si non sit purè men-  
talis Suarius docuit. Attamen Fagundes & alij decem  
graues Authores contrarium asseruere. Henriquez, Gra-  
nados & alij censent Episcopos vigore Tridentini posse  
ab hæresi occulta absolvere, nec per Bullam Cœnæ illi  
potestati derogari. At Sanchez & alij probabilius con-  
trariæ adhærent sententiæ, quam sequor. Possunt ne Præ-  
lati Regulares ab hæresi occulta suos subditos absolvere? Assero  
ex Molina minimè posse: hæreticum tamen regularem  
non solum ab Inquisitore absolutionem posse obtinere,  
sed ex licentia Superioris se Episcopo subiicere, & ab il-  
lo absolui, etiam Superiori renitente. Id quod etiam  
procedit, quando Prælati iniuste licentiam denegaret.  
Profecto (vti ex Sanchez didici) Inquisitores Hispaniæ  
possunt ab hæresi absolvere non solum in foro exter-  
no, sed etiam in conscientiæ foro; ita vt quilibet In-  
quisitor eandem cuilibet Confessario possit facultatem  
impertiri. Quoniam à crimine ad Tribunal S. Inquisitionis spe-  
ctanti absolui poterit quisnam Cruciatæ virtute? Sortilegium,  
maleficium, superstitio, magia, adoratio Dæmonum, so-  
licitatio in Confessione, blasphemia hæreticalis, lectio  
librorum hæreticorum, defensio eorum, & id genus  
alia, quæ si quis committat, modò non habeat errorem  
in intellectu, & de rebus fidei bene sentiat, poterit  
Bullæ Cruciatæ virtute à quolibet Confessario absol-  
ui; quia hæc Bulla solam excipit hæresim. Ita  
Suarius.*

*Absoluendus ne moribundus, qui à Confessario tantum nu-  
tibus absolutionem petit? Absoluendum docet Suarius;  
quia Deus à nobis aliam confessionem non exigit,  
quam quæ nobis hic & nunc est possibilis. Profecto  
moribundus, qui vsu sensuum amisso pectus tundit,  
oculos ad cælos tollit, est absoluendus sub conditione,  
vti asserit Laymanus; licet dubium sit num hæc signa ex  
dolore,*

dolo-  
ricul-  
conf-  
cerd-  
plexi-  
supra-  
fente-  
te ips-  
posse-  
nec n-  
sub c-  
tum e-  
opini-  
Su-  
confess-  
sacrite-  
existi-  
impe-  
absol-  
pecca-  
Conf-  
tenti-  
detur-  
ctiffim-  
Theo-  
posse-  
rupti-  
Sacri-  
Co-  
tem a-  
Suari-  
restit-  
tuere-  
Su-  
tum e-  
statum-  
neri

dolore, an ex mortis angustiis orientur; quia illo in articulo hæc pectoris tunſio tacita cenſetur peccatorum confefſio. Idem dicendum cenſeo de eo, qui genibus Sacerdotis aduolutus peccata confefſurus ſubita apoplexia corripitur. Porro in caſibus in præſenti, & ſuſupradictis in quibus moribundus (ſeu confefſario abſente teſtantibus præſentibus ſigna dediffe, ſeu præſente ipſo vidente) poteſt abſolui, Sacerdotem non tantum poſſe ſed debere ratione charitatis cum *Vasquez* aſſero; nec neceſſarium eſſe ſi ex opinione probabili abſoluit, ſub conditione abſolutionem impertiri; quia hoc tantum debet fieri in dubio propriè dicto, non autem in opinione.

*Successiue quis, & ſine notabili interruptione multorum confessiones excipit in ſtatu peccati mortalis: committit ne tot De conſacrilogia lethalia, quot confessiones audit? Profectò ſemper exiſtimaui tot peccata committere, quot abſolutiones impertitur; quia toties Sacramentum efficit, quoties abſoluit. At Fagundez ex Roderico accipiens aſſeruit peccatum vnum tantum committere, ſufficerèque ſi in Confefſione dicat; Adminiſtrauſ Sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali. Non mihi improbabilis videtur opinio propter actionem continuatam. Imò doctiſſimus vir ex Societate noſtra *Alfonſus Vasquez* de Theologia morali optimè meritus aſſeruit ſententiam poſſe defendi ex paritate Epifcopi ſucceſſiue ſine interruptione multos confirmantis, qui vnico ſeſe adſtringit Sacrilégio.*

*Confefſarius ex ignorantia vincibili non obligauit pœnitentem ad reſtitutionem, cum deberet: tenetur ne ipſe reſtituere? Suarius negatiue reſpondet, modò pœnitenti obligato reſtituere non dicat, vt non reſtituat, vel cogat reſtituere, cum non tenetur.*

*Suppono confessionem priorem inualidam fuiſſe ob peccatum velatum: ſi confefſor ſaltem confuſè recordetur pœnitentis ſtatum tenetur ne pœnitens priora peccata repetere? Non teneri cum *Vasquez* aſſeruo. Quid ſi nec in confuſo recordetur,*



758 *Moral. Theologia Tract. VII. Sacramenta,*  
*sed tantum sciat sibi fuisse confessum, & ita absoluat? Validam esse absolutionem Laymanus ait, peccare tamen Confessarium; quia non potest rectè circa pœnitentiam imponendam suo munere fungi.*

*Scit Confessarius pœnitentem commississe peccatum & non esse confessum; debet illum absoluerè? Iudico, cum Suario, non debere; quia non est forma Sacramenti non disposito applicanda.*

*Intelligit Confessarius pœnitentem ignorantia inuincibili, vel saltem non culpabili laborare, & nullum sperat fructum ex admonitione, sed potius animi inquietudinem, rixas, vel scandala: an dissimulare debeat? Affirmat Suarius; quia cum admonitio nihil sit profutura, ignorantia pœnitentem excusabit à peccato.*

*Licet ne Confessario pœnitentem de complice in ordine ad ipsius correctionem interrogare? Negatiuè respondeo cum Gordono & aliis; quia finis Sacramenti Pœnitentiæ est pœnitentis iustificatio, non emendatio complicis.*

*Dubium est de Sacerdotis iurisdictione: num licitum sit sequi opinionem probabilem probabiliori relicta? Licere Sanchez docet. Quid si non adsint rationes, sed ambiguus hæret animus? Non potest (authore Suario) Sacerdos absoluerè nisi urgente necessitate, idque cum onere eadem peccata iterum confitendi Sacerdoti certam habenti iurisdictionem.*

*Assolent incautè sese gerere Confessarij interrogando de quibusdam peccatis pœnitentes, maxime feminas: rogo, an teneantur huiusmodi interrogationibus uti, si aliter non possint statum pœnitentis agnoscere? Respondeo cum Coninch præstare aliquando Sacerdotem minùs perfectè peccatum pœnitentis agnoscere, quàm vel illi, vel sibi scandalum generare.*

*Confessarius quis in Burgensi Diœcesi approbatus est, non in Vallisoletana: rogo num possit pœnitentem Burgensis Diœcesis in Vallisoletana absoluerè? Posse iudico cum Suario; quia cum huiusmodi Confessarius habeat iurisdictionem*

tionem in personas pœnitentium, non est territorij ratio habenda.

*Sufficit ne rathabitio de præfenti ut Sacerdos validè possit Confessiones audire?* Sufficit; (Sanctum sequor) quia rathabitio de præfenti est tacitus consensus, & interpretatiuus, qui sufficit.

*Confessarius secularis Burgensis Diœcesis potest ne pœnitentem Vallisoletanæ Burgis commorantem à casibus Vallisoleti reservatis absolvere, qui quidem Burgis non reservantur?* Posse existimo cum Henriquez, modò id non fiat in proprij Ordinarij fraudem; quia quilibet iuxta forum loci, in quo est, iudicandus.

*Potest ne Confessarius in una approbatus Diœcesi vbique audire confessiones per Bullam, vel tubileum, absque noua Ordinarij approbatione?* Cum Henriquez affirmo; quia & potest à quocumque eligi in Confessarium: Bulla enim solummodò requirit Confessarium ab Ordinario esse approbatum. Idem Suarius de habente beneficium Curatum asserit: quia talis per Tridentinum est absolute approbatus.

*An possit Episcopus approbationem semel concessam ad confessiones audiendas reuocare?* Sine iusta causâ (Suario affirmante) non potest: Imo nec debite præsentatum, & examinatum reiicere; quia potestas illi data est in ædificationem, & hæc reuocatio, vel reiectio est nulla.

*Approbatus quis est cum limitatione ad confessiones virorum, non autem feminarum audiendas: potest ne privilegio Bullæ à feminis eligi?* Posse docet Henriquez; quia est simpliciter approbatus, si quidem illa limitatio ex defectu ætatis, non scientiæ apponitur.

*Possunt ne Episcopi restringere Religiosorum approbationes ad audiendas confessiones virorum solummodo?* Ex iusta causâ posse Suarius asserit. *Quid si limitatio iusta causâ careret?* Esse inualidam sentit Henriquez. Iudico non faciliter huiusmodi causam adesse, eum Clerici viginti & quatuor annorum seculares quidem, qui tam spirituali instituto non sunt imbuti per beneficium Parochiale sine vlla

760 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
limitatione approbentur. *Quid si Religiosus ex odio ab Episcopo non approbaretur?* Probabile reputat *Fagundez*, posse confessiones audire; quia ipso iure approbatus in *Clement. Dudum de Sepul.* quam existimo à Tridentino minimè reuocatam.

*An Prælati Religiosorum possint sine approbatione Ordinarij confessiones audire?* Quidquid affirmet *Henriquez*, cum *Suario* iudico secularium minimè posse audire confessiones.

*Potest ne Parochus ad suorum excipiendas Confessiones simplicem Sacerdotem ab Episcopo non approbatum exponere?* Scio *Ledesnam* & alios affirmatiuè respondere, non obstante Tridentini decreto. Attamen cum *Suario* & *Vasquez* affero minimè probabile esse post DD. Cardinalium Tridentini interpretum declarationem. Profectò quando quis semel approbatus est ab Episcopo aliquo, poterit ubique seu à Parocho, seu à Superiore Regularium ad suorum confessiones audiendas assumi, absque noua Ordinarij approbatione, uti *Suarus* affirmat.

39. *Dubitatur num casus reservatus sit aliquod delictum: est ne De castibus reservatis?* Respondeo cum *Suario* præsumi non esse reservatum, postèque poenitentem absolui; quia reservatio odiosa quidem strictè interpretanda.

*Casus à Superiori reservati pertinent ad Nouitios?* Non pertinere docet *Azorius*; quia ad Religionis onera non tenentur.

*Reservato lapsu carnis, quidnam censetur reservatum?* Afferit *Henriquez* & *Granados* censeri reservatum illud solum, quod secundùm quantitatem operis externi, & non sola relatione ad consensum internum, certò constat esse mortale.

*Potest ne Superior Regularis sibi reservare tactus quoscunque, & oscula?* Minimè; (*Suarus* ait) quia non comprehenduntur verbo: lapsus carnis voluntariè opere consummati. Secus, si tactus impudici, quæ numquam indifferentes.

Obtinuit

Obtinuit quis licentiam aliquem absoluendi à reseruatîs : potest ne etiam absolvere ab iis, quæ post concessam licentiam commisit ? Ex Præposito & aliis respondeo affirmatiuè ; quia concessio tacitè intelligitur de similibus casibus, qui post illam concessionem Clauibus bona fide subiiciuntur. Quod verum arbitror etiam si petens licentiam scripisset non esse relapsus periculum, si id bona tunc fide fecerit.

Dixisti habentem reseruata, si confessus est legitimo Superiori, vel habenti potestatem absoluendi, & si per obliuionem omiserit reseruata, tolli reseruationem, vii Coninch ait : quid, si quando confessus est reseruata, inualidè, id est, sine dolore confitetur ? Tollitur reseruatio Præposito auctore.

Superior absoluit subditum tantùm à reseruatîs : quidnam ei faciendum ut ab aliis absoluat ? Teneri postea illa ipsa reseruata cum non reseruatîs inferiori Sacerdoti confiteri, ex Coninch accepi.

Absoluitur quis in articulo mortis à reseruatîs per inferiorem Sacerdotem : tenetur ne, si conualuerit, coram Superiore comparere ? Suarius non comparendum docet ; quia in mortis articulo nulla reseruatio. Alia est ratio de Censurarum reseruatione, de qua supra.

Subditus ex facultate concessâ (v. g. ob peregrinationem) absoluitur à reseruatîs cum onere comparendi : tenetur ne comparere ? Non teneri affirmant Vasquez & Hurtado, si antè absolutionem dictum onus ignorauit.

Episcopus in casum incidit reseruatium summo Pontifici : potest ne absolui à subdito ? Possè absolui à casu, à quo ipse potest alios absolvere asserit Suarius, delegando eam facultatem alteri. Porrò & Episcopi Vicarius, qui habet potestatem subdelegandi, potest absolui ab alio, si in casum Episcopo reseruatium incidit ; quia subdelegatus à Vicario primi delegantis vice fungitur, & perinde est, ac si ipse primò delegans delegasset. Quam doctrinam Superioribus Regularium accommoda, si aliàs non prohibeantur.

Potest ne Confessarius pœnitenti imponere in Sacramentalem satisfactionem

40.

De satis-

762 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
*satisfactionem opus pœnale applicandum pro animabus Purgatorij, vel orationes pro illis recitandas? Posse Turrianus verè affirmat, licet alij negarint.*

*Est ne imponenda pœnitentia sub obligatione? Sufficenter esse Sacramentalem, si per modum consilij imponatur docet Suarius, qui addit opus alioqui præceptum posse aliquando in pœnitentiam iniungi. Satisfacit ne pœnitens per ieiunium ab Ecclesia indictum, si Sacerdos iniungit ieiunium absolutè? Coninch negat, nisi ex Confessarij verbis aliud colligi possit.*

*An possit Confessarius pœnitentiam omnino liberè faciendam arbitrio pœnitentis imponere? Ex Suarij sententia affirmo non semper requiri, vt aliquod opus in particulari iniungatur præsertim spiritualibus personis: sed sufficere, si dicat: Impono tibi pro pœnitentia quidquid hodie, vel hac hebdomade boni feceris, vel mali passus fueris.*

*An possit per alium impleri pœnitentia? Posse asserit Suarius, modò iusta adfit causa.*

*Valet ne Confessarius pro pœnitentia iniungere pœnitenti, vt à sacra abstineat Communione? Scio nuper Ioannem Sanchez negare, sed cum doctissimo Ferdinando de Salazar assero huiusmodi abstinenciam locum pœnæ fidelis quidem grauis obtinere.*

*Dixisti pœnitentiam in peccato mortali ab existenti geri posse: rogo, num huiusmodi Sacramentalis pœnitentia per contritionem reuiuiscat, cum homo resurgit? Reuiuiscere cum Suariorio iudico; quia cum satisfactio sit pars Sacramenti pœnitentiæ, recedente culpa, consequenter suum sortitur effectum non tantùm quoad gratiam, sed etiam quoad pœnæ remissionem. Colligo ex Vasquez sententia satisfactionem in Sacramento pœnitentiæ gratiam ex opere operato causare: ideoque non peccare mortaliter, qui eam in statu peccati implet; quia non ponit obicem effectui essentiali Sacramenti. Sed tantùm effectus perfectioni, & integritati.*

*Leuem quis, aut grauem pœnitentiam accipit pro venialibus,*

aut mortalibus alias confessis, quam quidem culpabiliter omit-  
tit: num delinquat mortaliter? Affero ex Laymano non  
peccare grauius; nisi ex illa omissione sequatur  
peccandi mortaliter periculum, v.g. si ob necessa-  
riam medicinam carnalis transgressionis iniuncta  
esset.

Est ne absoluentus pœnitens nolens pœnitentiâ satisfacto-  
riam sibi à Confessario impositam acceptare? Cum Suario  
& Vasquez affero non esse absoluentum; quia sub  
onere peccati mortalis illam debet acceptare.

Peccat ne Confessarius mortaliter culpabiliter pœnitentiâ  
non adiungens? Ex Suario respondeo licet culpabiliter à  
Confessario omittatur Sacramentum esse; quia pœni-  
tentiâ satisfactoria pars Sacramenti essentialis non est,  
sed integralis: peccare tamen mortaliter ex genere  
suo, venialiter quidem si confessio venialium sit, aut  
mortalium aliâ confessione dilutorum. Scit pœnitentem  
pro peccatis satisfecisse. Si per reuelationem cognoscere-  
tur, potest pœnitentiâ grauem non imponere, sed le-  
uissimam imponere debet ad Sacramenti integritatem.  
Quid si affirmet se velle Purgatorij pœnas subire? Leuem  
pœnitentiâ adhuc imponat ad Sacramenti integrita-  
tem; præcipuè cum agnoscat grauem non acceptatu-  
rum. Quid in mortis articulo? Si compos sensuum satis  
infirmus, id est voce uti possit, iniungat, ut semel nomen  
IESV & MARIÆ proferat, ad valetudinem grauiorem  
satisfactionem imponens. Tempore Iubilei potest pœnitentiâ  
imminui? Posse affero cum Toletio. Delinquit ne grauius  
qui die assignato pœnitentiâ non adimplet? Existimo gra-  
uem culpam non esse modò aliâ adimpleat. Confessa-  
rius moneat non intèdere ad culpam grauem illigare.  
Si irrationabiliter grauis pœnitentiâ fuit? Non tenetur im-  
plere, quia nec Confessor ligare eum potuit, nec pœni-  
tens sese intendit illigari. Quanam temporis interuallo  
adimplenda est? Saltem per vnius anni circulum, si aliter  
Confessarius non disposuit, aut medicaminis expetiuit  
instantia. Excidit ex memoria pœnitentiâ iniuncta? Non  
debere

764 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
debere confessionem iterare cum *Suario* existimo. Se negli-  
gentiæ accuset, & Confessarius iniungendæ pœni-  
tentiæ aliquid superaddat.

41. *De sigillo Confessionis.* Confessarius commisit defectum in confessione; quia v. g. pœ-  
nitentem ad restitutionem non obligavit: potest ne cum illo lo-  
qui de supradicto defectu? Minimè sine ipsius expressa li-  
centia, ut *Fagundex* asserit. Quid si pœnitens neget? Culpa  
erroris à Confessario in pœnitentem transferetur. Quæ  
vera esse iudico, etsi huiusmodi error statim à finita  
confessione deprehenderetur.

Scio ex confessione aliquem esse dignitatis alicuius ac muneris  
indignum: possum ne, cum secreta sunt suffragia, meum denega-  
re? Minimè; quia fugiendum quidquid illud Sacramen-  
tum potest reddere odiosum. Ex *Corinthe* doctrina. Quid  
si habet alios defectus, ætatis, scientiæ, &c. Teneor dare suf-  
fragium ei, quem aliàs indignum esse ex Confessione cognoui? Non  
teneris.

Confessor in loco ubi confessiones audit, asserit committi graue  
aliquod peccatum. v. g. *Sodomie*, &c. Violat ne Confessionis sigil-  
lum? Non violari affirmo cum *Henriquez* addenti, si cor-  
ram infirmioribus & sine spirituali utilitate hoc dicat,  
grauiter peccare propter offendiculum: quia audien-  
tes facile possunt à confessione alienari.

Manifestauit quis aut sine necessitate aut necessariò complicit  
delictum in Confessione: potest ne Confessarius sine sigilli viola-  
tione complicitis crimen aperire? Non posse *Suario* docet;  
quia peccatum complicitis est ita coniunctum cum pec-  
cato pœnitentis, ut vix vnum sine alio possit agnosci.

Confessarius cum pœnitentis licentia petendi consilij causa,  
aperit alteri Sacrodoti Theologo peccata in Confessione audita:  
quæro, num Theologus sigillum Confessionis frangat, si postea cum  
aliis de illis peccatis loquatur? Non peccat contra sigillum,  
sed contra naturale secretum; quia (ut ait *Vasquez*)  
non reuelat in Confessione audita.

## CAPVT VIII.

*Practica adhuc speciales Resolutiones, Confessarium  
ad munus rectè obeundum in-  
struentes.*

**Q**uoniam modo Confessarius peccati grauitatem dignoscet? 42.  
 Cùm contra legem delinquitur, consideret pœ- Confessarij  
prudentia  
circa pœ-  
nitentiam.  
 nam impositam transgressori: si grauis, v.g. mortis, tri-  
 remium, flagellorum, &c. grauis transgressio; si leuis  
 pœna, v.g. paruæ nummorum quantitatis, leue deli-  
 ctum. Ob graue proximi incommodum grauis culpa  
 committitur. Peccatum quod de se grauiter Dei aut  
 proximi charitati opponitur lethale quidem. Cùm lex  
 humana aliquid præcipit vti valde graue, & necessa-  
 rium, obligat ad mortale, si materia, & finis grauis sit, &  
 verba legislatoris huiusmodi indicant obligationem, id  
 quod ex pœnæ collige grauitate. Peccata Capitalia  
 tunc esse mortalia dignoscet, quando aut Decalogi aut  
 Ecclesiæ aliquod præceptum grauiter læditur. Ita *Azo-  
 rius, Sanctius, Suarius, Reginaldus, & alij.*

*Quoniam modo se in principio Confessionis geret? Cognoscat,*  
 num subditus sit iure ordinario, aut priuilegio. Num  
 præmisso sufficienti examine accedat? Num sit excom-  
 municatus? An aliquod peccatum ob verecundiam ta-  
 cuerit? An pœnitentiam Sacramentalem impleuerit?  
 statum denique pœnitentis recognoscat, vt officij vel  
 muneris speciales discutiat obligationes.

*Quid in ipsa Confessione?* Ex officio quidem haud te-  
 netur interrogare. Attamen cùm probabiliter ex cir-  
 cunstantiis agnoscit aliquod peccatum præteriri lethale,  
 interroget necessum est. Peccatorum numerum, &  
 circumstantias faciat aperiri, si grauia crimina, & spe-  
 ciem mutantis circumstantiæ. Si certum numerum  
 adæquare



766 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
 adæquare non possit pœnitens ad singulos menses,  
 hebdomadas, aut dies descendat. Priùs audiat pœniten-  
 tis meditatam conscientia relationem, mox ad interro-  
 gationes necessarias procedat, post totam quidem Con-  
 fessionem, modò periculo obliuionis non exponatur.  
 Periculum nimia disquisitionis fugiat, præcipuè cum  
 fœminas, moniales, pueros in materia luxurici audit.  
 Apud mercatores nimium acutè fraudum materias non  
 euoluat, ne medicina sit ægritudinis occasio. Haud sunt  
 ab omnibus omnia interroganda. Non indicet se per-  
 tranfennam huic maneri incumbere, sed sedeat ac si  
 nullum aliud negotium instaret. Non sese ostendat aut  
 impatientem, aut iratum, aut ob graua, vel enormia  
 crimina scandali vulnere affectum; ne pœnitens con-  
 fusioni cedens aliquod crimen audeat obuelare. Curet,  
 ne complices sine necessitate nominatim assignentur  
 ne se pœnitens vltra malitiam damnet; ne dubium pro  
 certo referatur, aut certum pro dubio. Attendat, num  
 veniale sit ob consensus imperfectionem, aut attentio-  
 nis defectum aliquod crimen; an annexam habeat  
 censuram; an sit restitutionis obligatio. Si error in  
 Confessione Confessarij culpa commissus est, non mo-  
 neat pœnitentem cum scandali periculo; si autem fa-  
 cilè possit, corrigat cum pœnitentis licentia sub eodem  
 sigillo. Ita *Suarus, Reginaldus, Filliutius, Laymanus, Azorius,*  
*Pallaus, & alij.*

43.  
*Variis æ-*  
*grotis ad-*  
*bibeat*  
*medici-*  
*nam.*

*Quonammodo sese Confessarius gerere debeat circa pœniten-*  
*tes variis criminum speciebus pressos, vel diuersimodè illigatos,*  
*percurramus: Quis necessariam christianæ doctrine non callet*  
*cognitionem.* Haud eum ideo sine absolutione dimittat.  
 Sufficit cognoscere pœnitentem hoc aut illud non esse  
 fidei contrarium, Deumque ac Ecclesiam hoc aut illud  
 præcipere, licet non suo ordine cognoscat. Quod si hoc  
 etiam ignoret, præcipua eum mysteria doceat, suadens  
 accuratius studium. Sic *Sanchez & Toletus* adiiciens adeo  
 pœnitentem benigniter esse excipiendum, vt non ré-  
 nuat redire.

*Quis*

*Quis variis negotiis implicatur.* Attendat Confessor pœnitentis munia, contractus ; vt cognoscat num aliqua sit aut elapsi criminis , aut futura instantiæ restitutionis obligatio. Sic *Reginaldus*.

*Quis se de venialibus quasi de mortalibus accusat.* Illum à conscientiæ errore liberet, post commissâ ob erroneam conscientiam crimina cum profiteri faciet. Ex eodem Doctore.

*Scrupulis quis irretitur.* Si Dei timore illi donentur quocumque examine præmissio admittat, curétque vt tempus in conscientiæ discussione impensum in contritione impendatur. Adhuc *Reginaldus*.

*Tenetur pœnitens seu facultates, seu famam restituere.* Aperiatur ei obligationem , procurans vt quamprimum impleatur, præcipuè cum post aliquam confessionem nondum proximo est satisfactum.

*Aliquod votum pœnitentis commutandum est.* Aduertat sub confessionis fine quænam futura sit vtilior operum commutatio iuxta Sacerdotis aut pœnitentis facultatem.

*Accedit artifex.* Cognoscat num muneris , aut officij obligationes sciat : si ignorat, aperiatur, suadeátque, quamprimum fieri certiozem. Sanchez sic.

*Dubitat quis, an teneatur aliquam legem implere.* Non absoluat, donec diligentia adhibita cognoscatur , num lex obliget. Quod si post diligentiam veritas non apparuerit, absoluat eum quasi inuincibili ignorantia presum. Si autem certò constet legem obligare , & pœnitens nolit obedire , absolueudus non est, affirmante *Sanctio*.

*Publicus peccator confessurus adstat.* Non repellat, sed benigniter exceptum curet ad contritionem allicere , *Reginaldo* auctore.

*In mortis articulo quis constituitur.* Signa dans doloris, aut fide dignis testantibus exhibuisse sub conditione dispositionis est absolueudus ex plurium sententia. Ego cum *Vasquez* conditionem nullam requiro.

*Mutus à natiuitate accedit.* Curet aliquod saltem peccatum deferuentibus signis, aut nutibus corporis ad materiam Sacramenti exponi, & absoluat. *Quid si nullum peccatum declarare valeat?* Signo doloris præmissio est absoluedus sub conditione capacitatis in articulo mortis, & quando Confessionis præceptum obligat. Vti equidem mutus potest interprete, qui signa, ac nutus differtius calleret. *Ira Toletus.*

*Alienæ linguæ pœnitens confessurus adstat.* Si callens propriam eius linguam inuenitur, ad illum remittatur, aut, si vult pœnitens ipse, interpretes aduocetur. In mortis articulo sufficit doloris signa proferre, aut signis aliquod crimen aperire. Quod si valens non expectetur per longi temporis interuallum illius linguæ peritus Confessor, potest aliquod aperiens peccatum absolui, & non alio tempore; quia præceptum integræ confessionis strictius planè quàm expiationis annuæ obligatio. *Quid si Sacerdos plures culpas licet non omnes percipiat?* Potest absolui, vti annuæ Confessionis, & Communionis præceptum impleatur. *Reginaldus & alij.*

*Affirmat quis se nunquam peccatorum mortalium numerum explicasse.* Si rusticus, non semper credendus. Si consultò, seu mala fide non prætermisit, haud eum cogat confessionum peccata repetere, sed cum adhibito auxilio, ad numeranda peccata alliciat. Sic *Reginaldus*, & *Azorius.*

*Adstat qui operuit peccatum mortale in Confessione.* Si verecundia, aut ignorantia grauiter culpabilis fuit iterandæ confessiones. Si postquam culpabiliter tacuit, bona fide de hinc confessus sæpè fuerit, solummodò confessionem, aut confessiones illas, quas mala fide gessit, debet iterare, *Suario doctore.*

*Item quis aut odio, aut iniustitia persequitur.* Si iustè agit licet odio instigante, non absoluat nisi proponat ius sequi sine affectu vindictæ. Si autem iniustè minimè absoluedus, nisi aut dimittat, aut dimittere firmiter proponat. *Suaris & Reginaldus.*

Utitur quis æquiocatione iuramenti, ita ut audiens ignoret, quandonam verum, seu falsum affirmet. Contra humanum commercium delinquit. Quod si iusta causa non adfit, non licet huiusmodi uti æquiocationibus, ideo pœnitens incusandus, uti Sanchez affirmat.

Quis sine titulo Ordines suscipit. Absoluatur à peccatis, & immittatur ad eum, qui potest à suspensione absolueret. Quid si Episcopus agnouit illum sine titulo ad sacrum Ordinem accedere? Suspensionem Clericus non incurret, Episcopus autem tenebitur de eius sustentatione prouidere. Ita Suarius.

Accedit Clericus, qui in sacris constitutus, aut Beneficio fungens, qui nec tonsuram, nec Clericalem vestem gestat. Se gerat Confessarius, si propositum non mutat pœnitens, tanquam cum eo, qui peccandi occasione haud vult nuncium remittere. Sic Reginaldus.

Quid si Clericus aut Beneficio fruens Officium Canonicum non persoluat, nec emendationem promittat? Minimè est absolutionis beneficio donandus, Reginaldo auctore.

Inualidè quis nupsit, aut consensus defectu, aut aliquo impedimento intercedente. Curet dispensationem de impedimento obtineri, aut consensum prudenter eliciat, ex noua contrahentium vnione.

Sacramentum confessionis inis ea, quæ secundis nuptiis operam dedit putans coniugem obuisse, sine iudiciis, aut testimonio sufficienti. Debet absolutionem abnegare, si nolit à peccato recedere. Sanchez iudicium sufficiens obitus esse ait, si maritus erat proluxæ ætatis, & post discessum plures anni elapsi sunt; vel scit se bello commisisse, à quo non rediit.

Coniux affirmat fore, ut non consequatur salutem æternam, se à coniuge non separetur. Si admonitiones salutares non sufficient, & diuortium Sacerdos iudicat medicinam, absoluat pœnitentem. Sic Reginaldus.

Quonammodo se geret cum libidinis mediatore? Sunt actiones intrinsicè malæ, v.g. auxilium præstare, ut amafij fœminæ quam quis consequi curat, interficiantur: & actiones

770 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
actiones indifferentes, v.g. comitari, vel tueri eum, qui  
peccatum commissurus accedit. Epistolas amatorias  
manifestè turpes deferre, malum est intrinsecè episto-  
las, quibus aduocatur amasia, indifferentes sunt; quia  
potest in alterum finem vocari. Igitur eis qui serui non  
sunt, siue famuli, vnum non licet; quia intrinsecè ma-  
lum; alterum, quia valde graui crimini propinquum  
est. Famuli autem actiones indifferentes licitæ erunt,  
quando sine graui incommodo non possunt mutare  
domicilium, & inibi perseverantes graue damnum ti-  
ment, præcipuè si dominus vehementer ab ira corrip-  
i solet. Indicabo quænam actiones communiter à fa-  
mulis assumptæ indifferentes sint. Parare equum quo  
profecturus dominus ad amasiæ domum: cum inibi  
commorantem foris custodire: amasiæ mensam appo-  
nere: cibos præparare: ad domum reducere: episto-  
las deferre de quarum turpitudine graui non moraliter  
constet, licet affectu sint exarata: dona ferre, ac referre  
ostia, aut fenestram aperire: dominum amasiæ osten-  
dere: auxilium domino præstare, vt ascendat: scalam  
tenere. Porrò vt licitè famulus teneat scalam opus est,  
vt grauius solito damnum timeat; quia ascensus per  
scalam in domum iniuria est domus domino iusta.  
*Sanchez l. 1. c. 7. consulatur.*

*Consuetudine quis grauatur aut iurandi mendaciter, aut vo-  
luntariè polluendi.* Si ægrè ferat, haud ei absolutio differ-  
ratur, præcipuè cum non adest spes reuersionis ad con-  
fessarium. Attamen si inueterata sit consuetudo, &  
remissum propositum differat absolutionem priùs pœ-  
nitente de non sufficienti dispositione conuictò. Ita  
*Henriquet.*

*Decimas quis multis ab hinc diebus debet Ecclesiæ.* Triden-  
tinum præcipit hominem huiusmodi non absolui, do-  
nec debitum reddat, excommunicatione adhibita. Pro-  
fectò si potens soluere, mox necessum est soluat, vt ab-  
solutionis beneficio fruatur. Si autem est impotens, in  
foro conscientia ab excommunicatione, & peccatis  
absoluendus

absoluendus cum cautione solutionis, quia constat eum non malitiosè decimas retinere. Quod si excommunicacione percussus non fuerit sufficit ut à peccatis absoluaturnon proposito soluendi accedere, uti *Avila* affirmat. Nec quidem extra iuris casus expressos minimè ab eo est solutionis iuramentum extorquendum.

*In proxima quis est occasione peccandi?* Proximam illam occasionem appello, qua circumstantiis spectatis rarò quis à peccato assolet abstinere. Certè peccatum ipsum ex huiusmodi occasione exurgens debet esse mortale; occasio etiam particularis vsuræ, v.g. debet esse; quia mercaturam facere non est occasio proxima, licet munerere, seu officio quis abutatur. Præterea talis debet esse occasio, qua nunquam aut rarò non delinquitur; quia occasio proxima non est ea, qua rarò delinquitur; v.g. qui repentino affectu ter aut quater per vnus anni circulum cum famulante fœmina deliquit sine animo ulterius delinquendi. Demum circumstantiæ spectandæ sunt; quia quod vni occasio est proxima peccandi, alteri non erit, v.g. iuueni fœminæ vna in domo societas in proximam occasionem cedet, quæ seni nullum minatur nocumentum. Igitur occasio proxima est immoderatæ iuuentuti cibis calidis vesci, vnde experimento edidicit se volûtaria pollutione fœdari; aut Comœdiis interesse, qui rarò sine graui culpa recedit, &c. *Quando nam tenebitur pœnitens ab occasione proxima recedere, priusquam absoluaturnon proposito soluendi accedere, uti Avila affirmat.* Cum occasio proxima est voluntaria, secus cum voluntaria non fuerit. v. g. quando filiusfamilias sæpè cum famula aut consanguinea deliquit, quam ipse haud potest à domo deturbare. Sic *Suaris*. Tali in casu debet pœnitens vero dolore affici de præterito, cum proposito in futurum, specialiter quidem proponendo minimè solum cum sola mansurum: quod si casus tulerit solitudinem, minimè peccaturum. Profectò quoties aliqua adest causa notabilis, qua separatio fieri non potest, voluntaria occasio non erit, &

44.

Occasio  
proxima  
delinquendi adest.

772 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta.*  
 præmissa dispositione, & prudentia ad cautionem futu-  
 ram Confessoris adhibita absolui poterit. *Quid si affectus*  
*fit ingens, labilis penitens, exigua spes emendationis?* Absolu-  
 tio differatur; quod si non omnino emendatus rursus  
 accedat, si tamen Confessarius cognoscat affectum ali-  
 quantulum frigescere, aliquamque abstinenciam adhi-  
 bitam, &c. Sæpius potest eum absolueret. v.g. si nupsit  
 foemina, cui adhærescit animo; aut foemina nupsit vi-  
 ro qui eam custodit. Sic *Suaricus*. *Quid denique si amasia*  
*penitentis in domo commoretur?* Aliqui asserunt semel aut  
 bis absolui posse, solo emendationis proposito præmis-  
 so. Alij affirmant prius è domo deturbandam, quàm  
 possit absolui. Ego autem cum *Reginaldo* & alijs iudico  
 non esse absoluendum ante eiectionem si domi solo  
 amasia titulo commoratur, & illico potest deturbare;  
 quia tali in casu occasio proxima voluntaria est. Verùm  
 si famulandi fungitur ministerio semel ille absoluat  
 cum proposito aliam famulam exquirendi quam-  
 primum.

45.  
*Casu re-*  
*seruato*  
*penitens*  
*illigatur.*

*Casu quis referuato illigatus est.* Casus referuatus est ille  
 (vti diximus) à quo solus ille absoluit, cui referuatus,  
 aut qui illius vices exerit. Sunt quidem casus referuati  
 Pontifici, Episcopo, Tribunali DD. Inquisitorum, ac  
 Regularium Prælati. Doctores quidem sex casus Epi-  
 scopo communi ex iure numerant. 1. Quando peccat-  
 um à iure publicam poenam habet assignatam. 2. Quando maiorem excommunicationem habet an-  
 nexam. 3. Quando irregularitatem. 4. Peccatum in-  
 cendiarij. 5. Blasphemia publica. 6. Homicidium  
 voluntarium, ac mutilatio. Porrò ex consuetudine  
 octo insuper sunt referuata crimina Episcopo. 1. Om-  
 ne enorme publicum peccatum. 2. Filiorum aut casu,  
 aut consilio occiso. 3. Quodcunque homicidium.  
 4. Falsum testimonium, aut instrumentum. 5. Periu-  
 rium. 6. Incestus. 7. Monialium corruptio. 8. Be-  
 stialitas. Profecto cum *Viliutio* & alijs affirmo nullos  
 ex iure communi Episcopo casus nec excōmunicatio-  
 nem

nom referuatam esse, propriè loquendo. Fateor casus esse referuatos arbitrio Episcopi, varij quidem ob Diocesum varietatem. Omnes quidem quicunque sint huiusmodi casus subiacent cuiuscunque Confessarij potestati beneficio Bullæ Cruciatæ. Præterea Regulares priuilegiorum suorum vi ab eisdem possunt absoluerè, si ab Episcopo sint approbati. Certè Papa Clemens VIII. Regularium Prælati vndecim casus referuari iussit, facultatem Capitulo generali, aut Prouinciali exhibens, vti alios casus referuare possent, quo Ordinis maiori vtilitati consulere. *Quando quis facultate potitur, ve à casibus Papæ referuatis absoluat, potest ac etiam absoluerè à Censuris?* Cum *Toletò* assero posse; quia Censuræ cum ipsis peccatis annectuntur. *Quodnam sacrilegium est Episcopo referuatum?* Illud tantùm quo facer locus furto, sanguine, aut semine humano violatur. Sciò *Emanuelem Saas* affirmare ex iure non referuatum esse sacrilegium, sed *Sacrilegium*, communi errore *Sacrilegium* legente. Quid de publica *Blasphemia*? Solummodo exteriori foro est Episcopo referuata, nisi ipse contrarium exponat. Sic *Sas. Ordinarius* itaque *Confessor* quonammodo se geret cum eo, qui referuato casu pergrauatur? Si ipse non potest absoluerè ad Prælatum immittat, aut ad delegatum extra mortis articulum, aut probabile vitæ discrimen. *Si assitmet pœnitens se Superioris licentia frui?* Credat, & absoluat. Quod si ex iusta causa subditus ad Prælatum accedere nequeat, adeat Confessarius illum, vicèque imperet, nullo præmissio verbo, vnde possit pœnitens Superiori reuelari.

*Quonammodo Confessarius satisfactionem Sacramentalem imponet?* Relege quæ Superius asseruimus. Haud ita pœnitentem aggrauet, vt causa sit omittendi. Peccata carnis acriora flagellorum, ciliciorumque requirunt medicamina. Quod si implendæ non sint pœnitentiæ asperiores, sufficiant Indulgentiæ, Iubilei, Communionis frequentia, eleemosynæ, orationes præcipuè quidem Virginis obsequium nouem Angeli Salutationibus genda.

46.

Absolutio  
& satisfactio  
imper-tiendâ,  
iniun-



774 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta*  
emissis, sub purissimæ Conceptionis memoria quotidie  
iuuenum probata est medicina.

*Quonammodo denique circa absolutionis Sacramentalis expeditionem se geret Confessarius? Si Confessarius ipse aut excommunicatus aut suspensus, aut interdictus sit nominatim, prius à Censuris expediatur, quàm absoluat; aliàs peccabit mortaliter & iuris alias pœnas incurret. Nec quidem valida erit absolutio; quia priuatus est iurisdictione. Si autem pœnitens excommunicatione quacumque illigetur, prius à Censura, quàm à peccatis absoluat. Scio ex Suarij doctrina validum Sacramentum, licet absolutio à Censuris non præcedat. Quod si in mortis articulo non possit pœnitens prius à Censura, quàm à peccatis absolui, sufficit proferre Confessarium illa verba: *Absoluo te*, cum intentione absoluen- di ab utroque vinculo. Rarè tamen tam vrgens aderit occasio, qua non possit adiici: *Ab omni excommunicatione*, Curet moribundo Bullæ indulgentiam applicari, suadeatque secundam Bullam in indulgentiæ augmentum accipi. *Quæenam verbis absolutio Sacramentalis proferenda? Sufficiunt illa verba: Absoluo te*, sed iuxta Ecclesiæ præscriptum illa dicenda: *Ego te absoluo à peccatis tuis*. Post Confessionem diurni temporis præmittat: *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducatur te in vitam æternam*. Deinde sic formam expediatur semper: *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius mihi licet indigno concessa absoluo te in primis ab omni vinculo excommunicationis (si sit Clericus addat, suspensionis, & interdicti), in quantum possum, & indiges: Deinde eadem auctoritate ego te absoluo à peccatis tuis, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Amen*. Laudabiliter additur: *Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ*. Videndi *Suarus, Azorius, Reginaldus, Henriquez, & Laymanus*.*

EXAMEN

## E X A M E N V.

Circa Materiam de Indulgentiis.

## CAPVT PRIMVM.

## De Ecclesia Thesauro.

**Q**uia Indulgentiarum lucratio satisfactionis exerit vi- Thesau-  
ces, tractatio huiusce Materie attexenda: Quidnam rus Ec-  
igitur Thesauri Ecclesia nomine intelligendum? Est col- clesia:  
lectio ex operibus satisfactoriis, quæ sancti egerunt  
non illis pro culpis propriis necessaria.

Ubinam hic Thesaurus? In sola diuina acceptione,  
quæ omnia hæc opera ad remunerationem seruat.

Ex queisnam præcipuè operibus hic Thesaurus coalescit? Præ-  
cipuè ex operibus Sanctorum, qui nunquam aut rarò  
delinquentes longè latèque pœnam pro culpis debi-  
tam excessere. Talia (v. g.) opera Deiparæ nunquam  
delinquentis, Ioannis, Iacobi: talia Christi opera na-  
tura ipsa impeccabilis; pro quibus solis infinitum  
hunc Thesaurum esse sub Clemente VI. fides asseruit.

Possunt ne Sancti, & iusti viri satisfactoriis suis operibus,  
quæ apud Ecclesia Thesaurum custodiuntur, pro pœnis debitis  
alienæ culpæ satisfacere? Possunt, & de condigno. Quam-  
uis enim non possint alteri gratiam de condigno me-  
teri; (ea quippe excellentia meritorum soli Christo  
concessa) possunt tamen de condigno satisfacere. v. g. si  
Antonius iustus pro Petro ieiunaret iusto, satisfaceret  
pro Petro tantum quantum pro se ipso satisfactorus  
esset, uti ex Toletò didici.

Penes quem in terra huiusce Thesauri clauis assidet? Penes  
Ecclesiam, & eius caput summum Antistitem: vnde

C A P V T II.

*Quid, & quotuplex Indulgentia?*

47. *Indulgentia.* **Q***uidnam est Indulgentia?* Relaxatio poenae debitae pro peccato satisfaciens diuino rigori ex operibus Sanctorum, & Christi reseruatis in Ecclesiae Thesauro, per liberalem Papae condonationem extra vllum Sacramentum. In cuius definitionis expositionem tria suppono. Primum, quouis in peccato praeter culpae reatum contrahi ad poenam culpae debitam quandam obligationem, quae quidem poena aut soluenda hic per satisfactionem; aut in vita alia per satisfactionem; aut in hac & in alia vita per liberam relaxationem a Pontifice factam, qui ex Ecclesiae Thesauro tantum satisfactionis soluit, quantum nos ex nostris operibus soluere tenebamur. Secundum, non semper in hac vita cum remittitur culpa, (quae tota simul remittitur) vel per Poenitentiae Sacramentum, vel per Contritionem, semper totam remitti poenam: sed tantum poenae remitti, quantum apud aestimationem diuinam satisfactorio operi nostro respondet. Ea autem pars poenae, quae remanet, vel in hac est vita soluenda per alia opera satisfactoria, vel per ignem Purgatorij in alia. Tertium, quoduis opus hominis bonum in gratia existentis, & esse meritorium gratiae, & satisfactorium poenae. Hac tria ad materiam nostram maximè obseruanda.

*Quotuplex Indulgentia?* Duplex, Plenaria scilicet, & Temporalis. Per Plenariam simpliciter tota poena remittitur vel in aliquo genere certo. Per Temporalem non remittitur tota poena, sed quanta in Bullis exprimitur.

*Quando*

Quando in Bulla septem annorum, aut quadraginta dierum Indulgentia conceditur, quid significat? Hominem, qui talem indulgentiam consequitur, tantam poenae remissionem obtinere, quantam obtinuisset, si tanto tempore iuxta Canones peregisset poenitentiam.

Differt ne Iubileum ab Indulgentia plenaria? Non differt, nisi quod per Iubileum committatur commutandi vota facultas, & à reseruatis absoluendi.

Suspenduntur ne Indulgentiae anno Iubilei? Profectò in anno Iubilei, quod Romæ à primis vespers Natiuitatis Dominicæ incipit vsque ad annum sequentem duraturum, reliquæ suspenduntur indulgentiæ, imò & facultates absoluendi à casibus Pontifici reseruatis. Denique Iubileum in anno Sancto totiens obtineri potest, quotiens præscripta opera geruntur. Sic declarauit Urbanus VIII.

### C A P V T III.

De iis, qui possunt Indulgentias concedere.

Quisnam potest Indulgentias concedere? Solus Pontifex 48.  
 primario; alij quidem, quatenus eis à Pontifice Concedis  
 conceditur. Episcopi cum limitatione hanc ab illo potestatem accipiunt. In Dedicatione Ecclesie vnus tantum anni Indulgentiam concedere possunt: In Annuario Dedicationis quadraginta dierum; quas quidem subditis solummodò in hac vita degentibus valent impertire. Concedit item Episcopus cuiusuis operis pij prætextu fidelibus congregatis quadraginta dies Indulgentiæ. v. g. sub Concionis termino, &c. Indulgentias.

Num Episcopus in mortali culpa existens validè concedat Indulgentias? Ita planè. Imò licet sit excommunicatus;

778 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
(modò non fit denunciatus, & vitandus) quid per culpam aut excommunicationem hanc iurisdictionem non amisit.

*An possit hanc facultatem non solum Vicario, sed & cuiuslibet concionatori, & Clerico demandare? Potest; quia Episcopo competit hæc facultas iure Ordinario, vnde eam potest delegare. Num laicis? Minimè. Solus Papa de potestatis plenitudine eam potest laicis delegare; quia solus potest in iure dispensare communi.*

*Possunt ne Clerici quacunq; dignitate condecorati Indulgentias concedere? Non possunt, etiam si Cardinales non Episcopi sint; quia non sunt Ecclesiastici Thesauri dispensatores, nisi ad id facultatem obtineant.*

*Num Capitulum Sede vacante, siquidem Episcopi vices gerit, valeat concedere Indulgentias? Nequaquam; quia non succedit Episcopo in potestate extraordinariæ iurisdictionis, scilicet in iis, quæ sunt Episcopali reseruata dignitati.*

*Abbas ne suis in locis iurisdictionem obtinens Episcopalem, potest Indulgentias impertire? Non, licet valeat alios participes satisfactionis, & orationum, quæ fiunt in Religione, facere; quia circa Indulgentias non fit Thesauri dispensator.*

*Pontifex, aut Episcopus fruine potest indulgentiis, quas aliis concedit? Potest; quia non debet esse deterioris conditionis, quàm subditi. Tenentur ne ad id opus iniunctum ad lucracionem indulgentiæ præstare? Opus quidem generaliter iniunctum agere non tenentur; sed secum possunt hac in parte dispensare: loco illius aliud pium opus præstando.*

## CAPVT IV.

## De causa Indulgentias concedendi.

**A**N causa ad Indulgentiæ concessionem requiratur? Ita planè; quæ quidem causa tam ex parte concedentis, quàm ex parte petentis indulgentiam, considerare oportet. 49.  
Causa cõ-  
cessionis  
Indul-  
gentiæ.

*Cause huiusce exprime sufficientiam.* Erit equidem causa sufficiens quidquid in Dei honorem, aut Ecclesiæ cedit utilitatem. Concedi autem affirmo cum Henriquez ex mortuo solius misericordiæ pro animabus Purgatorij. Præterea Principi optimè de Ecclesia merito conceduntur, vt alij ad eadem facinora excitentur; quasi Principis egregia facta sint causa indulgentiæ. Peccator denique magnus à Papa vt pio parente ex Thesauro ad satisfaciendum pœnis debitis potest adiuuari.

*Peccat ne qui pro parua causa indulgentias largissimas concedit?* Peccat; quia concedens indulgentias non est Dominus, sed prudens dispensator.

*Quid si sine causa, aut leui tales Indulgentiæ concedantur? Valide ne?* Ita planè, vt Henriquez ex grauibis antiquis Doctoribus egregiè ostendit.

*Possunt ne pro quolibet opere, aut actu pio etiam leuissimo validè à Pontifice Indulgentiæ concedi?* Imò sic plerunque concedi edocet experientia. An non plenaria indulgentia pro Oratione Dominica, aut Angelica Salutatione dispensatur? Certè indulgentiæ frustra concederentur, si ad earum consecutionem æquiualens opus esset necessarium. Scio Pontificem aliquando posse indulgentias concedere, nullum opus requirendo. v.g. si defuncto viro Ecclesiæ benefactori indulgentias applicet.

## CAPUT V.

*De suscipiente Indulgentias.*

50.  
*Suscipiens  
 Indulgentiam.*

**Q**uamvis est Indulgentiæ capax? Qui & Baptismo, & fide decoratur. Unde hæreticus, aut apostata à fide incapax est. Item excommunicatus licet contritus; quia una ex poenis excommunicationis est communium Ecclesiæ suffragiorum, & bonorum priuatio.

*Est ne capax fidelis, qui in crimine mortali existit?* Minimè; quia poena remitti non potest, nisi prius culpa remittatur.

*Sufficit ne contritum esse?* Si in Bulla Confessio indicitur, Confessio necessaria est ei, qui lethalis criminis reatu illigatur. Nam qui post Confessionem ultimam nullum mortale commisit, nec recordatur alicuius nondum per Confessionem expiati, sine præmissa tunc confessione indulgentiam potest lucrari; quia quando in Bulla Confessio indicitur, sermo assolet esse respectu illius, qui lethali crimine fœdatur. Quod si, non in dicta in Bulla Confessione, in lethali existens contritionis elicic actum, sufficit ad indulgentiæ consecutionem.

*Tempore Iubilei peccata quis confessus est, sed postea in peccatum mortale incidit, antequam reliqua opera præscripta adimpleret: obligatur ne ad Indulgentiæ consecutionem, nouam Confessionem inire?* Minimè; qui impleuit iam conditionem à Iubileo assignatam. Unde solum tenetur de lethali post Confessionem commisso conteri in fine.

*Necessum ne est, ut consecuturus indulgentiam sit in gratia toto tempore, quo opera præscripta præstat?* Sufficit esse iustum, dum ultimo actui, quo posito indulgentia datur,

datur, operam nauat; quia opus præscriptum non debet necessariò esse satisfactorium, sed tantùm est conditio, qua posita, Pontifex indulgentiam applicat.

*In peccato mortali existens vltimum quis præstitit opus expiato deinde peccato per penitentiam, Indulgentia ne donabitur? Minimè; quia sicut Sacramenta non reuiuiscunt, quando in ipsorum susceptione appositum fuit impedimentum repugnans substantiæ Sacramenti: ita neque indulgentia reuiuiscit, cuius essentiæ & naturæ status peccato mortali repugnat.*

*Elemosynam quis à Bulla præscriptam ob vanam gloriam largitur: lucratur ne Indulgentiam? Si tantùm ob vanam gloriam præstitit opus, non lucratur; quia non honestum. Secus si ob vanam gloriam & honestum opus simul elemosynæ operam dedit.*

*Indicitur ieiunium ad Iubilei consecutionem: licet ne lactiniis, & ouis vii extra Quadragesimam? Iuxta locorum consuetudinem licet, aut non licet; quia abstinentia ab ouis non est de essentiâ ieiunij, nec Iubileum strictius ieiunium, quàm indulgentia.*

*Indulgentia offertur eis, qui Coronam Virginis recitarint: lucrabor ne ego, te pro me Coronam recitante? Minimè; opus enim iniunctum per te ipsum ex intentione Pontificis præstare teneris; quia sunt actiones personales. Elemosyna quidem tuo nomine facta opus tuum esse non abnegat.*

*Potest ne Indulgentia per opus aliquod internum obtineri? Potest; quia à Pontifice sæpe vel conscientiæ examen, vel nominis IESV inuocationem ex cordis ore præscribitur.*

*Habeo plures calculos benedictos, quæ à variis Pontificibus variæ conceduntur Indulgentiæ pro recitatione Rosarij; vel variis obtinui Bullas, quæ mihi ob eandem Rosarij recitationem varias Indulgentias exponunt: lucrabor ne eas omnes semel Rosarium recitando? Lucraris; quia eadem Canonicarum horarum recitatione & voto, & præcepto satisfacio.*

Imò



781 *Moralis Theol. Tract. VII. Sacramenta,*  
Imò possunt vno & eodem tempore diuersis actibus  
consequi plures indulgentias, quando vnus actus non  
impedit alium. v. g. conceditur vna indulgentia au-  
dienti Missam, altera Coronam recitanti: lucror  
vtramque, dum recitans Coronam, Missam simul  
exaudio.

*Bulla duas hebdomadas assignat, vti commodè omnes fideles  
sefe lucretioni Iubilei accingant: possum ne prima hebdomade  
ieiunare, Ecclesiâsque visitare, in secundam dilata Confessionis?  
Potes; neque enim Pontificis intentioni repugnat.*

---

## C A P V T VI.

### *De Indulgentiarum valore.*

§ I.  
*Valor In-  
dulgen-  
tiæ.*

**Q**uam valent Indulgentiæ? Quantum sonant. Vn-  
de qui statim post obtentam indulgentiam ple-  
nariam moritur, ad cœlum mox auolat; quia indul-  
gentia plenaria sonat omnis pœnæ remissionem ac-  
cipi.

*Est ne Indulgentiæ concessio latè explicanda? Ita planè;*  
quando de concedentis potestate constat; quia fauor  
est, & beneficium Principis.

*Quantum Indulgentiæ durat? Iuxta concedentis in-  
tentionem, & non vltra. Si absolutè concessa est? Per se lo-  
quendo, perpetuò durat, nec expirat obitu conceden-  
tis. Conceditur Communitati. Durat quandiu durat Com-  
munitas, nec cum personis singularibus definit. Ecclesia,  
cui concessa est Indulgentia, destrueti noua exædificatur. Adhuc  
valet indulgentia illi loco concessa. Templum aliò transfer-  
tur. Quando debita autoritate fit, vna transfertur in-  
dulgentia illi Templo concessa: secus si solo tantum  
concessa fuisset.*

*Excipiuntur ne in suspensione indulgentiarum anni Iubilei  
indulgentiæ aliquæ? Ex S. D. N. Urbani VIII. viuæ vocis  
oraculo,*

oraculo, declaratione non suspenduntur indulgentiæ in articulo mortis concessæ: nec indulgentiæ pro defunctis: nec à privilegiatis tolluntur facultates, & privilegia absoluedi; exceptis iis, quæ concedi aliàs solent ratione Indulgentiarum.

*Potest ne successor Indulgentias ab antecessore concessas reuocare?* Potest, quia vt dignitati succedit, ita & potestati. Inferior verò non potest.

*Reuocatur indulgentia; sed non statim reuocatio meas. peruenit ad aures: extinguitur ne statim ac reuocata est?* Minimè, sed cum primùm mihi notum fit. Vnde si quis inuincibiliter ignorans sibi indulti concessi reuocationem, bonâ fide confessus est peccata referuata, vel à Censuris absolutus est, virtute indulti iam aliàs reuocati, manet à crimine, & Censura expeditus.

*Concedi ne potest perpetua indulgentia, ob causam temporalem?* Potest; quare cessante causa, ipsa non cessat.

*Conceditur mihi indulgentia pro mortis articulo, semel accepta non obij: possum ne eadem, superueniente rursus mortis articulo frui?* Ita planè, si contrarium in Bulla non exprimitur; quia propositio indefinita æquiualeat vniuersali.

---

## CAPVT VII.

### *De Indulgentia pro Defunctis.*

**D**E Purgatorio mihi notitiam aliquam reddas. Locus adest intra terræ viscera, in quo animæ discedentes à seculo à pœnis expiantur, quæ, remissa culpa mortali, & veniali, sunt sine satisfactione relicte. Porro Purgatorium in cordè terræ residere, quemadmodum infernus quo damnatorum animæ concremantur, commune Doctorum, imo Ecclesiæ placitum certum adeò, vt plusquam temerarium sit abnegare. Purgatorii iraque

52.  
Purgatorium.

784 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
 que locus proximus sursum versus ascendendo infero-  
 rum sedibus, uti ex D. Thoma collegi. Cremantur qui-  
 dem eodem, quo damnatorum animæ, igne. Quonam-  
 modo autem verus ignis agere possit in animas corpo-  
 ribus exutas nulli mortalium reuelatum. Est Purgatorij  
 pœna maior quacumque hoc in seculo inflicta, qua  
 Deus non per ministrum vllum animas corripit; ab  
 ipsoque igne velut à carcere cohibente detinentur il-  
 læ, donec debitum omnino persoluant. Erit certè cui-  
 cunque tanta pœna illo in loco, quantam homo hîc ci-  
 tra mortem non posset tolerare. Eodem temporis mo-  
 mento, quo anima corpus deserit, iudicatur, & ei sen-  
 tentia lata innotescit, rectaque tendit, quo pergere iu-  
 betur, Angelo Custode euntem in Purgatorium comi-  
 tante, quid ni auolantem ad superos? Profectò non se-  
 mel ad nos animæ à Purgatorio doctrinæ redire, quod è  
 diuina sit dispensatione. Ex eadem aliquando effectum,  
 ut apud nos animæ purgentur, Hugone testante. Animæ  
 denique duplici pœna in Purgatorio afficiuntur, altera  
 damni præcipua quidem, quæ in visionis Dei consistit  
 priuatione: sensus altera, quam ab igne patiuntur.

53.  
*Indulgen-  
 tiæ pro  
 defunctis.*

*Quonammodo Indulgentiæ defunctis prosunt?* Non quidem  
 per modum iudicij, quamuis plenariæ sint; quia Eccle-  
 sia non habet iurisdictionem, aut ordinariam potesta-  
 tem in animas extra Ecclesie forum constitutas; sed  
 prosunt per modum suffragij, seu auxiliij Ecclesiastici il-  
 lis applicati.

*Necessum ne est eum, qui opus præstat ad consequendum In-  
 dulgentiam pro defuncto, in gratia esse?* Minime; quamuis  
 enim peccati mortalis reus non possit suis operibus  
 pro se aut pro alio satisfacere, nihilominus potest in-  
 dulgentiam pro defuncto lucrari agens opus præscri-  
 ptum; quia tunc ille non dicitur satisfacere, sed fa-  
 cere opus, quo posito, Pontifex defuncto indulgen-  
 tiam applicat, satisfactiones scilicet Christi, & San-  
 ctorum.

*Indulgentia pro defuncto accepta prodest ne tantum illi,  
 quantum*

quāntum profuisset accipienti viuo, si eam sibi applicasset? Ita quidem. Vnde si indulgentia plenaria sit, prodest defuncto ad remissionem omnis pœnæ, modo Deus eam acceptet.

Quenam suffragia animabus profunt? Eleemosynæ, orationes, Sacrificium Missæ, ieiunia, humicubatio, flagellario, gestatio cilicij, & alia huiusmodi. Profecto præstantissima suffragia sunt Missæ, & plenaria indulgentia. Si tamen pro vno defuncto iam Missæ multæ fuerint celebratæ, & aliunde vrgeat necessitas magna viduarum, & pauperum non ingrator Deo, me authore, per eleemosynam satisfactio.

Est ne laudabile, vt vna Missa, cui inest ex altari privilegiato, seu speciali indulto plenaria defuncto indulgentia, celebrata pro illius satisfactione, alia, imo ingens Missarum numerus pro eodem applicetur? Ita planè. Rationes plures pro re tam graui congeram ex Societatis meæ Doctoribus. Quia potest fieri, vt aliquis defectus in concessione indulgentiæ interuenerit, vnde à Deo non acceptetur. Quia potest defectus contingere ex parte accipientis indulgentiam, propter quem sit irrita. Quia fieri potest, vt Deus tunc non acceptarit, non enim habet infallibilem effectum respectu animæ defuncti. Hinc fit, vt indulgentiæ, Missæ, ieiunia, &c. eisdem defunctis sæpius applicentur, vt repetitis suffragiis à pœnis eruantur.

Remittitur ne in Purgatorio etiam culpa venialis, qua cum animus iustus è viuis excessit? Cum Vasquez affirmatiuè respondéo, licet sentiam cum eis, qui in illo separationis instanti per actum dilectionis remitti affirmant, de quo supra.

## CAPVT VIII.

*Praxis circa prafata ex Societatis  
IESV ſchola.*

54. *De indulgentiis vary caſus.*  
*Q*uidnam ſignificat verbum, *Plenaria, Pleniffima, Quadra-  
 gena, Media, aut Quarta pars peccatorum* ? Ex doctrina  
 Toleti respondebo. Inter *Plenariam & Pleniffimam* nul-  
 lum eſt diſcrimen, quoad pœnæ remiſſionem ; tota  
 enim ſimul remittitur tam per *Plenariam*, quàm per  
*Pleniffimam*, quam per *Iubileum*. Diſtinctio tamen  
 aliqua aſſolet eſſe reſpectu facultatum, aut priuilegio-  
 rum, qui in Bullis conceduntur. *Quadrage*na ſpatium  
 ſignificat quadraginta dierum, in quibus à carnibus ab-  
 ſtinemus, qui quidem olim arctiori pœnitentia cole-  
 bantur, dum fideles ſolo pane & aqua veſcerentur. *Me-  
 dia* autem, aut *Tertia pars peccatorum* ſignificat remiſſio-  
 nem pœnæ debitæ pro dimidia aut tertia peccatorum  
 parte.

*Qui alienam habet Coronam aut calculum benedictum in-  
 uentum, vel ſibi commodatum, poteſt ne eandem conſequi indul-  
 gentiam, quam Dominus illius Coronæ aut grani conſequeretur?*  
 Affirmat *Henriquez*, poſſe modò Coronam, ſeu granum  
 apud ſe, non tantùm domi, habere.

*An lucratur indulgentias, qui illud opus exequitur, cui adne-  
 xæ ſunt, licet id ignoret?* Laymanus ait indulgentiam ple-  
 nariam ab *Adriano V I.* conceſſam non ſolum *Regula-  
 ribus*, ſed & omnibus *Chriſti fidelibus* recitantibus ad  
 tria ſigna campanæ poſt ſolis occaſum tria *A V E  
 M A R I A* cum verficulis, *Angelus Domini*, &c. ex proba-  
 bili aliquorum ſententia etiam lucrari illos, qui ne-  
 ſciunt tales indulgentias illi operi annexas. Non im-  
 probo.

*Sunt ne exempti capaces Episcopales indulgentias participandi?*

Licet

Licet indulgentiæ solis subditis concedantur, exempti tamen participes reddi possunt indulgentiarum huiusmodi. Imo vnus Episcopus, *Laymano* authore, subditis suis dare potest facultatem lucrandi alterius Episcopi indulgentiam.

*Possum ne sæpius in die indulgentiam localem lucrari?* Si indulgentia localis posita est cum limitatione temporis, v.g. diei; tum qui sæpius in die Ecclesiam visitat, semel tantum indulgentiam lucratur; secus si absque determinatione indulgentia Ecclesiam visitantibus fit concessa. Ita *Laymanus*, addens nomine Ecclesiæ, cui indulgentia conceditur lucranda à visitantibus etiam adiunctam cœmeterium intelligi oportere.

*Quidnam conceditur visitantibus quinque Ecclesias, aut quinque Altaria, precibus pro libito effusis ex Pontificis intentione?* Egregia quidem indulgentia est, cuius pauci adæquant cognitionem. Bullæ quidem hæc verba: *Item concede su Santidad a los que en dias de Quaresma o otros dias del año en que ai Estaciones en Roma, visitaren cinco Iglesias, o cinco Altares, ganen, y consigán todas las indulgencias, y perdones, que ganan los que personalmente visitan las Iglesias de la Ciudad de Roma, y extra muros della, como las ganarian, si personalmente visitassen las dichas Iglesias.* In Basilica D. Petri septem Altaria adsunt, vbi stationes per totius anni circulum. Auct. Priuil. mendic. Inter alia sunt septem Altaria principalia, in quibus per totum annum integrum sunt stationes. fol. 286. Bulla præscribit eum, qui inuisit Altaria, cum stationes Romæ habentur, cunctas illas lucrari indulgentias: quotidie huiusmodi habentur Romæ stationes; ergo qui quotidie Altaria inuisit, quotidie lucratur illas indulgentias. Profectò apud Ecclesiam D. Pauli adsunt alia septem Altaria, vbi indulgentiæ eadem ac in Petri Basilica impenduntur. Æquat equidem vtramque Ecclesiam Templum D. Sebastiani, vti Hieron. Sorb. fol. 287. affirmat. Præterea tria loca Romæ iacent, vbi quotidie fideles plenariam possunt lucrari indulgentiam, nempe Sacellum

55.  
De quoti-  
dianis  
stationi-  
bus.

788 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
 Baptistæ apud Ecclesiam S. Ioannis Lateranensis : Sac-  
 cellum D. Laurentij dictum *sanctum sanctorum* : & Sa-  
 cellum S. Helenæ in Templo S. Crucis. Rodriq. §. 8.  
 fol. 61. Apud Ecclesiam D. Ioannis Lateranensis antiqua  
 tabella conspicitur, ubi verba Syluestri Papæ ad Impe-  
 ratorem Constantinum exarantur : *Dominus Iesus Chri-*  
*stus, qui te mundauit à lepra per suam misericordiam, mundet,*  
*& purificet omnes venientes huc sine peccato mortali : & au-*  
*thoritate Apostolorum Petri & Pauli, & nostra sit eis remissio*  
*omnium peccatorum quocumque tempore anni.* Porrò hæc in-  
 dulgentia à multis Pontificibus confirmata est, aliis in-  
 numeris superadditis, de quibus sic Papa Bonifacius :  
*Tot ac tantæ sunt indulgentiæ D. Ioannis Lateranensis, ut solus*  
*Deus possit annumerare. Et ego omnes illas confirmo.* Quid  
 apud reliquas Urbis Ecclesias. Hæ quidem omnes quo-  
 tidie visitatione quinque Altarium, Bulla attestante, à  
 nobis acquiruntur ; quia quotidie institutæ sunt sta-  
 tiones. *Rogo num quotidie sæpius hæc Altarium indulgentia*  
*comparari possit ? Totiens quidem quotidie lucratur,*  
*quotiens Altaria inuisimus, imo, authore Roderico, ani-*  
*mabus Purgatorij potest applicari lucratio repetita.*  
 Bulla plumbea sic : *Omnes & singulas indulgentias stationum*  
*intra, & extra muros prædictæ Urbis tam pro se, quam per*  
*modum suffragij pro defunctis pro quibus visitauerint, conse-*  
*quentur.* Ad hæc qui visitant diebus Mercurij Templum  
 D. Laurentij extra muros, aut diebus Dominicis Tem-  
 plum D. Pauli Purgatorij animam liberant à cruciatu.  
*Quid si ob Templi frequentiam non possim ingredi ? Iuxta*  
*oltium sufficit preces effundere. Sufficiet ne sine situs mu-*  
*tatione cuncta Altaria inuisere ? Sufficiet, Saa authore, si*  
*singulis Altaribus caput inclines. Tria solummodo apud*  
*Templum Altaria. Bis duo inuisantur. Quòd si vni-*  
*cum Altare fuerit, quinquies vnicum inuisen-*  
*dum est.*

*Utrum poenitentia, aut satisfationis loco indulgentiæ lucra-*  
*tio deseruiat ? Dixi applicante Confessario, deseruire.*  
 Addo ex *Toleto*, etiam non applicante Confessore, posse  
 poenitentem

pœnitentem impositam satisfactionem in indulgentiæ lucrationem commutare, modò medicinalis sit vti ferè semper. Mihi credite impositam à Confessario pœnitentiam implere in gratiæ augustius incrementum maioris quidem momenti quam pœnæ remissio.

*Episcopus ultra potestatis suæ limites indulgentiam concedit: num validè? Irritam planè quoad excessum Laymanus affirmat. v. g. concedit sexaginta dierum indulgentiam, valet tamen quoad quadraginta. Porro (vti idem Doctor adnotat) non mortuis potest Præsul illam indulgentiam applicari.*

*An indulgentia quævis viuis concessa valeat defunctis applicari? Legat Laymanus, nisi expressum in concessione fuerit. Possunt tamen illa opera egregia quemadmodum preces, & reliqua iusta opera in pœnæ remissionem. Undenam sit non ita certè & infallibiliter indulgentiam prodesse defunctis, quemadmodum viuis? Dixi, quia viuis Pontifex indulgentias dat per modum iudiciariæ absolutio- nis: Defunctis autem non sic, sed per modum suffragij. Credibile tamen cum Laymano iudico eas Deum acceptare, facilius quidem pro iis defunctis oblatas, qui ex hac vita plus digni hac condonatione decessere.*

*Circa Iubilei consecutionem præter illa, quæ innuisti, occurrunt ne aliqua digna obseruatu. Plura quidem. Hæc in primis ex Filiiutio adnoto. Iubileum, quod remissionis annus fructuosus & germinans olim apud Hebræos vocabatur, apud Christicolos indulgentias significat, quæ in amplissima forma conceduntur non solum in anno, qui Sanctus dicitur, verum etiam extra illum. Vt acquirantur huiusmodi indulgentiæ Iubilei, quænam præstanda? Primò Ecclesiæ quatuor vrbis deuotè semel saltè in die visitandæ à Romanis, & incolis Romæ per dies triginta, à peregrinis & exteris per quindecim: in quo tamen tempore Confessarij dispensant. Deinde pro totius Christiani populi salute rogandus est Deus. Denique verè pœnitentes & confessi esse debent. Apertionis Sanctæ Por-*

56.

De Iubi-  
leo.



790 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta.*  
ta ceremonia vetustissima est; non tamen ad indulgentiam lucranda eius ingressus est necessarius. Profectò pluries in anno lucrari quis potest Iubilei indulgentias, nisi alia Pontificis mens fuerit verbis expressa.

*Veni ad indulgentias, quæ in forma Iubilei conceduntur.*  
Opera sex iniungi solent, Ecclesiæ visitatio, oratio, ieiunium, eleemosyna, Confessio, & Communio cum circumstantiis in Bulla expressis. Vnaque cum eis singulis quidem Christianis, etiam Regularibus potestas conceditur eligendi Confessarium ex approbatis, Confessariis verò facultas vota quæcunque commutandi, excepto Castitatis, & Religionis. Eius publicatio in singulis quibusque Prouinciis, aut ciuitatibus expectanda est. Eius verò consecutio etiam potest à Confessario electo iustas ob causas differri. Confessio antè Dominicam diem peragenda, cætera, si quæ essent commutanda, etiam in ipsa die. Satis est semel eleemosynam largiri quantacunque sit. Omnes Regulares etiam suis constitutionibus prohibiti, quemlibet ex approbatis eligere sibi Confessarium possunt. Iubileo completo, etiam potest quis à reseruatis oblitis absolui, modò eo animo Iubilei tempore confessus sit. Qui animo lucrandi Iubileum reseruata confessus est, etiam si postea mutata intentione, illud non lucretur, ab iis manet absolutus. Profectò iuramenta vigore Iubilei commutari non possunt. Hæc ex *Fillutio*.

*Iubilei peractis omnibus quis in casum incidit reseruatum: potest ne virtute Iubilei absolui, etiam si antea sit Iubileum lucratus? Potest quidem; quia tempus Iubilei nondum effluxit. Sic Henriquez.*

*Egit quis Confessionem sacrilegam, & sumpsit Eucharistiam indignè, in ultimo autem Iubilei termino per actum Contritionis redit in gratiam: consequitur ne Iubileum? Consequitur auctore eodem Henriquez, qui adiicit posse quemlibet idem Iubileum duabus hebdomadibus lucrari. Veram puto contrariam Laymani, & Filliutij sententiam semel tantum*

tantum lucrari te posse affirmantem. At tamen *Henrici* & aliorum probabilis est opinio, si diligentia adhibeantur. Consequenter si plures hebdomadae praescribuntur, ut accidit hoc anno quadragesimo primo super sexcentos, cunctis poteris lucrari probabiliter, Confessarium eligere, &c.

Qui ex invincibili ignorantia nesciuit promulgatum esse Iubileum, poterit ne, illo transacto, intra alias duas hebdomades lucrari? Possit idem asserit *Henriquez*. Imò qui neglexit in patria, alibi poterit ex eiusdem Doctoris placito, lucrari.

Noluit quis consequi Iubileum, at Sabbato secundae hebdomadae propositum illud mutavit poterit ne absolvi à reservatis, & lucrari Iubileum? Poterit, dummodò iciunia commutentur.

Post cuncta ad Iubileum requisita expleta, die Dominica, quae est ultima Iubilei, vult quis Eucharistiam sumere, & imprudens aliquid deglutit: quidnam ille praestabit? Affirmo posse Confessarium Communionem in aliquod pium opus commutare; quia Confessio praecipue requiritur.

Quando in formula indulgentiae dicitur: Verè poenitentibus, & confessis, necessarium ne est praemiitti tunc Confessionem, an poenitentia ex Contritione sufficit? Satis est ex *Suarij* doctrina, modò confessus quis fuerit Quadragesima praeterita, & habeat propositum futura confitendi; quia talis, secundum ius, confessus dicitur.

Non pergravior peccati mortalis onere: necessaria ne aut Confessio, aut Contritio? Idem *Suarus* asserit non esse necessariam; quia ad indulgentiam Iubilei non assolet Confessio praecipui nisi de crimine lethali.


Duobus immediatis diebus duo Iubilea concurrunt, v. g. Iubileum *D. Ignatii Parentis* nostri, & *Portiunculae*: num necesse repetere Confessionem, & Communionem ad utraque lucranda? Minimè, sed alia opera solum repetenda; quia Confessio & Communio solum ad emundationem animi requirebantur. Ita *Turrianus*, in robur quidem proximae ex *Suario* resolutionis.

*Capit quis confiteri sub finem temporis, quo durat Iubileum, (idem de Bulla Cruciatâ affirmarim) nec potuit iustas ob causas absolui: potest ne post tempus virtute Iubilei præcedentis absolui à quocunque crimine reseruatò? Possè Sanctius asserit; quia Confessio fieri cœpta est tempore idoneo.*

*Tempore Iubilei omisit quis in Confessione peccatum reseruatum ex iusta causa, v.g. ne complicem cum damno manifestaret: potest ne, elapso Iubileo, à quocunque Confessario ab hoc crimine absolui? Potest; quia reseruatio indirectè ablata est. Hinc ex Sanctio adiicio eum, qui fuit absolutus virtute Iubilei à peccatis, quod tamen non est lucratus, si postea meminit se per obliuionem omisisse aliqua reseruata, possè ea cuicunque Confessario aperire, & ab eo validè absolui; quia per priorem Confessionem, in qua fuit ab omnibus peccatis absolutus sublata reseruatio fuit Iubilei virtute, etiamsi postea lucratus ille non esset.*

*Absolutus sum à reseruatâ virtute Iubilei, quod consequi intendendo, post absolutionem mutò voluntatem, nec lucrando Iubileo do operam: dixisti reseruationem non redire; quia non sum ad reincidentiam absolutus: rogo, num mutando voluntatem, mortaliter deliquerim? Sanchez asserit te non peccasse; quia cum proposito lucrandi te à crimine expediisti, non cum voto sub mortali implendo. Idem de votorum commutatione affirmo.*

*An per Iubileum, etiam Anni Sancti, aut per Bullam Cruciatæ suspendantur Regularium priuilegia commutandi vota, & in eis dispensandi, à reseruatâque absoluendi? Docet Sanctius non suspendi. Adiicit ille possè Confessarium transacto Iubileo commutare vota pœnitentis illius, qui Iubileum est consecutus; quia priuilegium commutandi vota, &c. non est addictum vlli tempori præfinito, vt constat ex ipsius Bullæ tenore, in qua cum sermo de priuilegiis adest, hæc clausula additur: Absque vlla temporis limitatione. Suarius confirmat.*



EXAMEN VI.

Circa Materiam de Sacramento Eucharistia.

CAPVT PRIMVM.

*Definitio, institutio, necessitas Eucharistia.*



*Quidnam Eucharistia* ? Sacramentum , quod sub speciebus panis & vini continet corpus & sanguinem Christi ad conseruationem spiritualis vitæ per Baptismum acceptæ.

57.  
*Eucharistia.*

*Quando institutum hoc Sacramentum* ? Ab ipso Christo in vltima Cœna perfectum est, quando post Agnum typicum , & lotis Discipulorum pedibus ante communem cœnam , illud instituit , primus sumpsit , & omnibus Discipulis dedit, etiam Iudæ. quo tempore, vt ex Patrum constat sententiis , conuenientissimè institutum est.

*Quam necessaria sit Eucharistia* ? Ex fine quidem maxime eius necessitas agnoscitur. Finis quippe instituendi huiusce Mysterij non originalis, aut mortalis culpæ remissio , sed gratiæ augmentum ; & spiritualis vitæ nutritio fuit. Et quamuis ad perseuerandum in gratia siue re ipsa , siue in voto medium absolute necessarium non sit, non paruulis modò, sed neque ipsis adultis : ita tamen efficax est , & præpotens , vt moraliter ad id necessarium videatur, vt propterea iustificatos omnes illius votum habere aliqua ratione dicendum sit.

## CAPVT II.

*De Materia & Forma Eucharistie.*

58.  
Materia  
& Forma  
Eucharis-  
tie.

**Q**uenam Eucharistie materia? Necessaria quidem hu-  
ius Sacramenti materia panis & vinum est. Materia  
equidem panis ex tritico conficienda; vnde nec apta  
legumina, nec granum quod triticum non sit, v.g. hor-  
deum, milium, panicum. Porro naturali aqua subactus  
esse debet & solo igne decoctus siue azimus, siue fer-  
mentatus sit: quamuis azimus aptior iuxta Ecclesiasti-  
cam consuetudinem materia sit. Vinum ex vite, cuius-  
cunque illud sit conditionis, modò ex vuis maturis sit  
expressum. Certè huic ex Ecclesiæ præcepto parum  
aquæ naturalis miscendum.

*An vtriusque materia panis scilicet & vini iungenda sit in  
consecratione? Ita planè, non Sacramenti necessitate, sed  
diuini præcepti obligatione: in quo tamen grauissima  
de causa Pontificem posse dispensare probabiliter as-  
firmo.*

*Vertitur ne in sanguinem aqua? Si Consecrationis tem-  
pore fuerit iam in vinum conuersa, vertetur in sangui-  
nem; sin minus nil prohibet quò minùs aqua pura re-  
maneat, vti communior docet opinio.*

*Quenam forma panis, & vini? Verba determinata, ac  
certa, quæ à ministris recitando, & significando profe-  
runtur. Forma corporis est: Hoc est enim corpus meum:  
Sanguinis autem: Hic est enim Calix Sanguinis mei, noui,  
& æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro  
multis effundetur in remissionem peccatorum. Profectò verba  
efficacissima, Christi enim præsentiam efficiunt, ex cu-  
ius existentia veritas pendet. Per illud pronomen, hoc  
in forma Corporis designatur Christi corpus pro vt in  
termino prolationis verborum accidentibus panis  
præsens*

præsens est; quemadmodum per pronomen, *hic* in forma sanguinis designatur Christi sanguis prout in fine verborum accidentibus panis præsens est.

*Quænam verba sunt in utraque forma de necessitate?* In forma corporis, *Hoc est corpus meum*: Coniunctio, enim, haud de necessitate, sed de præcepto. In forma sanguinis, *Hic est sanguis meus*, vel *Hic est calix sanguinis mei*: cætera de præcepto tantum sunt.

### C A P V T III.

#### *De effectibus Eucharistia.*

**F**ormæ utriusque admirabiles effectus recense. In primis vi sua tanquam instrumenta Corpus & sanguinem Christi conficiunt, ita ut sub panis specie Christi corpus: sub vini autem speciebus Christi sanguis verè & substantialiter contineatur, panis ac vini nullatenus substantia remanente. Hæc præsentia Christi per veram conversionem substantiæ panis in Corpus, & substantiæ vini in sanguinem fit, ita ut non modò sub prædictis speciebus Christi corpus adducatur, & sanguis: verum etiam ita intimè in substantiam Christi pertingat, ut sufficiens esset terminum producere, si iam productus non esset; quæ conuersio Transsubstantiatio dicitur. Deinde totam Christi substantiam præsentem efficiunt: humanitatem scilicet, quæ corpus, animam, & sanguinem eius amplectitur, & ipsam Verbi Diuinitatem. Præterea totam quantitatem, quam habet in cælo; quæ tamen non per modum extensiuum in ordine ad locum, sed per modum tantum extensiuum in ordine ad totum, & partes in Sacramento reperitur. Adhæc, ex vi verborum sub panis quidem specie Corpus est Christi, cætera per concomitantiam; sub vini autem specie sanguis tantum est, cætera concomitanter.

59.  
Effectus  
Eucharistia.

*Huiusce Sacramenti reliqua edisseras, precor, mysteria.* Ita in ordine ad species Christi præsentia se habet, vt totus Christus sub singulis specierum partibus diuisis sit, sub iisdem totus coniunctis. Profectò moueri Christi Corpori per accidens conuenit. Ab agentibus naturalibus alterari, neque per accidens conuenire affirmo, sicuti neque videri ab oculo corporeo; nec videre, aut audire seu alias actiones externorum sensuum exercere. Cùm definit in Sacramento esse, aliqua ratione mutatur accidentaliter, neque species deserit, nisi quando alia succedit substantia. Christus ipse non videtur in se, cùm in Eucharistia visibiliter apparet, nec eius caro, vel sanguis, sed color & figura tantùm exterior, illum representans; ideo contumendus non est, sed decenti loco conseruandus. Certè ipsæ species post consecrationem absque substantia remanent, & cætera quidem accidentia hærent in quantitate, quæ sine substantia miraculosè existit. Agunt autem, & patiuntur vt antea, & misceri etiam queunt. Denique in hoc Sacramento Christus interno, & externo cultu Latræ adorandus est, absoluto quidem, & perfecto, ac si propria in specie videretur.

*Quosnam Sacramentum ipsum in animam, gignit effectus?*  
 In primis auget gratiam iustificantem. 2. Sacramentalem gratiam, ad vitanda peccata, charitatisque feruorem cùm speciali spiritus dulcedine confert. 3. Condonat venialia tum immediatè ex opere operato, tum mediatè charitatis excitando feruorem. 4. Temporalem poenam non nisi mediatè remittit excitando charitatem. 5. Primam gratiam aliquando per accidens confert. *Quenam dispositio requiritur ad huiusmodi effectus recipiendos?* Vt augmentum gratiæ quis recipiat, in gratia esse debet; vt auxilia specialia, & feruorem charitatis, actuali gratia, & attentione est opus; vt venialium remissionem obtineat, eorum complacentia debet abesse; vt poena temporalis condonetur, actualis requiritur deuotio; vt denique primam gratiam per accidens obtineat,

obtineat, veram, & supernaturalem attritionem de peccato mortali oblito habeat necessum est. *Quandonam hi conferuntur effectus?* In ipsa sumptione, in eoque tēporis momento, quo verum sit dicere, aliquid Sacramenti ex ore in stomachum esse traiectum. *An placet illa opinio docens aliquam maiorem gratiam conferri, quandiu species in stomacho manent?* Minimè; quia si de gratia ex opere operato sermo sit, tota in instanti iuxta dispositionis mensuram confertur.

*In corpus autem quosnam effectus parit?* Primò, fomitem moderatur, cogitationes & affectus ad eum finem accommodatos excitando. 2. Gloriam resurrectionis impertit, dum auxilium speciale confert, ad perseuerandum in gratia. 3. Specialis vnio ratione eius fit inter Christum, & suscipientem vi Sacramentalis vnionis cum spirituali coniunctæ.

---

C A P V T I V.

*De Ministro Eucharistie, eamque suscipiente.*

**Q**uam Minister consecrationis Eucharistie? Ordinarius ac necessarius solus Sacerdos est, inferior illo non sufficit.

60.  
Minister  
Eucharistie.

*Quidnam ei præstandum?* Necessum est eum intentionem habere faciendi quod Ecclesia facit; & integra verba proferre. *Fides aut bonitas deest.* Non ideo quidquam deest valori consecrationis & formæ. *Plures concurrunt ad consecrandum Sacerdotes.* Si partialiter, nihil efficiunt; si totaliter, & eodem tempore formam absoluant, omnes consecrabunt; si ex iis vnus altero prior, qui prior absoluit, solus consecrat.

*Dispensator Ordinarius Eucharistie quinam?* Sacerdos est Diuino iure; Diaconus autem tantum Episcopi, vel Sacerdotis iussu.



*Ad licitum usum quid aliud requiritur? Debet Sacerdos iurisdictionem vel Ordinariam habere, qualem Episcopus, & Parochus habent; vel delegatam, qualem aliorum permissu, etiamsi ab Ordinario non essent approbati. Possunt ne Regulares die Paschatis ministrare Eucharistiam? Iis tantummodo, qui præceptum communicandi in parœcia iam impleverint.*

*An obligatio Eucharistiam ministrandi? Duplex quidem adest obligatio, vna officij ratione habita ex iustitia. v. g. Pastor tenetur ministrare quotiens oues rationabiliter, & opportunè Eucharistiam petunt; altera ex charitate, quæ tantum in necessitate obligat.*

*Ut dignè dispensetur Eucharistia, observandæ ne aliquæ circumstantiæ? Ita planè. In primis, loci, vt in Ecclesia, non in priuata domo ministretur. Deinde temporis, vt non interditi tempore, nisi cum moderatione proprio in loco assignanda. Denique vt non sit in statu peccati mortalis. Scio probabile esse huiusmodi dispositionem non requiri, de quo in Resolutionibus. Adde publico peccatori dandam non esse, occulto autem publicè petenti danda, secus si petat occultè.*

**61.** *Quinam capax excipiendi Eucharistiam? Solus & omnis Suscipiēs homo baptizatus. Nec infans, nec amens, nec peccator Eucharistiam. incapaces sunt. Neque emergumeni, neque condemnati ad mortem excluduntur.*

*Quinam verò obligantur? Omnes fideles adulti, qui si ratione vti non possint, ad Pastorem attinet definire, an iis sit ministranda Eucharistia. Porrò non statim ac homo ad vsum rationis peruenit, obligatur, sed aliquod expectari tempus potest. Ideo existimo moraliter non ante decimum annum concedendam, nec vltra decimum quartum differendam esse communionem.*

*Quotuplex Eucharistiæ vsus? Triplex, Sacramentalis, spiritalis & vterque simul. Frequentior quidem vsus melior, quàm rarior; Dominicis diebus etiam a coniugatis laudabiliter sumi assero: bis in vnaquaque hebdo*

hebdomada, aut tertio quoque die spirituales viros aut foeminas communicare satis; quotidiana enim Communio seculares omninò à seculi curis (spirituali fame pressos) requirit abstractos.

*Licet ne seculari sub utraque specie recipere?* Per se malum non est; iure tamen prohibitum, legitima tamen de causa posset etiam laicis in eo summus Præsul dispensare.

*Quidnam in animo necessarium, ad dignam Eucharistie sumptionem?* Animus iustificante gratia præparandus est; hausturo planè iudicium cum mortali crimine accedente. Qui veniale tantùm peccatum habet non indignè absomit, sed aduertenter sine displicentia illius accedens, venialem culpam incurrit.

*Necessarium ne est, Confessionem præmitti Communioni?* Diuino quisque præcepto tenetur, si probabilem habeat peccati mortalis conscientiam, vel dubiam, & dubium deponere non valeat, Confessionem præmittere. Scio à præcepto huiusmodi excusare communicandi necessitatem, si grauis sit, & absque infamia, vel sine scandalo non possis omittere, deficiente quidem Confessario. Eius loco Contritionem existimatam habere curabis cum proposito quamprimum confitendi, si Sacerdos sit.

*Datur ne certum tempus, in quo post lethale peccatum quis ab eius susceptione debeat abstinere?* Non datur; per se enim loquendo, sumere semper potest, si contritus de crimine, confessusque fuerit, etiamsi paulò ante deliquisset. Ratione tamen aut scandali, aut periculi relabendi abstinendum esset.

*Corporis indica præparationem.* Qui leprosus est, à publica sese celebratione abstineat. Si fluxus feminis aut menstrui sanguinis adest, tempus in quo cessarint expectetur. Si culpabilis pollutio, poenitentia præmittatur. *Quid si supersint adhuc turpes cogitationes, & mentis euagationes inde exortæ?* Me consiliario per integram diem communio differatur, nisi aliqua necessitas perurgeret.

Requi

800 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
Requiritur præterea naturale ieiunium. Quod si à me-  
dia nocte ad Communionem vsque ieiunus non sis,  
omnino tibi abstinendum est; alioquin etiamsi mini-  
mum quid per modum cibi aut potus assumpseris, sine  
mortali peccato non poteris communicare.

*Quid si articulus mortis instaret? Si articulus mortis, vel  
periculum probabile mortis adesset, in quo per modum  
Viatici Eucharistiam sumere necessum esset, potest su-  
mere non ieiunus. Item si fortè ita sacrificij inchoati  
perfectio requireret. An ob Viaticum alteri conferendum,  
quando non adest consecrata Hostia, possit Sacerdos non ieiunus  
facere sacrum? Probabile quidem non ieiunum celebra-  
re posse; quia etsi per se loquendo spectata Sacramenti  
dignitate maior eius ratio esset habenda, quàm priuatæ  
alterius utilitatis, uti Filliutius contrariæ sententiæ af-  
fertor arguit: tamen considerata eiusdem Christi mi-  
rabili dignatione salutis ægrotantis consulendum est; ne  
Viatico priuatus fortè ad accidentalem illum primæ  
gratiæ effectum necessario, priuatur & gloria.*

---

## C A P V T V.

*Praxis circa præfata ex Societatis  
I E S V schola.*

62. *De Eu-  
charistia  
varij ca-  
sus.*

**P**otest quilibet Sacerdos sine labe criminis grauis in fermentato consecrare? Quilibet Sacerdos sub mortali tenetur suæ Ecclesiæ seruare ritum, Latinus in azymo consecrando, in fermentato Græcus, etiam dum per Ecclesias transit Latinas. Ita Coninch.

*Quonam crimine arctatur, qui coniunctionem (enim) in consecratione voluntariè omittit? Si despectus adsit, veniali solummodo suario auctore.*

*In Calicis consecratione quis dicit, Hic est Calis: consecratione? Maximè; quia licet Calis habeat aliam significationem,*

tionem, quàm Calix, tamen ex communi modo percipiendi idem sonat in consecratione. Suarius sic.

*Aliquæ guttæ vini in Calice separate quidem à toto vino, quod in ipso Calice continetur, adsunt: an censendæ sint consecrate?* Ex Suario respondeo probabiliter iudicari posse non consecratas; quia Sacerdos illud tantùm consecrare intendit, quod per modum continui vini intra calicem potabile existit.

*Est ne veniale, accedere ad Eucharistiam ipso die habitæ copulæ à coniugatis?* Ita planè ex Sanchez doctrina, ob Sacramenti reuerentiam. Ego autem, tanti viri venia, assero, suadendum illis quidem, vt tunc à copula abstineant, non tamen vt non accipiant Eucharistiam, posito quod non abstinerint.

*An possit reo ministrari Eucharistia ea ipsa die, qua est ultimo afficiendus supplicio?* Afferit Suarius posse, imo etiam si non sit ieiunus, ac si Viatico muniretur.

*Ad linteum quis adsit communicare paratus, & recordatur alicuius peccati mortalis in Confessione per oblivionem omissi: tenetur ne ante Communionem ad Confessarium rursus accedere?* Excusari ob Sacramenti reuerentiam Henriquez docet. Ego autem non ex reuerentia excusari affirmo, sed ne detur occasio suspicandi adstantibus simul, vel ipsi Sacerdoti celebranti. Idem dicendum de Sacerdote stante ad altare; sufficit enim vtrique tunc elicere Contritionem cum proposito postea confitendi. *Num debeat tati in casu in quacumque temporis angustia ante Communionem actum Contritionis elicere?* Vasquez, & Hurtado asserunt non teneri. Tenetur equidem, me authore; quia potest, cum Deus semper sit paratus auxilium præbere.

*Quando Regulares celebrant in priuatis Oratorijs possunt alijs Eucharistiam ministrare non obstante Episcopi prohibitione?* Posse Suarius iudicat, cuius sententiæ adhæresco.

*Dixisti Sacerdotem ministrantem alijs Eucharistiam non peccare mortaliter: si grahiter delinquit sacrum indignè faciendo,*



802 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
*do, quonammodo leuiter ministrando peccat? Ex doctrina*  
*Vasquez respondeo. Quia ministrans est tantum veluti*  
*applicans actiua passiuus. In aliis autem Sacramentis,*  
*conficit, & ministrat. In Eucharistia conficit, quando sa-*  
*cro dat operam.*

*Scit Sacerdos ex confessione aliquod delictum alicuius non*  
*emendatum: potest ne illi Eucharistiam vel occultè petenti de-*  
*negare? Dixi abnegandam peccatori occultè petenti*  
*Eucharistiam, quando crimina extra Confessionem Sa-*  
*cerdoti innotescerent. At si ex confessione dignouit, de-*  
*negare Communionem non potest; quia esset tacita*  
*exprobratio peccati in confessione auditi contra*  
*eiusdem sigillum. Sic Sanchez.*

*Parochus Eucharistiam ministrat indigno: rogo an duplici*  
*peccato illigetur & contra proprium officium, & ex cooperatio-*  
*ne peccati proximi? Cum Præposito assero vnico peccato*  
*teneri, quod Sacramentum conferat indigno; id enim*  
*necessariò inuoluit vtrunque.*

*Scio in casu necessitatis posse Sacerdotem seipsum communi-*  
*care: rogo an extra necessitatem, deuotionis causa possit? & an*  
*idem laico concedendum? Extra Missam ex præconsecratis*  
*hostiis vbi alius Sacerdos non adest, à quo accipiat Eu-*  
*charistiam, potest seipsum deuotionis causa communi-*  
*care, Suario auctore; qualibet autem diei hora, modò*  
*sit ieiunus, & absit scandalum, doctore Henriquez. Adii-*  
*cio ex Suario Laicum in mortis articulo constitutum, si*  
*ministrum idoneum non habeat, à quo Eucharistiam*  
*fumat, nil obstare videri, quominus se communicare*  
*possit, exemplo Mariæ Scotiæ Reginæ; quo in casu*  
*haud debet manibus sed labiis ministrantibus tam Ve-*  
*nerabile absumere Sacramentum. Coninch asserit in*  
*dicto casu laicum posse alios communicare. Dixerim*  
*apponendo eorum ori custodiam, non manu hostiam*  
*deferendo.*

*Quonammodo se habebit Parochus, aut Prelatus erga eos,*  
*qui sunt in mortis articulo constituti? Ager sex aut octo*  
*diebus antequam in periculum mortis incideret, com-*  
*municauit?*


municauit? Consulendum ei vt iterum Eucharistiam per modum Viatici accipiat. Verum ad id non obligatur, cum præceptum de Eucharistia ante mortem sumenda iam impleuerit. Sic *Laymanus*. Mane communicauit valens, aut sacrum fecit, & à prandio incidit in mortis periculum? Potest iterum communicare conformiter sententiæ asserenti per priorem illam communionem non esse præcepto diuino communicandi in articulo mortis satisfactum. Ita *Hurtado*, vberius tamen *Christophorus Garfia* ex nostra Societate Metimnensis, cuius opera moralia egregiæ quidem notæ iam iam lucem aspiciunt. *Fillinius* præterea adnotat, si Eucharistia ob mortis periculum sumpta sit à non ieiuno, posse iterum ita accipi sexto post die. Vberiori permissione *Laymanus* docet ei, qui assuetus frequenter communicare aut sacrificare propter deuotionem ac desiderium ægrè absteineat, permitti posse, vt altero statim die communicet non ieiunus, dummodò mortis periculum instare videatur. Præterea *Hurtado* Complutensis in set generatim ab infirmis non ieiunis posse Eucharistiam toties summi, quoties à sanis ieiunis; quia ab hac lege in Concilio Constantiensi infirmi sine vlla limitatione excipiuntur. Denique Præpositus asserit ægroto laboranti difficultate aliquid transmittendi, posse communionem dari imposita hostiæ particula cum vino in cochleari, argenteo scilicet, propter reuerentiâ Sacramenti.

*An possit Sacerdos non ieiunus aliquando consecrare, aut sumere Eucharistiam?* Quatuor in casibus posse assero cum *Henriquez*, *Vasquez*, & Præposito. Primò, si aquam pro vino infusam hausit; debet propter sacrificij integritatem vinum consecrare & absumere. 2. Quando post hausum calicem, & ablutionem videt reliquias hostiæ in patena, vel corporali. 3. Quando post consecrationem moritur Sacerdos, aut superueniente ægritudine, non potest perficere sacrum, debet alius etiam non ieiunus succedere, si ieiunus non adsit, qui possit

804 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
sacrificium perficere. 4. Quando post consecrationem  
recordatur se non esse ieiunum. Nam si ante consecra-  
tionem recordaretur, deberet ab altari recedere, nisi id  
sine nota fieri non posset.

*Post Missam Sacerdos in sacristia inuenit aliquod fragmen-  
tum in patena: debet ne illud sumere? Non; quia Suario au-  
thore, quandiu est in Altari eiusmodi fragmentorum  
sumptio ad vnum idemque conuiuium, & sacrificium  
refertur; secus si ab illo discesserit. Quid si nullus alius  
Sacerdos esset post illum celebraturus, qui in eodem Calice ieiun-  
nus accipiat, & ibi non asseruatur Sacramentum ob sacrarij de-  
fectum? Tunc Sacerdos non ieiunus potest ex eiusdem  
Suarij placito fragmentum absumere.*

*Circa ieiunium hoc naturale aliquas occurrentes quotidie dif-  
ficultates euolue. Misit Sacerdos in os aliquid sacchari ante som-  
nū, & dubitat an post mediam noctē aliquid in stomachū trans-  
miserit? Non potest illo die celebrare; quia ieiunus non  
est. Ex propriis unguibus quis aliquid deglutiuit, vel papyri, vel  
sanguinis ex proprio vulnere manantis, vel quid simile absumpsit?  
Potest communicare, aut celebrare; quia illa haud ha-  
bent cibi, potus, aut medicinæ rationem. Reliquias cibi  
pridie sumpti dentibus inbærentes voluntariè quis traiecit? Com-  
municare potest. Dubitas, an sis ieiunus? Non teneris à  
Communione abstinere. Diuersa horologia sunt, & vnum so-  
nuit horam duodecimam noctis, aliud non? Potest qui tunc  
confedit die sequenti communicare, secus si vnum tan-  
tū horologium sit, quod quidem vbi sonare incipit,  
communicaturos comedentes priuat communionem.  
Tabaci ne pulueres, fumus, aut folium prohibet à Communione?  
Puluis, aut fumus minimè, qui nullam cibi, aut potus  
rationem habet per nares traiectus. At folium in os ad-  
missum, si ad stomachum traiciatur integrum, (nempe  
aliqua follij particula) prohibet à Communionem; secus  
si per modum saluæ aliqua folij resolutio deglutiatur.  
Ex Suarij, Vasquez, Laymani, aliorumque doctrina collegi.*



EXAMEN VII.

Circa Materiam de Sacramento Extremæ  
Vnctionis.

CAPVT PRIMVM.

De Extrema Vnctionis Materia &  
Forma.



Vid est Vnctio Extrema? Sacramentum, seu Vnctio  
olei consecrati, ægroti periclitantis corpori  
adhibita sub præscripta forma verborum.

63.

Extremæ  
Vnctionis  
essentia.

Quando tam hoc Sacramentum institutum fuit? A Chri-  
sto quò ad materię & formę designationem in nocte  
Cœnæ efformatum est; quò ad potestatem verò post  
Resurrectionem, cum absoluendi Apostolis potestatem  
impertiit.

Materiam Extrema Vnctionis assigna. Remota quidem  
Oleum est oliuarum ab Episcopo necessariò benedi-  
ctum, (nisi specialis adsit à Pontifice Sacerdoti conce-  
fio: ) proxima ipsamet vnctio quæ sensuum organis  
quinque necessariò adhibenda.

An ex præcepto, alię corporis partes inungendę? Pedes ac  
renes in viris, vbi ea consuetudo viget; in renibus au-  
tem ob decentiam in foemina omittitur.

An vnctionum ordo necessarius sit? Profectò de Sacra-  
menti necessitate non est; seruandam tamen assero  
consuetudinem, vt scilicet prius oculi, tum aures, &c.  
inungantur.

Formam indica \*. PER ISTAM SANCTAM  
VNCTIONEM, ET SVAM PISSIMAM MISERI-  
ECC 2 CORDIAM



806 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta.*  
RICORDIAM INDVLGEAT TIBI DEVS QVID QVID  
PER VISVM, &c. DELIQUISTI. Quæ quidem in sin-  
gulis membris inungendis est repetenda, modo profe-  
rendo deprecatiuo.

---

C A P V T II.

*De Ministro & suscipiente.*

64. *Minister*  
*Extrema*  
*unctio-*  
*nis.* **Q**uam *Extrema Vnctionis Minister?* Ex officio solus  
Parochus, ex commissione quilibet Sacerdos, infe-  
rior hoc nullus.

*Num multi possint Ministri concurrere?* Vnus sufficiens  
est, si tamen multi adfuerint, & vnus efficiat vnã vel  
plures vñctiones, formam proferendo, alius verò com-  
pleat eas, quæ defuerint ad Sacramenti essentiam, vali-  
dum erit.

*An idlicitè prestari valeat?* Ita planè; si primus Mini-  
ster ob legitimam causam non potuerit perficere; quod  
singulare est in hoc Sacramento; quia vnica formæ pro-  
latione non perficitur.

*Expende Ministri huiusce obligationes.* Debet hoc Sacra-  
mentum solis fidelibus ministrare: Dispositus esse ritè  
ad illius administrationem, hoc est in gratia, saltem per  
contritionem existimatam: requisita ad vsum eius ad-  
hibere; & indignis denegare.

*Tenetur ne semper hoc Sacramentum administrare?* Pestis  
tempore, si absque morali vitæ periculo ministrare po-  
test, tenetur ad illud ministrandum; si non potest, ab-  
solutè non tenebitur, dummodò Sacramenta Pœnitent-  
iæ, & Eucharistiæ non omittat; quia non est Sacra-  
mentum necessitatis.

65. *Suscipiens*  
*Extrema*  
*unctionē.* **Q**uam *suscipiendi Sacramenti capax?* Baptizatus adul-  
tus morbo periculoso laborans. Excluduntur amen-  
tes perpetuò, infantes, corpore valentes, etiam si  
capite

*Examen VII. De Extrema Vnctione. 807*  
capite illicò plectendi sint.

*Quis incidit in amentiam, sed ante signa Contritionis ostendit, vel creditur petiturum fuisse, si accidenti non corripere potest ne inungi? Possè, imò debere affirmo. Adde lethali- ter vulneratum, peste percussum, viperæ morsu læsum, ob senectutem in lecto decumbentem inun- gendos.*

*Suscipientis obligationes aperias. In mortis articulo cons- titutus non omitat hoc Sacramentum petere, vel illa- tum haud per contemptum respuat. Rite paratus acci- piat. In eadem ægritudine bis accipiendum non est, nisi diuersus incidat casus.*

---

### C A P V T III.

*De effectibus Extremæ Vnctionis, eiusdemque conferendæ ritu.*

**Q***uam Extremæ Vnctionis effectus? Præcipuus planè est, peccatorum auferre reliquias; quæcunque sint peccata, vel relicta post Sacramenta non ritè suscepta, vel commissa post illa, & obliuioni tradita; siue, vt vno verbo, complectar, omnia: Deinde corroboratio infirmi contra omnia mala, quæ mortis tempore solent occurrere. Hunc effectum gratiæ, quando vltima perficitur vnctio, dari affirmo. Scio tamen probabile in singulis vnctionibus conferri. Præterea sanitas corporis huiusce Sacramenti effectus est; sed conditionatè, si ita animæ salutis proficuum sit futurum.*

*Ritum ab Ecclesia in conferendâ vnctione seruatum exprime. Primò Christi imago in Cruce pendentis decumbenti affertur. Tum preces aliquæ siue quæ præcedant, siue quæ comitentur assolent adhiberi. Deinde infirmus inungitur, qui si ante vnctionem quintam decedat è vita, Sacramentum est nullum. Contrarium scio probabili- ter defendi.*

66.

*Effectus  
Extremæ  
Vnctio-  
nis.*

67.

*Ritus Ex-  
tremæ  
Vnctio-  
nis.*

## CAPVT IV.

*Praxis circa predicta ex Societatis  
IESV schola.*

68. *De Extrema  
Vnctione  
varij ca-  
sus.* **P**otest ne moribundus oleo vetere inungi? Renouandum certè quotannis, vetusque comburendum in Ecclesia, vel in piscinam iniiciendum. Si tamen nullum adsit oleum, nisi vetus, potest eo inungi auctore *Laymano.*

*Sufficit ne forma indicatiua in hoc Sacramento? Affirmat Becanus, negat Coninch.* Ex *Suarij* sententia hæc videtur forma sufficiens. *Vngo te oleo sancto, & Deus tibi remittat quidquid peccasti, &c.*

*Sacerdos inungens illa omittit verba: (per suam piissimam misericordiam:) conficit ne Sacramentum? Asserit Suarij* conficere; quia causa principalis operans in hoc Sacramento sufficienter per verba reliqua expenditur.

*Potest ne Sacerdos tempore pestis communem inungendi modum variare? Potest vngere virga oblonga oleo tincta, quæ postea comburenda. Potest omisso signo Crucis vnâ tantum partem membrorum magis expositam inungere, addita verborum formula cuiusque membro. Monuerim tamen satius esse velocissimè vnâ ex singulis membris inungere, vnica sententia omnium partialium formarum sententias complectente, dicendo: Per istas vnctiones, & suam piissimam benedictionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, &c. Ita Coninch, & alij.*

*Non vult quis æger Sacramentum vnctionis accipere: peccat ne grauiter? Absit scandalum, & contemptus, veniale solummodò erit peccatum ex Coninch; quia nullum ad id obligat præceptum.*

*Adest Parochus: tenetur ne alius Sacerdos ministrare egrotò  
Extremam*

*Examen VII. De Extrema Vnctione. 809*

*Extremam Vnctionem? Sub veniali solum tenebitur lege charitatis. Secus sieger grauiter indigeret, vt quia alias sine vllis Sacramentis esset moriturus, vti aduertit Laymanus.*

*Parochus adest, sed non vult, aut non potest infirmum inungere. Possè tunc Sacerdotem inferiorem etiam Parocho renitente, eum inungere Henriquez affirmat; quia Parochus se gerit iniuste.*

*Morbundus sensibus destitutus alia Sacramenta non potuit suscipere: potest ne inungi tempore interdicti? Possè Henriquez idem ait; ne omnino sine Sacramentis decedat.*

*Dixisti proximum morti inungendum egrotum: an differenda Extrema Vnctio vsque dum infirmus iam sensu & cognitione careat; vel constet non posse eum naturaliter viuere? Respondeo ex Lugo & aliis minimè expectandum; quia id est contra reuerentiam, & vtilitatem huiusce Sacramenti, quod etiam conducit ad corporis sanitatem.*

*Adultus in articulo mortis baptizatus est: potest ne & Vnctio ei ministrari? Absolutè posse Henriquez affirmat.*

*Cuinam etati danda Extrema Vnctio? Docet Laymanus omnibus pueris post septennium conferendam, nisi constet eos rationis vsu carere, licet nunquam acceperint Eucharistiam. Quid si de rationis vsu dubitetur? Sub conditione inungantur.*

*Cognoscit Parochus puerum nunquam peccasse, quia eius audiuit Confessionem: num debeat eum inungere? Debet, auctore Suario; quia illi proderit hæc vnctio si non ad peccati reliquias abolendas, saltem ad robur acquirendum contra tentationes, & morbi molestias, imò ad gratiæ incrementum.*

*Morbus est diuturnus, v.g. hydropisis: iteranda ne Extrema Vnctio? Ex Valentia respondeo posse tali in morbo iterari; quoties redit periculum.*


*An necessaria ad Formam Trinitatis inuocatio? In solo Baptismo & Confirmatione necessariam esse certum est.*

*Adhibendus Sacerdoti conserenti Extremam Vnctionem minister? Ita planè; attamen in necessitate Sacerdotem sine ministro sufficere Toletus docet.*

*An Sacerdos vnus possit eodem tempore vnã ungere partem aliã aliã? Affirmatiuè cum eodem Toletus respondeo, quod in hoc Sacramento singulare esse quis non aspiciat.*

*Sufficit ne verba proferre paulò ante, aut post vnctionem? Idem Toletus sufficere iudicat, sicut in Baptismo, aut Confirmatione. Addens quidem ad singulas vnctiones nouam stupam adhibendam, quæ postea comburenda est.*

*Dubitat Sacerdos, num viuat ægyptus: ungendus ne? Danda Vnctio sub conditione, si non est mortuus, vt ex Nauarr. Saæ affirmat, adiiciens hoc Sacramentum remittere venialia, imò mortalia, faciens de attrito contritum.*




## EXAMEN VIII.

Circa Materiam de Sacramento  
Ordinis.

---

### CAPVT PRIMVM.

*Essentia, institutio, numerus, Materia, & Forma  
huius Sacramenti.*

69. *Ordinis*  *uidnam Ordo? Sacramentum est, quo spiritualis potestas circa Eucharistiam in Missæ sacrificio traditur.*

*Quandonam hoc institutum est Sacramentum? A Christo Domino in vltima Cœna creditur institutum, cum Apostolis*

Apostolis suo corpore, sanguinéque refectis illa adiunxit verba: *Hoc facite in meam commemorationem.*

*Numerum Ordinum exprime.* Sacramentorum esse ministri debuerunt, inter se quidem varietate distincti ex Diuina institutione. In Scripturis numerantur Presbyteri, Diaconi, à Patribus Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, & Ostiarij. Horum Ordines quo ad potestatem immutabiles sunt, quò ad vsum tamen Censura, vel irregularitate aliqua possunt impediri. Perfectò Episcopalis Ordo præter septem solet annumerari; at sub Presbyterio tanquam perfectum Sacerdotium continetur. Prima denique Tonsura non est Ordo, sed quædam ad illum præparatio. *An plura Sacramenta?* Minimè rectè enim omnes vnum Sacramentum efficiunt, cum ad vnum proximum finem referantur omnes, nempe ad Eucharistiæ Sacramentum aptè ministrandum.

*Munia septem Ordinum expende.* Ostiarius aperiendis & claudendis Ecclesiæ ostiis dat operam. Exorcistæ Dæmones à corporibus hominum abigit. Lector fructus benedicebat, iam legit, & cantat. Acolythus necessaria ad Missam præparat, & ipsi ministrat. Subdiaconus solemnè in Missa Epistolam canit. Diaconus Euangelium. Eiusdem etiam munus est populo doctrinam exponere, ex Episcopi aut Parochi licentia baptizare, concionari, & in casu necessitatis ministrare Eucharistiæ. Presbyter denique in Missa consecrat corpus ac sanguinem Domini, omnia Sacramenta administrat, quoad exercitium tamen ab Episcopo, aut ab eo, qui conferre possit, obtenta facultate.

*Quenam Sacramenti Ordinis Materia?* Instrumentum aliquod initiandis Ordinibus traditum in spiritualis potestatis, quam recipiunt, signum. Proxima verò materies est huiusmodi instrumenti traditio, mutuaque receptio. Non est opus hanc materiam esse consecratam; at necessum est tangi tam ab eo qui ordines confert, quam ab eo qui recipit. Etsi quidem per diuersa instrumenta in vno Ordine diuersa potestas conferatur,

812 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta*,  
omnia tangenda sunt : si autem eadem , sufficit vnus  
contactus. v.g. vnus vrceoli in Acolytho , vel calicis  
folius , non vero patenæ in Subdiacono : quamuis de  
præcepto, & ad omnem scrupulum abigendum , omnia  
tangi expediens sit.

*Indica essentielles singulorum Ordinum materias.* In Episco-  
po sola manus imposito de essentia est. Porro vnctio in  
capite, mitræ impositio, traditio baculi in manu , & an-  
nuli in digito, liber Euangeliorum Sacramentalia quæ-  
dam sunt, & accommodatæ ceremoniæ. In Sacerdote  
duplex est, vna Calicis cum vino traditio , altera impo-  
sicio manuum. In Diacono traditio libri Euangeliorum,  
cum impositione manus. In Subdiacono traditio tum  
Calicis vacui, & vacuæ patenæ , tum liber Epistolarum.  
Acolythi candelabrum cum cereo , & vrceoli vacui.  
Exorcistæ , lectorisque liber , illius quidem exorcismo-  
rum, huius Prophetarum. Ostiario denique Clauis cum  
Cymbalo traduntur.

*Indica Ordinum formam.* Ea est , vt verbâ quædam  
ab Episcopo proferantur , quibus imperatiuo quo-  
dammodo potestas singularis accommodata tradi signifi-  
catur. *Accipe potestatem, &c.*

---

## C A P V T II.

### *De effectibus Ordinis.*

70. *Effectus Ordinis.* **P**rimū in Ordinis effectum, nempe Gratiam, indica. Duplicē  
gratiam hoc Sacramentum confert : iustificantem  
quidem, augendo ipsam ex opere operato; & propriam,  
qua dignè ministretur Ordo qui recipitur, à recipiente.

*De Characterē ediffere.* Imprimis etiam Characterem  
tam in maioribus, quàm in minoribus Ordinibus , qui  
quidem tum integrè confertur, cum integra materia, &  
forma completur in singularis.

*Quid*

*Quid de Cœlibatus onere sacro Ordini adiuncto?* Proprium est sacrorum, Ordinum, ut Cœlibatus Ecclesiastico iure onus sustineant. Ecclesiastico dixi iure, non diuino; ideo Ecclesiæ Græcæ Sacerdos vsu Matrimonij non prohibetur, ita Romano Pontifice permittente; Probabile tamen reor eodem Diuino iure prohiberi à nouo Matrimonio contrahendo. Profectò in Latina Ecclesia Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus Canonico præcepto solemne votum continentiae emittere compelluntur, per quod inhabiles fiunt Matrimonio contrahendo, in quo tamen Pontifex legitima potest causa dispensare.

*Quid denique de effectu immunitatis?* A foro seculari immunes sunt Clerici, quod quidem priuilegium etiam ad eos, qui prima Tonsura inicianur, extenditur, de quo suprâ.

C A P V T III.

*De Ministro, ritu, & suscipiente Ordines.*

**Q***uam Minister Ordinum?* Ordinarius solus Episcopus est, quem nulla Censura, aut irregularitas impedit; quo minus validè hoc conferat Sacramentum. Profectò Presbyteri Cardinales ministri etiam sunt minorum Ordinum in suis Titulis; & Abbates respectu suorum Regularium. Maiorum autem, excepto Sacerdotio, solus Presbyter potest minister esse ex iure extraordinario Pontificis. Inter Regulares ipsimet Abbates eorum Superiores etiam primæ Tonsuræ possunt esse ministri. Vbi verò Abbates non sunt, ut inter Mendicantes, ad Episcopos Dioecesium, in quibus habitant, pro recipiendis ordinibus accedendum. *An ad Abbates Ordinum maiorum collatio pertineat?* Minimè, sed

71.  
Minister  
Ordinis.



814 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
sed ad loci Episcopos, qui etiam eis ad illos dimissorias  
concedit, exceptis iis Religionibus, quarum Superiores  
id Pontificio priuilegio possunt.

*Ministri Ordinum obligationes euolue.* Ante ordinatio-  
nem debet Episcopus generaliter ad cautelam ab omni  
Censura absolueri, & in omni irregularitate dispensa-  
re, quantum potest, eos qui accedunt: & contenti dili-  
genti examinatione non faciles aures exhibere occul-  
tum alicuius crimen proferenti. Porro in ipsa Ordina-  
tione materiam & formam ritè applicet; eos qui ordi-  
nibus initiantur, quando imprimitur Character, admo-  
neat; absque grauis culpæ conscientia Ordines con-  
ferre curet; defectibus denique, si qui fortè incidant,  
sciat opportunè occurrere.

*Quid de Dimissoriis?* Episcopus concedit Dimissorias,  
triplex quidem, aut Episcopus originis, aut Beneficij,  
aut domicilij. Episcopo absente eius Vicarius gene-  
ralis. Et Capitulum vacante Sede post annum trans-  
actum.

*Ministrum Ordinarium Episcopatus indica.* Alij tres Epi-  
scopi sunt Ecclesiastico iure ab Apostolorum tempore;  
in quo tamen Pontifex dispensat. *Si exemptus Episcopus*  
*sit?* Papa consecrat, aut alius de ipsius commissione, Me-  
tropolitanum quidem Suffraganei tres consecrant, re-  
liqui per literas consentientibus.

72. *Quenam ad ritum Ordinum pertinent?* Clericalis vestis,  
& tonsura in modum coronæ. Loci, temporisque cir-  
cunstantiæ. Interstitiorum obseruatio. Utque ne gene-  
ralis interdicti tempore conferantur.

*Quinam capax Ordinis recipiendi?* Omnis homo, sed non  
omnis legitime recipit.

*Inhabiles diuino seu Ecclesiastico iure recense.* Diuino iure  
incapaces sunt foeminae, non baptizati, & inuiti. *Quis*  
*per metum cogitur.* Ordinatus est, quia voluntate quan-  
tumuis coacta consensit; voto tamen non adstringitur;  
vnde Matrimonium contrahere, etiam absque illius di-  
spensatione potest. Deinde infantes, furiosi, & amentes  
ordinandi

*Ritus Or-  
dinis, su-  
scipiens-  
que hoc  
Sakra-  
mentum.*

ordinandi non sunt. *Quid si Ordinibus inicientur?* Characterem recipiunt; quippe non sunt ad Ordinem inhabiles. Præterea naturali iure ad Ordines ministrandos apti non sunt perpetuo amentes, omnino cæci, muti, priuati manibus, & similes. Denique Ecclesiastico iure inhabiles sunt oranes irregulares hoc sensu, vt recipiendo peccent, & ab eorum vsu suspensi maneant, licet Characterem quidem recipiant.

*Quotnam requiruntur, vt Ordo sit validus?* Tria, Debita materia, debita forma, & intentio tam Ministri, quàm recipientis, si adultus sit.

*Vt autem sit fructuosus, quidnam?* Requiritur in suscipiente conscientia sine mortali, recta intentio, ac vitæ probitas.

*Vt denique rite sumatur?* Septem requiruntur. Primum, literæ Dimissoriæ proprij Episcopi siue originis, siue Beneficij, siue domicilij. 2. Examen coram Episcopo. 3. Titulus seu Beneficij, seu patrimonij, seu paupertatis in Regularibus. 4. Ordinata acceptio, vt scilicet non prius altior Ordo assumatur, quàm inferior. 5. Debita temporum interstitia seruentur. 6. Præscripta Ordinationum tempora. 7. Locus, qui in solemnibus Ordinum collatione Cathedralis Ecclesia esse debet; in priuata autem Sacellum, & Capella.

*Ætatem ordinandorum aperi.* Ad primam Tonsuram & minores tres septennium completum. Pro Acolythis annus duodecimus completus. Pro Subdiacono viginti & duo. Pro Diacono 23. Pro Sacerdote 25. Omnes quidem incepti. Demum pro Episcopo trigessimus completus esse debet.

## CAPVT IV.

*Praxis circa prædicta ex Societatis  
IESV schola.*

73.  
*De Ordine  
varij  
casus.*

**A**N Diaconus, & Subdiaconus sæpius canentes Euangelium, & Epistolam in peccato mortali, mortaliter delinquant? Negatiuè respondeo cum Vasquez; quia talis actio non est dispensatio meritorum Christi, vt est administratio Sacramentorum. Idem à fortiori dicendum de exercitio minorum Ordinum; quia probabile est hos non esse Sacramentum.

*Ordinatur quis cum filio patrimonio, vt potè donato ea conditione, vt post Ordines donanti restituatur: rogo an sic initiatys Ordinibus peccet mortaliter, & Censura feriatur suspensionis?* Ex doctrina Toleti assero mortaliter illum delinquere, non autem incurrere suspensionem, imò nec ad restitutionem obligari; quia illa promissio de restituendo patrimonio est irrita, neque vllam obligationem inducit. Scio *Auilam* contrariam sententiam approbare.

*Num Ordo sacer per metum aut vim susceptus Matrimonium dirimat? Cum Sanctio assero non dirimere, nec impedire; quia votum ex graui metu factum nullum est.*

*Mala fide quis ante ætatem legitimam, vel sine literis Dimissorijs, vel extra legitima tempora sacrum suscipit Ordinem.* In suspensionem incidere, & si celebrationi det operam, in irregularitatem cum *Auila* assero. Admonuerim eum, qui bona fide id præstat, non incurrere suspensionem; neque irregularitatem si adueniente postea mala fide celebret. Quod si ob non legitimam ætatem sit, vbi ætatem legitimam attingat, poterit sine vlla dispensatione actum Ordinis bona fide suscepti exercere.

*Suscipit.*

*Suscipit quis primam Tonsuram, vel minores Ordines cum intentione ad maiores non ascendendis sed tantum ut gaudeat privilegio Clericali: delinquit ne mortaliter? Negatiuè cum Sanctio respondeo.*

*An possit Episcopus die Dominica maiores Ordines iusta ex causa conferre? Respondet Henriquez affirmatiuè si Dominica ista sit sequens Sabbatum, quo assolent conferri, & ieiunium Sabbathi continuet vsque ad Dominicam.*

*Potest ne aliquando Episcopus alienæ Diœcesis sine proprij Episcopi Dimissorijs ordinare subditum? Ex vi Concilij Tridentini sess. 23. cap. 9. potest Episcopus non tantum ordinare suum familiarem alienæ Diœcesis, qui per triennium cum ipso fuerit commoratus, quando ei Beneficium confert; sed etiam idem potest quoad famulum familiaris, qui eius expensis alitur, ut Sanchez affirmat. Aditio posse etiam cum eis in interstitiis dispensare.*

*Ob quamnam causam Episcopus in interstitiis dispensat? Requiritur, ut dispense, Ecclesiæ utilitas, vel necessitas: v.g. cum quis habet Beneficium, vel Capellaniam cum obligatione celebrandi. Vel cum quis in literis, aut virtute magnos fecit progressus, talis enim utilis futurus Ecclesiæ videtur ipsius frui ad id intercessione, ut adnotat Hurtado.*


*An possit Episcopus extra Diœcesim proprijs subditis primam conferre Tonsuram? Posse Azorius ait; quia Ordo non est. Quid si inuitatus in aliena Diœcesi fuerit ad Ordines conferendos? Posset ne tunc etiam ordinare alienos habentes dimissorias suarum Episcoporum sine noua inuitantis Episcopi licentia? Ex Toleti placito assero posse, nisi manifesta Episcopi præscriptio ad solos subditos extendatur.*

*Accedit Regularis ad Presbyteratum Latinam linguam minus intelligens: potest ne ordinari? Posse affirmo, si non ille ad animarum curam, sed ad chorum deputandus accedat.*

*Num omnes Ordines Sacramenta sint? Ex Bellarmino*  
 &

818 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
& aliis opinor Sacramenta esse. Vnde elicio minores Ordines in peccato mortali suscipere, mortale esse.

*Specialius assigna tempus, quo Ordines conferuntur.* Prima Tonfura, quæ ad Ordines est dispositio, potest quouis die conferri. Minores Ordines diebus festis, & quarta Feria quatuor Temporum, Episcopatus Dominica dies quia in ea Spiritus sanctus in Apostolos descendit. At Maiores Sabbato quatuor Temporum, & Paschæ, & mediæ Quadragesimæ dari solent. Non quidem conferuntur post prandium, nec Ordo sacer sine Missa. Ex *Emanuele.*



## EXAMEN IX.

Circa Materiam de Sacramento  
Matrimonij.

---

### CAPVT PRIMVM.

*De Matrimonij essentia, indissolubilitate, Ministro, solemnitate, Diuortio.*

74.  
Essentia  
Matrimonij.

**Q**uidnam est Matrimonium? Considerari potest tripliciter. Vt officium naturæ ad liberos procreandos: Vt remedium concupiscentiæ, ad seruandum in voluptatibus modum: Vt nouæ legis Sacramentum, ad onera Matrimonij diuina gratia subleuanda. Profectò vt naturæ est officium, definitur: Coniunctio legitima maritalis viri ac fœminæ in vsum coniugij indiuiduum vitæ consuetudinem retinens. Vt verò Sacramentum est, dicitur: Signum sacrum gratiam conferens, qua & reprimere concupiscentiam,

riam, & fideliter cohabitare, ad prolem educandam coniuges valeant.

*Quenam huius Materia Sacramenti?* Remota quidem contrahentium corpora sunt: proxima verò mutua corporum traditio.

*Formam exprime.* Forma est mutua ipsorum corporum traditorum receptio, aut acceptatio iisdem expressa signis.

*Minister quisnam?* Ministri quidem contrahentes ipsi sunt; Parochus quippe principalis est testis. Hinc Matrimonium medio procuratore contractum validum est, si post Tridentinum coram Parocho & testibus fiat. Id quod de Matrimonio celebrato per literas, si eadem adfit solemnitas, affirmo.

*An possit dissolui Matrimonium?* Indissolubilitas proprietatis est Matrimonij, diuino iure positiuo Christi in lege Euangelica omnimoda, diuino autem naturali iure aliqua competens. Porrò consummato coniugio insolubilitatem conuenire etiam ei, quod inter infideles celebratur, affirmo. Scio tamen dispensatione Christi Matrimonium antea initum, per alterius conuersionem ad fidem vel utroque conuerso ante consummationem, separabile esse. Quod autem inter fideles consummatum est omnino est insolubile. Tunc autem consummatum esse censetur, quando semen in vase naturali receptum sit, quacunque id ratione accidat. *Quid si vi copula extorta fuisset?* Consummatum reddit Matrimonium. At probabile iudico sponsam vi cognitam intra tempus bimestre ad Religionem se posse recipere. *Ratum ne & non consummatum est insolubile?* Pontificis summi dispensatione solubile est, iusta obuiente causa; seu Professione Religionis alterius, aut vtriusque accidente.

*Reliquos Ministros Matrimonij assigna.* Parochum & duos testes adhibe, qui quidem debent adesse coniugio, etiam si in mortis articulo esset contrahendum, nec in eo Episcopus quacunque cogente necessitate valet dispescere,

75.

*Indissolubilitas.*

76.

*Ministri Matrimonij.*

§ 20 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta*,  
 ubi fideles Tridentini legibus illigantur. *Parochi conditiones expend.* Debet esse alterutrius contrahentium siue in propria parœcia siue in aliena Diœcesi, quo ad valorem. At de præcepto illius parœciæ debet esse Parochus, in qua Matrimonium celebratur. Non est necesse ut sit Sacerdos, nisi à Parocho esset assignatus; tunc enim haud potest assignare non Sacerdotem ex Congregationis Cardinalium declaratione. Præterea titulum coloratum habere debet, hoc est, à legitimo Superiore collatum, & eum communiter existimatum verum. Ordinarius Parochus dicitur is, quem ad audiendas Confessiones Episcopus deputavit. *Num requiritur specialis licentia ad assistendum Matrimonio?* Satis est generalis exercendi ea, quæ ad curam pertinent animarum. Tacitam etiam ex rati habitatione de præsentis sufficere affirmo. *An verba illa à Parocho prolata: Ego vos in Matrimonium coniungo, &c. Necessaria sint?* Ad valorem minimè; ad observantiam præcepti aptè proferuntur. *Sufficit ne quæcumque Parochi, ac testium præsentia?* Sufficit planè, etiam si coacta sit, modò adsit aduertentia, & rationis usus. *Idem ne de licentia Parochi affirmandum?* Profectò sufficit licentia quæcumque dolo, ac mendaciis impetrata. Imo & testes quoscumque modò sint præsentis satis esse affirmo.

77.  
*Diuortii.*

*De diuortio quidnam?* Diuortium quidem legitima coniugis à coniuge est separatio, quoad torum, & habitationem. *Diuortij causas indica.* Prima est alterutrius adulterium; sub quo quidem etiam alius innaturalis concubitus infandus, in quo caro cum alio diuiditur, comprehenditur. Secunda hæresis, vel apostasia à fide. Tertia alterius coniugis sæuitia. 4. Inductio ad peccatum diuortij legitimi causa esse potest. *An detur compensatio vlla?* Profectò si vnus coniugis adulterium alterius adulterio compensetur, vel condonetur, vel absque culpa adulterari contingat, diuortij ius amittitur. Cum autem compensatio fit altero adulterante non refert alterum sæpius deliquisse. Certè non habet locum huiusmodi compen

compensatio, quando post diuortij sententiam innocens cadit in adulterium. Præterea condonatio fieri etiam potest aut copula scienter habita ab innocente cum adultera, aut cohabitatione, & retentione in confortio maritali. Denique adulter ante sententiam suum crimen cum hæresi compensare non potest; post sententiam autem hæreticus non potest vti adulterio pro compensatione.

C A P V T II.

*De causa efficiente Matrimonij, id est,  
de consensu.*

**P**otest ne sine mutuo consensu iniri Matrimonium? Tam necessarius quidem mutuus consensus, vt humana potestas aliquos Matrimonio iungere sine ipsorum consensu non possit.

78.  
Consen-  
sus Ma-  
trimony.

*Quænam consensus huiusce materia?* Ius in corpora, ex quo tanquam in effectum in ipsam copulam ex vi contractus consensus ipse fertur.

*Finis huius consensus quisnam?* Bonum Sacramenti, proliis, & fidei, idque saltem implicite contrahentes debent intendere.

*Sufficit ne consensus internus?* Profecto externus esse debet, verbis, aut signis expressus; vnde solis nutibus contractum, Sacramentum est.

*An necessario simul tempore vtrumque consensum præstare?* Satis est simultas moralis.

*Quid si factus alterius consensus fuisset?* Denuò vere consentiat necessum est, saltem interne.

*Subest aliquis error aut facti, aut iuris.* Si vterque tamen consentiat quantum in ipsis est, validum est Matrimonium.

*Contractio aliquo Matrimonio, quod ex errore validum existimatur,*



822 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
stimatur, denuo consentitur in illud: num erit validum? Non  
ideo convalidatur, sed tantum ratificatur contractum,  
quod nullum est.

*Impetrata dispensatione, vel impedimento cessante, de nouo  
consentiendum est in Matrimonium antea scienter nullum. Tunc  
vtriusque coniugis consensus requiritur externè qui-  
dem renouatus.*

*Ratificandum est Matrimonium inualidum ob occultum im-  
pedimentum. Coniux inscius de priori nullitate certior  
fieri debet, celata nullitatis causa, & renouandus con-  
sensus. Scandalum timetur, aut rescissio Matrimonij cum infam-  
ia. Eo in casu satis erit cautè iuscij consensum de no-  
uo exquirere, dissimulata nullitate. Monuero Confessa-  
rios, impedimentum coniugibus in bona fide viuenti-  
bus non semper manifestandum esse, sed vel cum ab  
ipsis dubitantibus interrogatur de veritate, aut cum  
probabilis spes profuturæ esset admonitionis.*

*Metus ne reddat inualidum Matrimonium? Si ad Matri-  
monium extorquendum incussus non est, minimè. Por-  
rò si incussus est ad extorquendum Matrimonium, irri-  
tat in vtroque foro, quando grauis & iniustus fuit; si  
autem iustus est, non vitiat, nec leuis iniustus. Profectò  
metus iure solùm Ecclesiastico Matrimonium inuali-  
dat. Nemo igitur cogendus ad Nuptias nec à parenti-  
bus, nec à principe, at luauiter allici non quisquam pro-  
hibetur.*

*Quid si inuitis parentibus quis Matrimonium ineat? Vali-  
dum planè erit, tamen si iustam causam non habeat, pa-  
rentibus inuitis, contrahendi, eorum consilium tenetur  
exquirere non tamen sequi.*

*Quid autem si quæ parentibus inuitis sit nuptia? Si filia mi-  
nor viginti quinque sit annis, Ciuili iure exheredari à  
patre potest, Canonico minimè. Maior si nubat, tenetur  
parens dotare.*

*Potest ne consensus conditiones recipere? Potest quidem,  
licet Matrimonium ipsum per se minimè recipere va-  
leat. Vnde generaliter contrahentium intentioni stan-  
dum*

đum est, si de foro conscientię agatur. Si dubius animus sit apponentis conditionem, externi fori pręsumptioni credendum, conditionęque reiectę, Matrimonium valere iudicandum. In dubio denique pro utroque foro, pro Matrimonio feratur iudicium.

C A P V T III.

De Matrimonio Claudestino. Vbi de Denunciationibus.

**M**atrimonium Claudestinum quid? Quod clām, sine 79.  
furtim sine pręscripta Ecclesię fit solem- Claudesti-  
nitate. num con-

*Quotuplex est?* Duplex. Primum, quod sine Parocho & testibus; secundum, quod absque Denunciationibus contrahitur. Vtrumque Claudestini pęnis subiicitur; tam enim contrahentes, quām assistentes grauibus à Tridentino sess. 24. cap. 5. flagellis percutiuntur.

*Num primum coniugium Claudestinum sit validum?* Ante Concilium Tridentinum Matrimonium sine Parocho & testibus validum erat, & nunc etiam est validum apud terras, in quibus Tridentinum receptum non est. Vbi verò eius decreta recepta sunt, irritum est, tum personis redditis inhabilibus ad contrahendum, tum irrito facto contractu, vnde etiam inuolidum manet Sacramentum.

*Validum ne secundum Claudestinum coniugium?* Matrimonium absque Denunciationibus contractum, validum quidem est; attamen Parochus assistens & ipsi contrahentes mortaliter peccant, nisi Episcopus alterutrius contrahentis iusta ex causa dispenset.

*Tenetur ne Episcopus dispensare ne pręcedant Denuntiationes?* Aliquando tenetur, v.g. cū timentur scandala,

§ 24 *Moralis Theol. Tract. VII. Sacramenta,*  
& malitiosa impedimenta. Aliquando non tenetur, sed  
gratiosa eos potest concessione donare.

*Quid si ante Denunciations Matrimonium celebretur?* Con-  
summari non debet ante ipsas; vti appareat num ali-  
quod dirimens impedimentum exsurgat.

*Licet ne ante benedictiones sponfos de presenti consummare?*  
Licet absque mortali saltem culpa; ne fornicandi pericu-  
lo se contrahentes exponant.

*Ad quidnam tenetur, qui impedimentum aliquod adesse no-  
uit?* Qui vi denunciationum aliquod impedimentum  
noscit etsi occultum sit, secreto modo extra Sacra-  
mentalem Confessionem tenetur Superiori denuncia-  
re. *Quid ipsi contrahentes?* Ipsi etiam ab Ordinario de  
occulto interrogati impedimento veritatem tenen-  
tur profiteri.

---

## C A P V T I V.

### *De Sponsalibus.*

80.  
*Sponsa-  
lia.*

**S**ponsatium exprime definitionem. Sunt futurarum pro-  
missio Nuptiarum. Hinc adulterium non esse concu-  
bitum cum alterius sponsa patet. At *Filliutius* docet cir-  
cunstanciam ab sponsa esse considerandam; quia magna  
sponso irrogatur iniuria.

*An promissio mutua sit necessaria?* Ita planè, quæ quidem  
externa debet esse, obligans suo in genere & mortali-  
ter. Ad eam sufficiens deliberatio, & animus se obligan-  
di requiritur. Verba communi intelligentiæ accommo-  
data esse debent. *Si dubia essent?* Intentioni contrahen-  
tium standum est in conscientiæ foro.

*Num verbis deficientibus possit aliunde expressio consensus,  
aut promissionis suppleri?* Subarrhatio annuli, vbi eà  
consuetudo vigeat, signum est sufficiens loco verbo-  
rum. Præsentia etiam & taciturnitas ipsa filiorum,  
parenti

parentibus contrahentibus pro illis, satis est, modò ipsi saltem internè consentiant.

*An ficta sponsalia valida sint?* Nulla quidem sunt ex defectu consensus. Si tamen alia vera illis subsequantur verba, valida erunt sponsalia. Porrò fictè contrahens debet verè consentire.

*Num clandestina sponsalia & valida, & licita?* Sunt plañè, etiam post Tridentinum. Nec quidem contrahentium notabilis disparitas, intercedente scientia, illa reddit irrita.

*Quinam sunt habiles ad sponsalia contrahenda?* Ij inter quos nullum est impedimentum, & adest ætas à iure præscripta, scilicet completum septennium, nisi malitia suppleret ætatem.

*Oritur ne ex sponsalibus aliqua obligatio?* Implendi quidem sub mortali. *Quando nam implenda promissio?* Si nullus terminus est præfixus, satis est ei qui promissit, si tum impleat, quando ab eo requiritur, cui promissio est facta. Profectò qui absque iusta causa recusat implere aut termino præfixo transacto, aut quando sponsus vnus requirit, post monitionem per Censuram cogendus est, nisi exitus non felix timeatur.

*An pœnæ, siue arrhæ valeant?* Pœnæ quidem sponsalibus adiectæ irritæ sunt, etiam si iuramento firmarentur. Arrhæ autem valent, per violatorem quidem amittendæ. Scio alia interuenire pacta posse pro Matrimonij securitate.

*Quisnam modis sponsalia dissoluntur?* Primò, lapsu præfiniti temporis appositi in sponsalibus, & absentia alterius in longinquam Regionem. Secundò soluit superueniens fornicatio, morbus, inimicitia, notabilis morum asperitas, sœuitia. Tertiò, idem præstat impedimentum iuris, si dirimens sit. Quartò, soluntur per Matrimonium de præsentì cum alia; eoque soluto, ad priora sponsalia non manet obligatio. Quintò, mutuo dissensu, si impuberes ambo sint, vel eorum alter. Solo impuberis dissensu pubertate adueniente laxantur, nisi

81.

*Sponsalium  
dissolutio.*

826 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
iurata sint. Sextò, Religionis ingressus, etsi iurata essent,  
sponsalia soluit; sed is licitus non esset, quando virgo  
sub eorum spe esset deflorata. Septimò, idem efficit Re-  
ligionis votum; non autem castitatis, vt probabilius iu-  
dico. Octauò denique ad sponsalia dissoluenda causa,  
quæ sufficiens est, si subsequatur, erit etiam sufficiens, si  
præcessit, & fuit ignota. *An requiratur iudicis autoritas ad  
dissoluenda sponsalia?* Si occurrens causa sit certa de iu-  
re, non requiritur: item si certa sit de facto; si au-  
tem dubia, vel occulta, & publica sponsalia, iudi-  
cis requiritur autoritas.

---

## C A P V T V.

### *De debito coniugum.*

82. *Debitum coniugale.* **S**Cio ex sponsalibus & Matrimonio mutue redditionis con-  
surgere obligationem; ipsumque coniugalem actum ex se li-  
citur esse, & absque culpa exerceri posse. *Rogo num reddito hæc  
obligatorla sit? In præcepto quidem est, siue expressè, siue  
tacitè petitio fiat.*

*Potest ne coniux adhibere medicamina, vt sese debiti reddend-  
di impotentem reddat?* Non potest absque culpa lethali  
illicitis medijs se coniux impotentem ad debitum sol-  
uendum efficere. Ieiunia tamen & alia ex deuotione  
moderatè, & prudenter obseruare potest.

*Exhibeas precor regulam ad cognoscendum, quando nam alter  
petendo peccare possit, alter verò reddendo non delinquat?* Si  
petere peccatum est ob circumstantiam personalem  
tantum, non est peccatum reddere. v.g. in habente vo-  
tum castitatis, & reddente. Si verò peccatum sit petere  
ob ipsius actus circumstantiam, tunc etiam reddere pec-  
catum erit.

*Coniugum alias exprime obligationes. Ad cohabitandum  
tenentur, eademque mensa, & lecto saltem vt pluri-  
mum,*

num, regulariter vti, nisi ex iuxta causa excusentur; ad idque possunt Censuris adigi. Præterea coniugalis actus bonus est si ob prolem fiat, vel ad debitum reddendum; ob alios fines veniale non excedit, v. g. ob delectationem, sanitatem, & similes.

*Num dies festus, aut Communio usum coniugij prohibeat?* Dies minimè, Eucharistia autem sumenda illum quidem non vetat ex præcepto, sed admonet abstinenciam ex consilio.

*An sacro in loco licitus sit actus coniugij?* Sacro locus sub mortali respuit huiusmodi actum, extra casum necessitatis.

*Num delictum in modo?* Modus quidem dummodo debitum vas seruetur, raro mortale saltem peccatum inducit.

*Est ne copula simul complenda?* Si possit, complenda esset simul; si non possit, alteri expectandum, dum perficit alter, non autem est necesse.

*Quid si vir incidat in impotentiam?* Si in eam incidit impotentiam, vt intra vas non valeat seminare, debet abstinere ab actu maritali. Si sit complendi spes, conando non delinquit; quia tunc accidentaliter extra vas profundit.

*Potest ne coniux desistere à copula incepta?* Vir quidem absque causa non potest, donec perficiat, si foemina perficit.

*Menstrua ne, aut prægnatio impediunt à copula?* Menstrua minimè. Prægnatio autem foeminae tunc, quando periculum abortus timeretur, aut damnum graue foetui obueneret, aut manifestum periculum effusionis seminis instaret. Profectò cum propriae salutis damno nemo reddere tenetur.

*Coniux impeditenti alicuius conscius est. Nec petere, nec reddere potest. Dubius est solummodo. Reddat tantum, & post adhibitam diligentiam petat etiam.*

*Quid si Matrimonio ex copula cum consanguinea affinitas*



Mariam. Profectò error circa qualitatem non vitiat coniugium, nisi per modum conditionis ea qualitas, in qua erratur, apponeretur.

*Conditionis impedimentum exprime.* Conditionis seruilis error in contractu liberi cum ancilla, vel serui cum libera irritat Matrimonium, licet seruus pro determinato tempore liber esset futurus. *Quid si huiusmodi error detriore errantis non efficit conditionem?* Non dirimit. Dominus seruum tradit liberæ nescienti seruitutem. Hoc ipso à seruitute liberat, vt iniuriam refarciat. Idem affirmo, si Dominus tradat ancillam libero seruitutis conscio, & ancillam per instrumentum dotet; fit enim illa hoc ipso libera, & in vtroque casu Matrimonium est validum. *Num seruus Domino inuito possit Matrimonium inire?* Potest, nec propterea potest à Domino puniri, nec vsum Matrimonij valet Dominus impedire. Verùm sic Matrimonio contracto, illi potius obsequendum cuius necessitas magis vrget; cæteris paribus, coniugi potius satisfaciendum. *Quid de filijs?* Conditionem matris sequuntur quoad seruitutem; quoad honores autem & nobilitatem conditionem patris.

*Voti explicata impedimentum.* In approbata Religione votum solemne, aut simplex in nostra Societate irritat Matrimonium subsequens.

*Cognitionis impedimentum preme.* Impedit Matrimonium carnalis cognatio, vinculum scilicet personarum ab eodem propinquo stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Impedit etiam spiritalis cognatio; impedit & legalis. Profectò Naturalis distinguitur per lineas ascendentium, descendentium, & collateralium; & per gradus, ex quibus vsque ad quartum hodie consanguinitas iure Canonico dirimit. Profectò in primo gradu tam in linea recta, quam collateralis naturali iure irritum est Matrimonium; in alijs autem, licet sit probabile in linea recta in infinitum dirimi; at tamen probabilius arbitror, ad eum tantum terminari, ad quem generantis virtus non amplius peruenit. Certe

Pontificia

85.

Conditio.

86.

Votum.

87.

Cognatio.



830 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
Pontificia dispensatione iusta de causa in omnibus iuri  
potest coniugium, excepto primo. In cuius expositionem  
adnoto in cognatione duplicem esse lineam, rectam  
& transuersalem. *Recta* est, quando multi successi-  
uè de vno procedunt, v.g. filius à patre, nepos à filio,  
&c. *Transuersalis* autem, quando multi de vno descendunt,  
sed non successiuè vnus ab alio sicut in *Recta*: v.g.  
ex patre duo filij, ex his duobus filiis alij duo, &c. *Quo-  
nammodo huiusce cognationis gradus dignoscuntur?* Duplicem  
Regulam exhibeo. Prima quidem ad lineam rectam, nu-  
merus graduum numerum personarum æquat, vna  
sublata: v.g. pater ac filius sunt duo, vna sublata perso-  
na, altera remanet, vnde primo in gradu pater & filius  
aderunt. Secunda verò ad lineam transuersalem, dua-  
bus propositis personis ex eadem radice procedenti-  
bus, in eodem aderunt inter se gradu, quo ipsi cum ra-  
dice à qua procedunt, insunt: v.g. duo fratres vnus  
parentis filij primo in gradu sunt, inter se, quia vterque  
cum parente primo in gradu versatur: Item duo con-  
sobrini secundum inter se gradum æquabunt; quia sin-  
guli secundo in gradu cum ipsorum auo consistunt. *De  
spirituali cognatione quid?* Est spiritualis cognatio Eccle-  
siae statuto confurgens ex collatione Baptismi, & Con-  
firmationis: & susceptione baptizati, & confirmati. *Cog-  
natio hæc Matrimonio contracto superuenit.* Non dirimit; ad  
summum impedire debiti petitionem affirmarim. *Inter  
quosnam contrahitur?* Inter baptizantem & baptizatum,  
huiusque patrem, & matrem; inter susceptorem item,  
& susceptum huiusque patrem, & matrem. Idem assero  
in Confirmatione accidere. *Cognitionem denique legalem  
explica.* Propinquitas quædam est ex adoptione prouen-  
iens: Adoptio autem est legitima extraneæ personæ  
in filium, vel nepotem assumptio, quæ tunc perfecta est,  
cum adoptatus in adoptantis transit potestatem, illique  
succedit vel tanquam necessarius hæres, ex testamento  
in quarta parte; vel tanquam filius ab intestato in to-  
tum. *Adoptionis imperfectæ differentia exprime.* Hoc à perfe-  
cta

Et prædicta differt, quòd per eam non transit adoptatus in adoptantis potestatem, nec illi tanquam necessarius hæres ex testamento succedit; sed tantùm ab intestato. Denique cognationis huiusce species adnota. Tres sunt. Prima in linea recta inter adoptantem, & adoptatum. Secunda à latere inter adoptatum & filios carnales adoptantis. Tertia per modum affinitatis inter adoptatum & vxorem adoptantis; & inter adoptantem & vxorem adoptati. *Quenam igitur cognatio legalis dirimit?* Perfecta tantùm dirimit Matrimonium sublebens quòd ad omnes eius species; imperfecta autem impedit tantùm ne fiat. Porrò ad gradum quartum se extendit descendentiùm adoptati, eorum videlicet, qui dum is adoptatus fuit in adoptati erant potestate.

*Criminis discutiamus impedimentum.* Crimen duplex. Primum Adulterium cum machinatione mortis alterius coniugum, quòd dirimit Matrimonium subsequens cum quocunque alio. Admonuerim tamen necessarium esse, vt Matrimonium contra quòd est facta machinatio, verum sit: Vt machinatio sortiatur effectum, subsecuta scilicet coniugis alterius necesse: Vt homicidium sit vxoris, nam si vir occidatur, secundùm aliquos non incurritur impedimentum: Vt tam mortis machinatio, quàm adulterium interueniat, nisi vterque ad necem sit cooperatus; tunc enim adulterium non requiritur: Vt quando alter machinatus est mortem, adulterium commissum sit vtrique notum: Vt homicidium, coniugis eo sine factum sit, vt cum altero coniugium texatur. Secundum delictum est adulterium cum fide data, vel adulterium cum Matrimonio de facto; in vtroque casu irritum est. Ad id autem requiritur, vt prius matrimonium validum fuerit: Vt adulterium coniunctum sit vel cum promissione futuri Matrimonij, vel cum Matrimonio de facto: Vt promissio Matrimonij sit externa, quamuis ficta, modò fictio non appareat: Vt adulterium scienter factum sit, vtroque scilicet sciente alterum

832 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
alterum esse coniugatum. Vt promissio facta ab vno  
ab altero sit acceptata: Vt adulterium perfectum sit, &  
consummatum.

89. *Disparitas cultus impedimentum exponas.* Matrimonium  
fidelis baptizati cū infideli Gentili, Iudæo, Mahometa-  
no Ecclesiastico iure dirimitur; non quòd aliqua sit le-  
ge expressum, sed quod Christiani populi consuetudo  
vim legis habens obligationem inducit. *An Matrimonium  
Catholici cum hæretico coniuge sit validum?* Prohibitum qui-  
dem est iure Canonico, sed validum, & accedente Pon-  
tificis dispensatione licitum; modò nullum in Catho-  
lico adsit subuersionis periculum.

90. *Vim explicare aggrediamur.* Nullum quidem est Matri-  
monium vi, aut metu qui in constantem virum cadat,  
contractum. Profectò si post vim consentiat coniux, ad-  
ueniatque maritalis actus, validatur.

91. *De Ordinis sacri impedimento disserere.* Subsequens Matri-  
monium sola Ecclesiæ constitutione dirimit. *Potest ne  
quis post Matrimonium Ordinem sacrum suscipere?* Requiritur,  
vt liceat, vxoris licentia. Præterea vt si manens in  
seculo senex sit & absque suspitione incontinentiæ vo-  
tum castitatis emittat: si iuuenis, vt Religionem ingre-  
diatur. Defuncto autem viro transire non potest ad  
alias nuptias ob votum Castitatis emissum. *Quid si vi-  
rum ad Cardinalatum, vel Episcopatum promoueri contingat?*  
Vxor in Religione cogitur profiteri. *Amittit ne aliquid  
Clericus si fortè ad validum transet Matrimonium?* Ipso iure  
Ecclesiastica Beneficia amittit, sub quibus etiam pen-  
siones continentur, titulo collatæ Clericali. Tam-  
en priuilegio Canonis & Fori gaudere potest, si  
vnicam & virginem ducat, habitum, & Tonsuram  
gestet. *De transeunte autem ad Matrimonium inualidum  
quid?* Coniugium iniens dum est in sacris, ipso facto in-  
currit excommunicationem. Contra verò si coniugatus  
absque vxoris licentia ad sacros Ordines accedat, effici-  
tur irregularis, hoc est, neque in susceptis ministrare,  
nec ad Superiores auolare poterit.

*Quid*

Quid ligaminis impedimentum? Ligamen est vinculum prioris Matrimonij, quo constante, secundum est irritum. Poligamia Diuino iure in lege Evangelica est prohibita. Profectò vnum virum plures habere vxores posse fuit cum Israëlítico populo dispensatum; quia non erat contra primarium Matrimonij finem, qui prolis educatio, & generatio est: At plures viros vnam habere vxorem naturali est iure interdictum.

Publicæ honestatis impedimenti adnecte expositionem. Publica honestas est propinquitas ex sponfalibus, vel matrimonio rato proueniens; quando scilicet desponsatus quis cum MARIA, futura quidem promissione, nubit postea cum Catharina sorore aut sobrina MARIAE. Nullum est huiusmodi coniugium. Quod si cum secunda copulam ineat, prohibetur cum vtraque Matrimonium instituire. Profectò quæ ex sponfalibus prouenit non excedit primum consanguinitatis gradum tam in recta, quàm in transuersa linea. At quæ prouenit ex Matrimonio rato perdurat etiam nunc vsque ad quartum.

Affinitatis iam impedimentum euoluamus. Propinquitas est personarum ex carnali commixtione proueniens Affinitas, omni carens parentela. Eius gradus numerati, quemadmodum Consanguinitatis gradus annumerasti; quia quoto gradu quis consanguineus est viri, vel foeminae cognitæ, eodem est viro vel foeminae affinis. Quotuplex linea? Duplex, vna ascendentium & descendentium, v.g. Socer & vitricus, socrus & nouerca, gener & nurus; priuignus & priuigna; altera collateralium, eorum scilicet, qui alteri coniugi consanguinei sunt. Quando maris semen in femina vas non immittitur, contrahitur affinitas? Minimè. Vsque ad quemnam gradum dirimit? Si ex copula licita, nempe ex Matrimonio oritur, dirimit vsque ad quartum; si ex fornicatione, vsque ad secundum, ex Tridentini restrictione. An affinitas dirimat iure Ecclesiastico, an iure naturæ? In primo gradu rectæ lineæ

92.  
Ligamē.

93.  
Publica  
Honestas.

94.  
Affinitas.

95.  
*Impotentia;*

*De impotentia impedimento differamus. Si impotentia coeundi sit absoluta, & perpetua in viro, (frigiditatem voco) subsequens irritat Matrimonium; nec satis est foemineum vas penetrari, si intra illud etiam non seminetur. Profectò in foemina impotentia hæc Arctitudo appellatur, quæ si tanta sit, ut semen recipere intra vas non queat, etiam irritat: secus, si tantum absque vitæ periculo parere non possit. Impotentia tantum est respectiva, cum foemina hæc haud est illi viro apta; & è contra. Tunc quidem si huiusmodi respectiva impotentia sit perpetua, etiam dirimitur Matrimonium illius viri aut foeminae respectu. Quando nam censetur hæc respectiva impotentia perpetua? Quando nulla humana arte absque corporali periculo potest remoueri. Si foemina iam sit nupta, & medicorum iudicio per incisionem apta vivo reddi possit? Teneri iudico citra mortis, aut grauis morbi periculum pati incisionem. Suppone impotentiam solum esse accidentalem, siquidem ex sola senectute id prouenit. Matrimonio non obstat. Quid si impotentia sit ex maleficio. Si perpetua sit, subsequens irritat matrimonium. Verum censetur perpetua esse, si tolli non possit sine alio maleficio, vel sine miraculo. Item cum constat post triennium experientia eodem modo remanere, perpetua præsumitur impotentia. Si temporalis solum modò sit, siquidem ex ætatis accidat defectu, ut ante pubertatem? Irritum est Matrimonium Ecclesiastico iure, si post pubertatem adhuc potens non sit. Consulo maturius tempus expectari. Matrimonium, desperata iam salute, mortis tempore celebratur: validum ne est? Ita planè; quia accidentaliter tunc vir impotens ad prolem. Profectò proles iam antea habita, si naturalis sit, legitima redditur. Potest ne Hermaphroditus Matrimonium inire? Potest quidem iuxta sexum, qui præualeat. Vterque æqualis est. Eligat, quem velit. At eo electo, alium non potest eligere. Dissoluitur Petri Matrimonium: non potest aliam ducere uxorem? Si dissolutum*

dissolutum fuit ratione frigiditatis in ipso, prohibitus est ei transitus ad alias Nuptias. Si autem dissolutum est ratione arctitudinis in fœmina, dissimili alij viro potènti ad ipsam potest copulari coniugio. Si denique ratione maleficij sit dissolutum, vterque transire ad secundas Nuptias potest. *Impotentia Matrimonium prius consummatum subsequitur?* Non dirimitur, quia iam fuit consummatum. *Si autem ratum solummodo?* Probabilius reputo non dissolui. *Quid si coniuges coire non possint, aut semen prolificum non esse cognoscatur?* Si non possunt coire, à copula abstineant. Si possint, etiamsi semen prolificum non sit, copulari non prohibentur. Profectò ad impotentiae capiendum experimentum, triennium conceditur, cum dubia est.

*Dixisti iam Clandestinum Matrimonium iure nouo prohibitum, ubi Tridentini vigeat observatio. De Raptu, nouo etiam impedimento appposito quid ducendum?* Raptus quidem peccatum luxuriæ est, quo persona aliqua cum violentia abducitur ad turpem actum cum ea exercendum. Vnde ad raptum tria requiruntur, violentia, abductio, & vt causa libidinis fiat. Ad poenas autem incurrendas requiritur, vt mulier rapta honestæ sit vitæ. Hoc quidem impedimentum impediens erat iure Canonico, at nouo Tridentini iure dirimens est pro tempore, quo rapta existit sub raptoris potestate, nec separata est, & tuto in loco, ac libero constituta. Poenas denique infamiæ incapacitatis omnium dignitatum vltra obligationem dotandi decenter raptam arbitrio iudicis raptor incurrit, cum raptus sit causa, cum rapta Matrimonium contrahendi.

96.

Raptus.

## CAPVT VII.

*De impedimentis Matrimonium impedi-*  
*entibus.*97.  
*Impediē-*  
*tiā.**I*Am impedimenta Matrimonium impediētia solummodò, re-  
cole. Hisce carminibus exprimuntur.*Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,  
Atque Catechismus, sponsalia, iungito votum,  
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.  
Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,  
Susceptus propriæ sobolis, aut Presbyteralis,  
Vel si poeniteat solemniter, aut Monialem  
Accipiat; prohibent hæc coniugium sociandum.*

Quotnam igitur impedimenta huiusmodi sunt? Quinque. Primum dicitur interdictum iuris, tempus scilicet feriatum, v. g. Aduentus, & Quadragesimæ, in quo prohibita sunt Nuptiæ quoad benedictionem scilicet, & solemnem traductionem sponsæ in domum sponsi. Igitur Matrimonij contractum traductionem sponsæ in domum sponsi, consummationemque ipsam prohibitam non esse affirmo, modò absque solemnitate fiant, & alicubi contraria consuetudo non vigeat.

98.  
*Catechif-*  
*mus.*

*Exprime Catechismi impedimentum.* Secundum est Catechismus, imperfecta scilicet cognatio quædam spiritualis orta ex eo, quòd quis puerum baptizandum teneat in Catechismo, respondendo Sacerdotis interrogationibus. Hæc quidem Matrimonium subsequens cum iisdem personis, cum quibus dixi spirituales cognationem impedire. Non desunt qui asserant impedimentum hoc post Tridentinum non permanere.

*Sponsa*

*Sponsalium impedimentum explica.* Tertium est priora 99.  
 sponsalia. Hæc Matrimonium de præsentibus cum alia qua- *Sponsa-*  
 cumque impediunt, nisi iusta adsit sponsalia dissoluen- *lia.*  
 di causa.

*De Voti impedimento quid?* Quartum, est Votum sim- 100.  
 plex Castitatis; impedit enim contrahendum, at con- *Votum.*  
 tractum Matrimonium non dirimit.

*Crimina impedientia recense.* Quintum impedimen- 101.  
 tum, est septuplex crimen. Primum incestus, copula *Septem*  
 scilicet habita cum consanguineis coniugis vsque ad *crimina.*  
 gradum prohibitum. Secundum Raptus alienæ spon-  
 saliæ, siue de præsentibus, vt omnes censent; siue de futu-  
 ro, vt probabile reputo; impedit hoc crimen matri-  
 monium cum rapta, & cum quacumque alia. Tertium  
 est vxoricidium; si enim fiat autoritate priuata etiam  
 in adulterij commissi vindictam, impedit cum alia  
 quacumque Matrimonium: non ita viricidium, vti pro-  
 babilis affirmo. Quartum crimen, est susceptio pro-  
 prii filij in Baptismo, vel Confirmatione, si fiat animo  
 insidiandi Matrimonio, vt scilicet alter coniux pri-  
 uetur debito coniugali, ob impedimentum inde  
 consurgens spiritualis Affinitatis; impedit autem  
 cum quacumque alia hæc culpa Matrimonium.  
 Quintum crimen, Presbytericidium, quomodo-  
 cumque illud fuerit, impedit enim cum qua-  
 cumque. Sextum solemnæ poenitentia: impedit  
 enim, donec illa durat. Scio, hodie solemnæ poe-  
 nitentias in vsu non esse. Septimum crimen est Ma-  
 trimonium cum Moniali de facto: impedit enim cum  
 alia quacumque.



## CAPVT VIII.

*De dispensationibus Matrimonialibus.*102.  
Dispensa-  
tiones.

**E**Voluisti sigillo 1. Dispensationis legum Materiam, pluramque ad Matrimoniales dispensationes attinentiam attingisti. In presenti de aliis quaestionibus instituti huiusce propriioribus periculum faciamus. An potestas Papae dispensandi in omnibus Matrimonij impedimentis? Non est potestas illi dispensandi in impedimentis iure diuino naturali dirimentibus, v.g. coniugium cum filia, sed in iis omnibus, quae iure Canonico tantum dirimunt. Vnde patet in voto etiam solemni sacro Ordini annexo, & professioni Religionis dispensare posse.

*An in omnibus impedimentis iure Canonico apposisit valeat dispensare Episcopus?* Solum potest dispensare in impedimentibus regulariter loquendo, si excipias incestum cum consanguineis vxoris, Matrimonio consummato: Sponsalia, & simplex castitatis, vel Religionis votum. Item potest cum coniugatis dispensare ad debitum petendum.

*Quenam cause requiri assolent ad Matrimoniales dispensationes?* In genere sex adnumerabo. Prima est extinctio magnae litis. 2. Inaequalitas Matrimonij qualitatis ob loci angustiam, vel nimiam cognationem, nisi consanguineo, vel affini tradatur. 3. Defectus dotis competentis. 4. Conseruatio facultatis in eadem cognatione, 5. Conseruatio illustri familiae in eodem sanguine. 6. Excellentia meritorum siue petentis dispensationem, siue eius, pro quo petitur.

*Rescriptorum expende circumsantias, ne periculo subiaceant subreptionis.* Non adsit veri taciturnitas, nec falsi relatio. Tunc quidem subreptitiae Dispensationes, siue rescripta quaecunque gratiae vel iustitiae censentur ex tacitur

taciturnitate veri, quando tacetur veritas, quam iura expressis verbis iubent declarari: vel talis est, quæ spectet intrinsecè ad dispensationem; sit ve illius causa finalis. Profectò tunc ex falsi expressione rescripta vitiantur, cum falsitas contingit circa finalem causam, ita ut ea falsitate non expressa literæ detegerentur, aut iis moderamen esset adhibitum. Quod si vna sola causa narretur, qualiscumque illa sit, si falsa est, rescriptum non valebit. Si literæ motu proprio concedantur, valent non obstante subreptione tacitæ veritatis: Secus si esset subreptio falsitatis narratæ. Demùm si falsi expressio, aut veri taciturnitas contingit tantùm circa causam impulsivam, licet dolo contingat, in neutro foro literæ vitiantur; si autem sit circa causam finalem, aut est causa rescripti totius, totum vitabitur, siue dolo, siue ignoranter contingat. Porrò si solius partis est causa, quæ quidem pars est omnino separata ab alia, illa sola pars vitabitur, in qua est subreptio; si verò pars habeat coniunctionem, separabilem tamen quoad valorem, tunc si neque per fraudem, neque malitiam subreptio admissa sit, valebit in utroque foro rescriptum, quoad illam solam partem, in qua subreptio non fuit: si verò per fraudem & malitiam, ea quoque pars vitabitur, in qua subreptio non fuit; non tamen ipso iure in conscientiæ foro, sed post iudicis sententiam.

Plura sunt impedimenta, v. g. consanguinitatis, Affinitatis, voti, &c. Omnia in eadem Dispensatione sunt exprimenda.

Quonammodo circa sanguinis impedimentum explicandum relatio conficietur? Primò explicandus est gradus.  
 2. An mixta multiplex cognatio. 3. An linea recta, vel transversalis. 4. In gradu & distantia inæquali exprimendum est, si mulier stipiti sit propinquior. 5. Si minor gradus exprimatur pro maiore etiam ex ignorantia inuincibili: v. g. quartus pro tertio, vitabitur dispensatio. 6. Gradus Affinitatis cum Consanguinitatis gradu confundi non debet; alioquin dispensatio

103.

Varia  
 impedimentorum  
 narrationes.

840 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
irrita. 7. Cum distantia à stipite inæqualis est, sufficit  
remotioem gradum exprimere, omisso propinquiore,  
modò is primus non sit.

*Quidnam præstandum circa narrationem impeditenti  
Publicæ honestatis, ex Matrimonio rato, aut Affinitatis?*  
Primò exprimendus est gradus, sicut in Consanguini-  
tate. 2. An duplici titulo affines; vel duplex publica  
cæ honestatis impedimentum. 3. Si Affinitas ex forni-  
catione iterata sit contracta, non est opus exprimere  
copulam multiplicatam fuisse. 4. Non est opus expli-  
care in Affinitate, aut publica honestate maiorem foe-  
minæ ipsi stipiti propinquitatem. 5. Exprimendum an  
publica honestas sit ex Matrimonio, an ex sponsalibus.  
6. Explicanda est distantia graduum in linea recta, vel  
transuersali.

*Explica narrationem circa cognationem spiritualem persi-  
ciendam.* Primò, exprimenda persona, quacum vin-  
culum intercedit. 2. An baptizauerit, vel tenuerit;  
idem est de Confirmatione. 3. Si plures tituli.

*Suppone impedimentum esse voti, seu iuramenti: quid  
zuno?* Non est necessum, actus repetitionem exprimere;  
quia per repetitionem nouum vinculum non addi-  
tur. Certè valet Dispensatio in Voto, vel iuramento  
Deo factò, si vnum pro alio exprimat. *Iuramentum ad  
Confirmationem Voti factum est.* Vna cum Voto dispen-  
satur, facta solitus Voti mentione; quia quasi vnum re-  
putatur: fecus res habet, si iuramentum non depen-  
deat à Voto. In dubio quidem, præsumendum est in  
Voti confirmationem esse immissum. Cùm votum non  
nubendi v. g. in damnum tertij vergit, explican-  
dum. Professus & simul Ordinatus in sacris vtrum-  
que debet exprimere solemne votum. Item expri-  
mendus gradus Sacerdotij, Diaconi, aut Subdia-  
coni.

*Quid si habita copula sit, quando dispensatio Consanguini-  
tatis, aut Affinitatis petitur?* Exprimendum est. Si co-  
pula contigit ante Papæ Dispensationem, vel applica-  
tionem

tionem Dispensationis Pontificiæ ab Ordinario : si tractatus interuenit de Matrimonio ineundo : si contractum est copulæ dare operam , spe facilius dispensationem obtinendi : Vel certè copula habita eo animo est. Alioqui quidem Curix stylo subreptitio censetur Dispensatio.

*Expirant ne commissiones in Matrimonij impedimenti morte concedentis ? Minimè, si res integra est.*

*Ad valorem Dispensationis sufficit concessio per verbum, Fiat ? Ita. Ad probationem autè, & ad agendum in iudicio, literæ expeditæ requiruntur. Causæ item dispensationum debent verificari tempore concessionis Papæ, alioqui subreptitiæ censentur.*

*Quid, quando Dispensatio Matrimonialis alicui committitur, qui tamen obierit ? Si solum delegati nomen exprimitur, & ex adiunctis contrarium non constet, in dubio censenda est personalis delegatio, & consequenter illius obitu extinguetur. Si autem solum nomen dignitatis explicatur, nisi ex circumstantiis contrarium colligatur, realis censenda erit delegatio, & consequenter illius morte non expirabit, sed ad successorem in Dignitate transibit.*

C A P V T IX.

*Praxis circa præfata ex Societatis*

*I E S V schola.*

**E**st in foro secreto coniux certus de uxoris adulterio, quod non potest probare : potest ne innocens non expectato Ecclesie iudicio, uxorem dimittere ? Affirmo cum Sanchez posse, si aliorum non sequatur scandalum ; quia vir in foro conscientie potest sibi ius dicere, cum defectus probationis sua ex culpa non proueniat.

*Dixisti, post Matrimonium consummatum ex consensu*

G G g 4 unius

104.  
De Ma-  
trimonio  
varij ca-  
sus.

842 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
vnius coniugis alterum posse ingredi Religionem, dummodo al-  
ter etiam ingrediatur si sit iuuenis duo requisiero, vnum an  
sufficiat coniugem ingredi Religionem S. Ioannis, seu Meli-  
tensium? alterum, quandonam dicatur coniux senex esse, vt  
sufficiat remanentem in seculo votum castitatis emittere? Re-  
spondeo ex Sanctio sufficere Religionis Melitensis in-  
gressum; quia verè Religio est voto præcipuè castitatis  
solemnis munita, quod speciatim requiritur ad coniu-  
gis pudicitiam. Adicio ad secundam quæstionem, fe-  
nem ad hunc effectum dici, si vir sit sexagenarius, quin-  
quagenaria foemina; aut eam habeat ætatem vterque,  
quæ ex habituali praua valetudine illi ætati respon-  
dere videatur.

Post Matrimonium ratum, scio, ius apud vtrumque con-  
iugem abstinendi duplici Mense à consummatione, vt valeat ad  
Religionem auolare: rogo, an foemina que vim passa esset in-  
tra bimestre, possit, viro renitente, ad Religionem transire?  
Poffe cum Laymano sentio; quia sponsus grauem illi in-  
tulit iniuriam, cum non haberet ius copulam extor-  
quendi ante bimestre.

Coniux ad fidem conuertitur, altero in infidelitate perma-  
nente: potest ne conuersus coniux alias nuptias inire cum fidei,  
quamuis alter velit pacificè cohabitare? Sanctium securus  
asserere posse; dummodo prius coniugem infidelem mo-  
neat, & inuitet ad fidem. Petit ille certum tempus, vt  
deliberare possit. Concedere tenetur. Coniux ita distat, vt  
commodè moueri non possit. Si v.g. seruus ab Æthiopia ad-  
ductus foeminam apud illam regionem reliquit, non  
erit opus illa admonitione; quia moraliter impossibi-  
lis reputatur.

Matrimonium est sicte contractum, ad quod reualidandum,  
qui sicte consensit, post modum verè præbet assensum: sufficit  
ne ad reualidationem? Sufficit (Sanchez ait) quodcumque  
temporis spatium intericiatur; quia alterius coniugis  
consensus semper manet non tantum virtute, sed &  
actu, ac formaliter; credit enim Matrimonium valere,  
petit, & reddit debitum.

*Parentes*

Parentes negant colloquium filius indignum Matrimonium contrahentibus se infcis: an his abneganda sit absolutio, donec filios alloquantur? Non abnegetur, si id præstant non ex odio, sed ex iusta vindicta ad alterius emendationem. Sic Laymannus. Monuerim tamen parentes, vt sese gerant nec grauius nec durius, quàm mensura delicti postulat.

Nomine filij parens Matrimonium promittit: an filius implere teneatur? Non, quia non est parens Dominus libertatis filij. Imò & parentibus inuitis, & resistentibus, posse filios hoc vel illud Matrimonium contrahere cum Gaspare Hurtado affirmo.

Scio Tridentinum prohibere, Dominos temporales, aut Magistratus habentes iurisdictionem in foro externo seculari cogere aliquem ad Matrimonium contrahendum: rogo, num parentes hac lege teneantur, sub excommunicationis pena? Quamuis parentes coactione sufficiente (loquor cum Sanctio & aliis Doctoribus) ad peccatum mortale filios compellant ad Matrimonium, excommunicationem non incurrunt; quia Concilium de Dominis temporalibus ac Magistratibus tantummodo loquitur. An Reges, aut Imperatores intelligantur sub dominorum temporalium nomine? Non; quia ob dignitatis excellentiam speciatim exprimi deberent.

Matrimonium ex graui metu contractum est, scio eum qui metu coactus fuit, posse resilire: rogo, num etiam is qui liber est à metu resilire valeat? Affirmatiuè respondeo cum Sanctio, modò ipse vim aut metum non intulerit; quia nullam iniuriam intulit, quam per Matrimonium sarcire teneatur.

Mittit quis procuratorem ad contrahendum, & post inmissiōnem incidit in amentiam: valet ne Matrimonium? Negant aliqui. Ego autem cum Sanctio valere assero; quia manet virtute prior consensus; sicut Baptismus petitus ante amentiam, validè in amentia confertur.

Potest quis loqui, Matrimonium contrahit per signa, & nutus:

844 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
*an delinquat? Sanchez asserit venialiter peccare. Ego*  
*equidem, sufficienter sic expresse consensu, nullam in*  
*eo culpam agnosco.*

*Teneri Parochum scio vtrumque sponsum de mutuo consensu*  
*interrogare ante contractum: rogo, num delinquat huiusmodi*  
*interrogationem omitendo? Cum Sanchez iudico veniali-*  
*ter solummodò peccare, quando constat vtrumque li-*  
*bè consentire.*

*Ætatem legitimam ad contrahendum exprime. Completur*  
*prima die anni duodecimi in foeminis, & anni decimi-*  
*quarti in masculis. At quamvis desint duo aut tres dies,*  
*sufficit moraliter ætatem esse completam. Matrimonium*  
*ante legitimam ætatem contractum esse validum scio, si malitia*  
*suppleat ætatem: rogo tamen, num sic contrahens graviter delin-*  
*quat? Contrahentem sine licentia Episcopi, & iusta in-*  
*terueniente causa mortaliter peccare docent Henri-*  
*quez, At Sanchez, quem sequor, non delinquere affirmat:*  
*quia lex præscribens ætatem, malitiam solummodò spe-*  
*ctare videtur.*

*Dixisti contrahentes ipsos ministros existere Sacramenti: rogo,*  
*an contrahentes in peccato mortali committant duplex peccatum*  
*grauè, quatenus suscipiunt, & quatenus ministrant efficiendo Sa-*  
*cramentum indignè? Cum Sanchez existimo, vnico sese il-*  
*ligare peccato mortali; quia non sunt ad hoc mini-*  
*strandum specialiter deputati.*

*Matrimonio copulati infideles baptizantur: rogo, an illud*  
*Matrimonium ante Baptismum contractum, post ipsum possit ve-*  
*rum fieri Sacramentum? Negatiuè respondeo cum Vas-*  
*quez. Adde tamen ex Coninch sententia Deum eiusmodi*  
*coniugatis ad fidem conuersis maiorem gratiam ad fe-*  
*renda onera Matrimonij impertiri, quàm infidelibus, fi-*  
*dei ac Baptismi ratione.*

*Procurator quis contrahit coniuge absente: an teneantur con-*  
*iuges esse in gratia eo tempore, quo coniugis nomine contractus*  
*procurator dat operam? Ex Sanctij doctrina censeo proba-*  
*bilius Matrimonium inter absentes per procuratorem,*  
*vel per literas coram Parocho, & testibus, esse Sacra-*  
*mentum.*

mentum. Vnde consequenter assero eos qui ita contrahunt, debere operam nauare vt in gratia sint; ne Sacramentum viuorum in peccato mortali suscipiant. Procuratores autem non tenentur; quia ipsi non suscipiunt Sacramentum.

*An possit inter fideles Matrimonium adesse, quod Sacramentum non sit?* Posse ex Vasquez doctrina iudico; quia cum ministri huius Sacramenti ipsi sint contrahentes, & omne Sacramentum perficiatur ministri intentione: si contrahentes habeant intentionem celebrandi Matrimonium non tanquam rem sacram, sed tantum vt contractum: re vera tale Matrimonium non erit Sacramentum; valebit tamen contractus.

*Num coniux possit primo bimestri debitum abnegare, etiam si non cogitet ingredi Religionem?* Posse assero cum Sanchez; quia potest per bimestris decursum ad Religionis statum ineundum à Deo vocari.

105.  
De coniugali debito.

*Est ne licitum pactum inter coniuges sese continentis, ne proles multiplicetur?* Cum Sanctio sentio licitum esse, secluso incontinentiæ periculo. Imò & ob illam causam debitum abnegare, ne ob proles multiplicationem ad insopiam redigantur. Sanchez nullam esse culpam docet, Saa autem solummodò esse venialem.

*Coniux scit Matrimonij nullitatem ob impedimentum dirimens, potest ne reddere debitum coniugi bona fide petenti?* Scio id aliquo in casu quosdam excusare frustra quidem. Ego equidem Sanctio adhærescens iudico nullo euentu posse huiusmodi coniugem debitum reddere ante dispensationem obtentam, licet periculum vitæ subiret; quia nullo in casu licita fornicatio est.

*Dubium superuenit de Matrimonij valore, scio tunc nec posse coniugem petere, nec reddere: rogo num post diligentiam adhibitam, id præstare possint, licet adhuc dubitent?* Possunt quidem & petere. & reddere, authore Suario. *Quid si coniux cum tali dubio contraxisset?* Existimo cum Sanctio petere non posse, posse tamen reddere; si alter coniux bona fide contraxerit.

Post



*Post bimestre quis nondum consummauit Matrimonium, & dubitat de eius valore: potest ne reddere debitum? Posse quidem, nec Religionem ingredi teneri Salas affirmat.*

*Cœptam copulam de mutuo consensu possunt ne abrumpere coniuges si sine peccato, ob aliquam honestâ causam? Posse Laymanus docet. v. g. ne seminatio valetudini noceat, ne proles generetur ob nimiam paupertatem, modò absit pollutionis periculum.*

*Postquam maritus perfecta actione à complexu maritali recessit, uxor libidine incitata, quia non ipsa perfecerat, tactibus se prouocat, ad seminandum: rogo num sese molitici crimine polluat? Ei hanc actionem licere cum Sanchez affirmo; quia est, non mollities, sed consummatio actus coniugalis.*

*Postulat cum veniali culpa vir, quia iustâ causa non adest, à coniuge debitum cum situs variatione, causa scilicet voluptatis: rogo, num reddendo venialiter etiam peccet fœmina: aut absoluitè possit abnegare? Henriquez docet abnegare sub veniali debere. Ego cum Sanctio iudico teneri ad reddendum; debet enim præsumere aliam subesse causam. Quod si fiat nullam aliam esse præter delectationem, adhuc existimo posse sine veniali reddere, imò debere; quia etsi immoderata illa voluptas maritum ad veniale afferat, debet fœmina præsumere illam maiorem voluptatem coniugis strictiorem dilectionem coniugij conciliare.*

*Num consummetur Matrimonium ex sola viri seminatione? Cum Sanchez existimo non censerî consummatum coniugium, nec contractam Affinitatem, nisi etiam fœmina seminauerit; quia fiunt coniuges vna caro per feminum commixtionem.*

*Licitus ne vsus Matrimonij tuendæ valetudinis causa? Licitum esse Coninch asserit, licet alia media ad eum finem accommodata suppetant. An vitandæ causa fornicationis? Quis dubitet, si Matrimonium post hominis lapsum etiam in remedium concupiscentiæ fuit ordinatum?*

*Habetur in loco sacro inter coniuges copula, in quo sunt conclusi: an teneantur hanc circumstantiam in Confessione aperire? Si longo tempore concludantur, v. g. quatuor, aut quinque dies,*

dies, non esse circumstantiam aperiendam in confessione *Suaris* affirmat. An sit circumstantia, haberi inter coniuges copulam in Oratorio priuato, ad fores Ecclesie à parte externa, in Monasterio, in Sacristia? Nec inter coniuges, neque inter non coniuges esse circumstantiam speciem mutantem docet *Fagundes*.

*Post votum Religionis vel castitatis quis virginem corrupit 106.*  
*sub spe, & pacto coniugij: tenetur ne illam ducere?* Scio *Laymanum* probabiliter asserere non teneri ducere illam; quia *De sponsalibus. §*  
 promissio facta virgini nulla fuit, nempe promissio rei illicitæ contra votum. Ast ego cum *Vasquez* iudico teneri eum ducere defloratam, nisi illa gratis remittat obligationem, aut alia illi ratione satisfaciat.

*Potest ne quis pubes factus, non expectata alterius pubertate, statim ab sponsalibus resilire?* Sanchez asserit posse; quia frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus.

*Quis post sponsalia permittit se ab alia semina impudicè tangi per oscula, & amplexus: an ideo sponsa possit ab sponsalibus resilire?* Asserit Sanchez non posse; quia id non est sponsæ dedecus; nisi illa oscula essent ita frequentia, vt indicarent propensum valdè sponsi in alteram animum vt merito timeri possit, quòd fidem sponsæ non sit seruaturus.

*Vterque post sponsalia fornicatur sponsus: potest ne vterque ab sponsalibus recedere?* Solus potest vir; quia longè ignominiosius est sponso talem ducere, quàm sponsæ tali nubere. Sic Sanchez.

*Post sponsalia sponsa aut sponsus notabili deformitate afficitur: habent ne æquale ius resiliendi?* Potest sponsus resilire, non illa; Sanchez authore; quia in viris non admodum requiritur pulchritudo; nisi sponsus ita fieret deformatus, vt spectantibus horrorem incuteret, aut immedicabilem oris graueolentiam contraheret, aut ineptus redderetur ad officium, ex quo victus esset comparandus.

*Post sponsalia superuenit sponsæ paupertas: possunt ne dissolui?* Quando nulla præcessit dotis promissio, posse asserit Sanchez; quia est adeo notabilis mutatio, vt si à principio fuisset, sponsalia non essent contracta.

Quid

*Quid si sponso repente noua hereditas obueniat, ita ut sponsa iam illi sit inaequalis? Affirmo cum Sanctio, non ideo ius habere resiliendi; quia deceptus non fuit in sponsae conditione, in qua nulla facta est mutatio. Idem dicendum de sponsa, si noua illi accedat hereditas; paupertas enim superueniens magis obest, quam aduenientes profunt diuitiæ, plusque statum rerum afficit.*

*Post sponsalia cum Maria, sequantur sponsalia & copula cum Francisca: dissoluantur ne prima sponsalia? Docet Sanctius non dissolui; quia illicitè contracta est illa obligatio. Urget quidem ratio, attamen ex sententia aliorum iudico dissolui; quia posterior promissio est fortius vinculum, & strictior obligatio iniuriam, & damnum resarciendi. Quod si illicitè contracta noua sit obligatio, tamen post contractionem grauior quidem est, obnoxiorque satisfactioni.*

*Quis post sponsalia sacros ordines suscipit, aut votum castitatis emittit: delinquit ne grauius? Imò nullum peccatum committere asserunt Suarius & Vasquez; quia quando sponsalia contrahuntur, videtur subintellecta conditio, Nisi electio melioris status impediatur. Scio Sanctium probabiliter contrarium defendere. Addo ex Toletio post sponsalia etiam iuramento firmata licere ingredi Religionem, per quam quidem ingressione sponsalia extinguuntur,*

*Contraxit quis sponsalia, nullo praefixo termino impletionis: tenetur ne promissionem implere, non requirente eo, cui est facta promissio? Minimè; quia commune omni debito est, ut solum debitor soluere teneatur, quando creditor requirit. Sanchez sic.*

*Tenetur ne contrahens suos aperire defectus? Non tenetur, Coninch auctore, aperire eos, qui nuptias reddunt minus appetibiles, non tamen perniciosas, praesertim cum huiusmodi defectus aliquam infamiam habeant adiunctam. Vnde colligo posse sponsam uti aliquo artificio, ne sponsus corruptam deprehendat. Imò licet apertè se virginem affirmaret, non propterea lethaliter delinqueret. Possétque cogere sponsum huius occultis defectibus ignarum,*

ignarum, ad standum sponfalibus, & coniugium contrahendum. *Quid si defectus sint perniciosi? v.g. si defectus sint morbus contagiosus, oris graueolentia, grauis infamia, &c.* Non licet cum horum ignaro contrahere, nisi similes defectus ipse pateretur.

*Parents aut tutor pro filio & pupillo contraxit sponsalia: sufficit postea ad eorum validitatem filium, aut pupillum non contradicere? Minimè, sed requiritur (vti Sanchez existimat) sponsalia à parente aut tutore contracta à filio, seu pupillo sufficienti signo ratificari.*

*Potest ne in sponsalium contractu licitè apponi pœna resiliendi? Posse asserit Coninch. Attamen Sanchez docet resiliendam non teneri perfoluere etiam iuramento obfirmatam.*

*Pactum adest in contractu sponsalium, aut Matrimonij, vt vir perpetuò habitet in vxoris domicilio: an sit validum? Ita planè, nisi noua, eaque iusta causa mutandi domicilium emergat. Tunc enim vxorem virum sequi teneri Sanchez affirmauit.*

*Sufficit ne in sponsalibus fictus consensus? Non sufficere Sanctius docet; quia promissio animo ficto facta non obligat, cum is, qui promittit, se obligandi animum non habeat. Scio Vasquez, & Turrianum oppositum defendere probabiliter.*

*Quis sub spe & conditione coniugij si cède tamen promissi virginem corrumpit: tenetur ne eam ducere? Teneri putat Lessius, nisi sit longè nobilior, vel opulentior, vel putans illam esse virginem, in copula reuera non esse deprehendat.*

*Est impropertio inter virum & feminam: tenetur ne illa pati incisorem? Si impropertio est ex parte viri non tenetur; si ex parte ipsius, quia est nimis arcta tenebitur, si non adest, vt dixi, mortis aut grauis infirmitatis periculum. Sic Gaspar Hurtado.*

*Rapuit quis virginem causa libidinis absque contrahendi Matrimonij intentione: indiget ne dispensatione, vt validum ineat Matrimonium. Contrahere liberè cum ea posse asserit Sanctius; quia Tridentini decretum comprehendit*

107.  
De impedimentis.

850 *Moral. Theolog. Tract. VII. Sacramenta,*  
hendit raptum qui sit contrahendi Matrimonij  
causa.

Promittens quis fictè contrahere post obitum Petri cum Ma-  
ria Matrimonium, & adulterium committit: num impediatur  
contrahere? Negatiuè respondeo cum Laymano; quia vt  
contrahatur impedimentum, opus est promissionem  
Matrimonij seriò, & ex animo fieri, esseque mutuum &  
puram, aut saltem ante mortem purificatam.

Rogo, an Matrimonium in primo gradu Affinitatis lineæ rectæ,  
v. g. inter sacerum & nurum, inter vitricum & priuignam,  
sit irritum iure naturæ? Respondet negatiuè Sanctius. Imò  
Hurtado docet neque in primo gradu consanguinitatis  
lineæ transversæ irritam iure naturæ esse, v. g. inter fra-  
trem & sororem. Vnde occurrente necessitate in iis Pa-  
pam posse dispensare affirmo.

An per fornicariam copulam iure naturali Affinitas contra-  
batur? Non contrahi Sanchez existimat. Vnde si Christia-  
nus habuit copulam cum muliere infideli, poterit  
deinde sibi matrimonio iungere illius sororem Chri-  
stianam factam.

Contrahitur Matrimonium in sponsæ Parochia coram sponsi  
Parocho: validum ne? Validum planè est, auctore Sanctio.  
Num Parochus grauiter deliquit? Negat Sanchez: At Henri-  
quez affirmat.

Num peccet Parochus excommunicatus non toleratus assistens  
Matrimonio? Non; quia in re necessaria ad suum mun-  
us spectante communicat. An peccet grauiter sponsam be-  
nedicens? Venialiter assero peccare solummodo; quia  
in re parui momenti, nempe ad Sacramentum non ne-  
cessarià, peccat. Ex Sanctio, qui quidem adiicit posse etiam  
excommunicatum alteri impertiri licentiam, vt Matri-  
monio assistat.

Tenetur ne quis ex vi denunciationis occultum impedimentum  
detegere, quod ipse solus nouit, neque probare potest? Non tene-  
ri aliqui Doctores affirmant. Ego autem cum Sanchez iu-  
dico teneri, eiusque testimonio solo posse Matrimo-  
nium (si Episcopus iudicet testem grauem, & sine vlla  
exceptione

exceptione esse, me adiiciente) interdicti.

An denunciationes fieri queant diebus continuis? Faciendæ quidem tribus festiuis diebus non continuis; quia oportet duorum vel trium dierum intervallum intercedere inter vnam, & alteram, vt impedimentis detegendis opera detur. Sic Sanchez.

An sit peccatum mortale, vnam denunciationem omittere? Respondet negatiuè idem Sanctius.

Potest Episcopus eiusque Vicarius generalis dispensare ex iusta causa, ne denunciationes fiant? De Episcopo quis dubitet? De Vicario etiam assero; quia Ordinarius censetur. Contrabentes non sunt ex Diocesi eadem, & ordinarius vnus in denunciationibus dispensat. Posse quidem tunc & in alia Diocesi denunciationes omitti Sanchez censet.

Potest ne valide Matrimonium contrahi sine Parocho & testibus, quando morti vicinus vellet concubinam ducere, ad prolis legitimationem? Non posse cum Laymano iudico. Posse tamen Parochum hoc in casu denunciationes omnino omittere affirmo.

Dubitat quis, num aliquod impedimentum habeat, & post adhibitam diligentiam adhuc dubitat: potest ne sine dispensatione contrahere? Posse Sanchez docet; quia possidet libertas.

Est ne duplex peccatum cum impedimento dirimente contrahere, transgressio scilicet iuris, & sacrilegium propter Sacramenti nullitatem? Vnicum delictum esse Filliucius affirmat.

Septem dixisti impedimenta criminum esse, impediencia quidem, non dirimentia Matrimonium: rogo an possit contrahere aliquo horum criminum reus? Assero ex Sanchez & aliis hæc septem crimina per diuturnam desuetudinem non iam impedire. Vnde qui hæc crimina admisit non tenetur dispensationem petere ante contractum.

Potest ne tempore interdicti Matrimonium licitè contrahi ab ipso interdicto? Posse iudicat Sanchez; quia in interdicto Matrimonium non comprehenditur, nisi exprimat.

*Peccat ne qui scienter cum excommunicato contrahit? Affero cum Sanctio non delinquere, nisi sit denunciatus; aut publicus Clerici percussor.*

*Sufficit ne presumptio verisimilis de morte viri, ut mulier valeat ad secundas Nuptias transire? Abnego cum Laymano. Si tamen persuasio esset valde probabilis, & iustissima causa credendi, non peccaret illa, bona fide ad secundas Nuptias auolans; quia in moralibus ad actiones instituendas sufficit probabilissima opinio, licet non omnino certa.*

*Coniuges ante benedictionem Matrimonium consummant: vel ante denunciations factas contrahunt. Consummando neq; venialiter peccare censet Sanchez, contrahendo autem mortaliter delinquere idem Doctor affirmat. Quid si ante Matrimonium denunciations factae quotibet casu non fuerint? Ante consummationem faciendas esse Laymanus docet, nisi Episcopo praetermittenda omnino videantur.*





A D  
M A R I A M  
V I R G I N E M  
D E I P A R A M  
E P I L O G A T I O .

**V**T meus hic tandem libellus assurgat  
ab humili, ac verticem teneat: ut iusti  
Voluminis dignitatem, ac speciosum Theolo-  
gia moralis titulum sibi vendicet, in primis  
te, qui liber es sapientia praestantissimus, tuo  
verius, quàm suo munere adest. In te nam-  
que solertissimus pariter, ac mitissimus Agnus  
librum prodit hominibus, qui septemplici si-  
gnatum custodia (vti Richardus Laurenti.  
lib. 12. de laud. Virg.) miram, & ignotam sa-  
crorum rationem includit. Primus Tractatus,  
seu sigillum fert immotam legum seueritatem,  
tamque vicissim & singularem immunita-  
tem, & studiosam obseruantiam: iis namque  
quamuis omnino soluta, tamen libentia colla  
submittis. Secundus inter tot scelerum sordes  
perurum praestat Artificis gaudium, quod ex



tanta peccatorum eluue, ne minimam quidem labem contraxeris. Tertius, in Æquitate versatur, quam à te nimis seruata, qua tua sunt, nec ulli debita peccatorum omnibus impertiendo, ostendit. Quartus disputat de Censuris quarum vinculis extimescendis eripis, duram eorundem ceruicem tua interpellatione frangendo. Quintus est de Fide, Spe, Charitate, ac Religione, teque virtutum omnium collegium, ac domicilium depradicat. Sextus triplicem, id est Sacerdotalem, Religiosum, secularemque complectitur statum, quorum ea maxima felicitas, si tuis studiosè incumbit Officiis. Septimus de Sacramentis te sacrarium omnium Sacramentorum appellat. Ditescat igitur ab ubertate tua meus libellus, ut & legentibus utilitatem, & excipientibus plausum excitet, qui totus ex are tuo censetur quicumque mihi quippe tuo seruo contigerit, ac tandem certissimo flexu redibit ad gloriam Agni I E S V, qui non sine communi omnium salute Iesuitis suis sacrum Volumen resignauerit.

Sacrofanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni vsque ad apicem omnia subiectantor.

Laus Deo, Dei-parenti, Iosepho, Ignatio,  
Antonio.

INDEX



# INDEX RERVM.

*In hoc Indice tr. tractatum : n. Numerum  
marginalem : p. paginam denotat.*

## A

**A** *Cceptilatio*, Tract. 3.  
Num. 90. pag. 418  
*Acedia*, tract. 2. n. 28.  
p. 247. *Filia*, n. 29. p. 248  
*Actus iudiciales*.

*De iudice*, tr. 6. n. 41. p. 670. *Ac-  
cusatore*, n. 42. p. 672. *Teste*,  
n. 43. p. 674. *Reo*, n. 44. p. 675.  
*Aduocato*, *Procuratore* &  
*Notario*, n. 45. p. 676

*Adoratio*, tr. 1. n. 18. p. 49

*Alienatio rerum Ecclesiastica-  
rum*, tr. 6. n. 12. p. 619

*Affecuratio*, tr. 3. n. 81. p. 413

*Atristio*, vide *Contritio*.

## B

**B** *Baptismus*, definitio, insti-  
tutio, proprietates, tr. 7.  
n. 7. p. 718. *Ritus*, n. 8. p. 719.  
*Materia*, n. 9. p. 720. *Forma*,  
n. 10. *ibid.* *Minister*, num. 11.  
p. 721. *Effectus*, n. 12. p. 722

*Beatitudo hominis*, *Procem.*  
num. 2. p. 3

*Bellum*, tr. 1. n. 65. p. 99

### *Beneficium.*

*Essentia*, tr. 6. n. 1. p. 608. *Species*,  
n. 2. *ibid.* *Collator*, n. 3. p. 609.  
*Modus conferendi*, n. 4. p. 610.  
*Forma*, n. 5. p. 611. *Conditio-*

*nes*, n. 6. p. *ibid.* *Conseruatio*,  
n. 7. p. 612. *Dominium bene-*  
*ficiarij*, n. 8. p. 614. *Pluralitas*,  
n. 9. *ibid.* *Amiffio*, n. 10. p. 615

*Bigamia*, tr. 4. n. 58. p. 497

*Blasphemia*, tr. 1. n. 25. p. 59

*Bonum & Malum morale*,  
*Procem.* n. 6. p. 5

### *Bulla compositionis.*

*Compositio*, tr. 1. n. 138. p. 212

*Varij casus*, n. 139. p. 214

*Bulla Cœna*, tr. 4. n. 22. p. 455

### *Bulla Cruciata.*

*Fuentes ea*, tr. 1. n. 125. p. 189

*Priuilegium audiendi Sa-*  
*crum*, n. 126. p. 190. *Sepultu-*  
*ra*, n. 127. *ibid.* *Edendi carnes*

num. 128. p. 191. *Lactinia*,  
num. 129. *ibid.* *Indulgentia*,

n. 130. p. 192. *Electio Con-*  
*fessarij*, n. 131. p. 196. *Absol-*  
*utio*, n. 132. p. 200. *Votorum*

*commutatio*, n. 133. p. 202.

*Commiffarius*, n. 134. p. 204

## C

**C** *Casus fortuitus*, tr. 3. n. 29.  
p. 328

### *Cambium.*

*De Cambio*, tr. 3. n. 57. p. 376

*Varia*, n. 58. p. 379

HHh 3 *Censur*

# I N D E X

## *Censura.*

Essentia, tr. 4. n. 1. p. 422. Ferens  
cam, n. 2. p. 423. Subiectum,  
n. 3. p. 424. Causa, n. 4. p. 427.  
Modus, n. 5. p. 428. Executario,  
n. 6. p. 430. Effectus, num. 7.  
p. 431. Absolutio, n. 8. p. 432.

## *Censura.*

Quid, &c. tr. 3. n. 54. p. 371. Con-  
ditiones, n. 55. p. 372

## *Cessatio à Diuinis.*

Quid, &c. tr. 4. n. 45. p. 487. Effec-  
tus, n. 46. p. 488

## *Charitas ad Deum.*

Præcepta charitatis, tr. 5. n. 32.  
p. 564. Peccata contra eam,  
n. 33. p. 565

## *Charitas ad Proximum.*

Præcepta eius, tr. 5. n. 34. p. 566.  
Ordo charitatis, n. 35. p. 568.  
Fraterna correptio, num. 36.  
&c. p. 570. & seqq. Eleemoly-  
na, n. 42. &c. p. 574. & seqq.  
Vitia opposita, n. 46. 47. 48.  
p. 578. & seqq.

*Circumstantiæ*, Procem. n. 7. p. 6

*Commissarices Bullæ*, tr. 1. n. 134.  
p. 204

*Commodatum*, tr. 3. n. 36. p. 337

*Communio annua*, tr. 1. num. 99.  
p. 149

*Compensatio*, tr. 3. n. 94. p. 419

*Compositio*, tr. 3. n. 93. ibid.

*Compromissum*, tr. 3. n. 91. ibid.

*Conductio*, vide *Locatio*.

*Confessio annua*, tr. 1. num. 98.  
p. 147

## *Confessio Sacramentalis.*

Essentia, & conditiones, tract. 7.  
n. 27. p. 739 Dispositio pœni-  
tentiæ, num. 28. p. 741. Clauis,  
n. 29. p. 742. Minister, n. 30.

ibid. Casus reservati, nura. 31.  
p. 744. Sigillum, n. 32. p. 743.  
Oblervanda à Confessario  
n. 33. p. 747

## *Confessionis generalis agenda instructio.*

Prænoscenda ante Confessio-  
nem circa dolorem, & exa-  
men conscientiæ, &c. tr. 2.  
num. 36. &c. p. 251. Decem  
Mandatorum Decalogi, ac  
quinque Præceptorum Eccle-  
siæ praxis, à n. 38. ad 48. p.  
254. Praxis supremorū Prin-  
cipū, n. 46. p. 261. Praxis Ec-  
clesiasticorum, à n. 47. ad 51.  
p. 262. Regularium, à n. 52.  
ad 54. p. 265. *Vniuersitatis*,  
à n. 55. ad 58. p. 268. *Regi-  
minis urbium*, à n. 59. ad. 60.  
p. 269. *Officiorum specialium  
civilium*, à num. 61. ad 65.  
p. 272. *Medicine*, à n. 66. ad  
69. p. 274. *Militiæ*, à n. 70.  
ad 71. p. 276. *Agricultura*, à  
n. 72. ad 74. p. 277. *Mercatu-  
ræ* à num. 75. ad 76. p. 278.  
*Artium, & Officiorum*, à n.  
77. ad 84. p. 280. *Tribunā-  
lis iudiciarij*, à n. 85. ad 98.  
p. 284. *Coniugum*. 99. p. 293

## *Confessarius.*

Instructio eius circa pœni-  
tem, tr. 7. n. 42. p. 765. Pluri-  
bus variis ægrotis adhibet  
medicamen. n. 43. p. 766. Si  
occafio proxima adfit. n. 44.  
p. 771. si casus reservatus, n.  
45. p. 772. De absolutione  
impertienda, & iniungenda  
satisfactio, num. 46. pag.  
773.

## *Confirmatio.*

*Confirmatio.*

*Materia*, & *Forma* tr. 7. n. 14 p. 727. *Dispositio ad eam*, n. 15. p. 728. *Ritus*, n. 16. *ibid.* *Minister*, n. 17. p. 729. *Suscipiens*, n. 18. *ibid.* *Effectus*, num. 29. *ibid.*

*Conscientia.*

*Quid*, &c. *Procem*, n. 15. p. 14. *Erronea*, n. 18. p. 15. *Probabilis*, n. 17. p. 16. *Dubia*, n. 18. *ibid.* *Scrupulosa*, n. 19. p. 17. *Consuetudo*, tract. 1. num. 13. p. 40.

*Contractus.*

*Quid*, &c. tr. 3. num. 22. p. 321. *Promissio*, n. 23. p. 322. *Contractus*, n. 24. p. 324. *Obligatio*, n. 25. 325. *Euctio*, n. 26. p. 326. *Dolus*, n. 27. p. 327. *Culpa*, n. 28. p. 328. *Casus fortuitus*, n. 29. *ibid.* *Alia accidentia*, n. 30. p. 329. *Contractus ex fortuna*, *adminiculo aliis*, *quasi contractus*, & *innominatus*, à n. 81. &c. p. 413. & seqq.

*Contritio*, & *Attritio*, tr. 7. n. 26. p. 737.

*Contumelia*, tr. 1. n. 88. p. 126.

*Correptio fraterna.*

*Causa*, tr. 5. n. 37. p. 570. *Notitia delicti corripiendi*, n. 37. p. 571. *Fructus ex correptione*, n. 38. *ibid.* *Opportunitas correptionis*, n. 39. *ibid.* *Ordo*, n. 40. p. 572. *Edicta*, n. 41. p. 573.

## D

**D** *Ecologus*, tr. 1. num. 15. p. 46.

*Decima.*

*Oblatio*, tr. 1. n. 105. p. 162. *Primitia*, n. 106. *ibid.* *Decima*, n. 107. *ibid.* *Solutens* *Decimas*, n. 108. *ibid.* *Materia*, n. 109. p. 163. *Quibus soluenda*, n. 110. *ibid.* *Quomodo*, n. 111. p. 164. *Quando*, n. 112. p. 165.

*Degradatio*, tr. 4. n. 47. p. 489.

*Delegatio*, tr. 3. n. 94. p. 419.

*Deposito*, tr. 4. n. 47. p. 489.

*Depositum*, tr. 3. n. 33. p. 332.

*Detrahitio*, tr. 1. n. 89. p. 126.

*Diligere Deum*, tr. 1. n. 16. p. 47.

*Dispensatio.*

*Quis dispenset*, tr. 1. n. 120. p. 177.

*Validitas*, & *nullitas*, n. 121. p. 178.

*Vis amissa dispensationis*, n. 122. p. 183.

*Expendit*, n. 123. p. 184.

*Dispensatio Matrimonialis*, tr. 7. n. 102. p. 838.

*Varia narrationes impedimentorum*, n. 103. p. 839.

*Dominium.*

*Quid*, &c. tr. 3. n. 4. p. 297. *Modus dominij acquirendi rationabilium*, n. 5. p. 299. *Irrationabilium*, n. 5. p. 198. *Iure civili*, seu *praescriptione*, n. 7. p. 300. *Alij modi*, num. 8. p. 301.

*Donatio*, tr. 3. n. 34. p. 333.

## E

**E** *Brietas*, tract. 2. num. 24. p. 243.

## E

*Elemosyna.*

*Præceptum*, tr. 5. n. 42. p. 574. *Ex queisnam bonis*, n. 43. p. 575.

*Quinam possint dare*, n. 44. p. 576.

*Obligatio Beneficiorum*, n. 45. p. 577.

*H h h 4* *Emphy*

# I N D E X

- Emphyteusis.*  
 Quid, &c. tr. 3. n. 64. p. 388. Successiones illius, n. 65. p. 390
- Emptio, & Venditio.*  
 Quid, &c. tr. 3. n. 48. p. 356. Naturale, ac legale pretium, n. 49. p. 357. Venditiones in particulari, n. 50. p. 360. De aliis pertinentibus ad venditionem, n. 51. p. 363
- Eucharistia.*  
 Materia & Forma, tr. 7. num. 58. p. 794. Effectus, n. 59. p. 795. Minister, n. 60. p. 797. Suscipiens, n. 61. p. 798
- Evictio*, tr. 3. n. 26. p. 326
- Excommunicatio.*  
 Maior, tr. 4. n. 10. p. 437. Effectus spiritualis, n. 11. p. 439. Temporalis, n. 12. p. 441. Accidentarii, n. 13. p. 444. Absolutio, n. 14. p. 445. Minor excommunicatio, n. 15. p. 447. Vitandus, n. 16. p. 449. Excommunicationes in particulari, num. 17. p. 452. Reservatae à n. 18. ad 22. ibid. & seqq. Non reservatae, à num. 23. ad 27. p. 456. & seqq. Frequentiores ad usum reservatae, num. 28. p. 459. Non reservatae, n. 29. p. 460. Percussor Clerici, n. 30. p. 461
- Extrema Vnctio.*  
 Materia, & forma, tr. 7. num. 63. p. 805. Minister, n. 64. p. 806. Suscipiens, num. 65. ibid. Effectus, n. 66. p. 807. Ritus, n. 67. ibid.
- F
- F**ama restituenda, tract. 3. n. 18. p. 312
- Famuli merces*, tr. 3. n. 62. p. 385
- Festum.
- Sanctificatio, tr. 1. num. 38. p. 78. Præcepta, & prohibita, n. 39. n. 80. Personarum obligatae ad custodiam, n. 40. p. 81. Causae excusantes, n. 41. p. 82
- Fendum.
- Quid, &c. tr. 3. n. 67. p. 392. Dominus, & feudatarius, n. 68. p. 393. Successio, n. 69. p. 394
- Fideiussio*, tr. 3. n. 84. p. 415
- Fides.
- Materia, tr. 5. n. 1. p. 518. Necessitas ratione medijs, n. 2. p. 519. Ratione præcepti, n. 3. p. 520. Confessio fidei, n. 4. p. 522. Disputatio, n. 5. p. 524. Contra fidem peccata, scilicet ignorantia, n. 6. ibid. Paganismus, n. 7. ibid. Iudaismus, num. 8. p. 525. Sarraceni, num. 9. ibid. Hæresis, n. 10. p. 526
- Finis ultimus*, Procm. n. 1. p. 2
- Furtum.
- Materia grauis, tr. 1. n. 81. p. 117. Minuta furta, num. 82. p. 119. Varij furantes, n. 83. p. 120
- G
- G**ratia, Procm. n. 21. p. 20. Necessitas, n. 22. p. 21
- Gula.
- Quid, &c. tr. 2. n. 23. p. 242. Ebrietas, n. 24. p. 243. Proles Gular, n. 25. p. 244
- H
- H**omicidium, Quid præcepto quinto prohibetur, tract. 1. num. 57. p. 94. Homicidiū punitionum, n. 58. p. 95. Defensiuum, n. 59. p. 96. Voluntarium, n. 60. ibid. Per Abortum,

R E R V M.

Abortum, n. 61. p. 97. Per ludum, n. 62. *ibid.* Casuale, n. 63. p. 98. Ex Duello, n. 64. p. 99. Ex Bello, n. 65. *ibid.*

*Bella Canonica.*

Quid, & c. tr. 5. n. 55. p. 587. Quinam recitare teneantur, n. 56. p. 588. Quodnam Officium, num. 57. p. 590. Quo ordine, n. 58. p. 591. Peccatum non recitandi, n. 59. *ibid.* Attentio necessaria, n. 59. p. 592. Tempus, n. 60. p. 593. Causæ excusantes, n. 61. *ibid.* Pœna non recitantium, n. 62. p. 595

I

*Ieiunium.*

Quid, & c. tr. 1. num. 102. p. 152. Obligatio, n. 103. pag. 155

*Ignorantia*, Procem. n. 10. p. 18

*Immunitas Ecclesiastica.*

Ab onere, tr. 6. n. 26. p. 642. A foro, n. 27. p. 645. Quisnam Ecclesiasticus censendus, n. 28. p. 647

*Indulgentia.*

Quid, & quocumque, tr. 7. n. 47. p. 776. Concedens, num. 48. p. 777. Causa, num. 49. p. 779. Suscipiens, n. 50. p. 780. Valor, n. 51. p. 782. Purgatorium, seu indulgentiæ pro defunctis, n. 52. p. 783

*Inubileum*, tr. 7. n. 56. p. 789

*S. Inquisitionis Tribunal.*

Potestas, DD. Inquisitorum, tr. 5. n. 12. p. 530. Iurisdictio, n. 13. p. 532. Causæ addictæ Tribunali, num. 14. *ibid.* Modus procedendi S. Inquisitionis, n. 15. p. 534. Tortura reorum,

n. 16. p. 535. Sententia, n. 17. p. 537. Confisicatio, num. 18. p. 539. Pœnæ hæretici, n. 19. p. 540. Apostata, & aliorum reorum, n. 20. p. 541. De Sacerdote penitentem ad venerem sollicitante, Bullæ Pontificum, n. 21. p. 545. Bullarum expositio, n. 22. p. 546. De collocutione lasciva in Cofessionario simulâdo Cofessione, n. 23. p. 549. Cessatio obligationis denunciandi, n. 24. p. 551. Sollicitantium pœnæ, n. 25. p. 552. Denunciatio Tribunali faciendâ, n. 26. p. 553. Testificatio, n. 26. *ibid.*

*Interdictum.*

Essentia, causæ, divisio, tract. 4. n. 41. p. 478. Effectus, num. 42. p. 481. Interdicta in particulari, n. 43. p. 483

*Invidia*, tr. 2. n. 26. p. 246. Filia, n. 27. *ibid.*

*Irregularitas.*

Natura, institutio, causæ, tract. 4. n. 50. p. 491. Effectus, num. 51. p. 493. Dispensatio, n. 52. *ibid.* Irregularitas ex defectu, n. 53. p. 495. Animæ, num. 54. *ibid.* Corporis, n. 55. *ibid.* Naturalium, n. 56. p. 496. Ætatis, & liberratis, n. 57. p. 497. Sacramenti, n. 58. *ibid.* Lenitatis, n. 59. p. 498. De aliis defectibus, n. 60. p. 500. Ex delicto, n. 61. *ibid.* Circa Baptismum, num. 62. *ibid.* Circa ordinem, n. 63. p. 501. Ex Censuræ violatione, n. 64. p. 501. Ex Hæresi, num. 65. *ibid.* Ex infamia, n. 66. p. 503. Ex Homicidio

# I N D E X

voluntario, n. 67. p. 504. Casuali, n. 68. p. 505. Necessario, n. 69. p. 506

## Ira.

Quid, & c. tr. 2. n. 10. p. 239. Male-dictiones, n. 21. p. 240. Proles ira, n. 22. p. 241  
*Irrisio*, tr. 1. n. 91. p. 129  
*Iudicium conseruatum*, tr. 1. n. 85. p. 123

## Iuramentum.

Quid, & c. tr. 1. n. 19. p. 52. Condi-tiones, num. 20. p. 53. Iustitia, n. 21. p. 55. Transgressio, n. 22. p. 56. Amphibologia, n. 23. p. 57. Commutatio, relaxatio, interpretatio, num. 24. p. 58. Iustificatio, Procm. num. 23. p. 22

## Iustitia.

Ius, tr. 3. n. 1. p. 296. Iustitia, n. 2. ibid. Iniuria, n. 3. p. 297. Do-minium, n. 4. ibid.

## L

### Lex.

**D** iuisio, tr. 1. n. 1. p. 25. Le-giflator, n. 2. p. 26. Pro-mulgatio legis, n. 3. p. 28. Ac-ceptatio, n. 4. p. 29. Materia, n. 5. p. 31. Subiectum, num. 6. ibid. Obligatio, n. 7. p. 33. Re-gulae docentes, quando obli-gat grauitate, n. 8. p. 35. Lex ir-ritans, n. 9. p. 36. Adimpletio, n. 10. p. 38. Interpretatio, n. 11. p. 39. Abrogatio, n. 12. p. 40

## Locatio.

Quid, & c. tr. 3. n. 60. p. 382. Loca-toris ac conductoris obliga-tiones, n. 61. p. 383. Famulo-rum merces, num. 62. p. 385

## Ludus.

Quid, & c. tr. 3. n. 71. p. 397. So-lutio, num. 72. p. 398. Perfo-nae ludentes, n. 73. p. 399.

## Luxuria.

Cordis, tr. 1. n. 67. p. 105. Oris, n. 68. ibid. Auditus, & visus, n. 69. ibid. Tactus, n. 70. 106. simplex fornicatio, n. 71. p. 108. Stuprum, n. 72. ibidem. Adulterium, num. 73. p. 109. Incestus, n. 74. ibid. Raptus, n. 75. ibid. Sacrilegium, n. 76. p. 110. Contra naturam variè, n. 77. ibid.

*Luxuria capitalis*, tr. 2. num. 18. p. 237. Proles, n. 19. p. 238

## M

**M**aledictiones, tr. 1. n. 26. p. 60. & tr. 2. n. 21. p. 24

*Mandatum*, tr. 3. n. 86. p. 416

## Matrimonium.

Essentia, tr. 7. n. 74. p. 818. In-dissolubilitas, n. 75. pag. 819. Ministri, n. 76. ibid. Diuor-tium, n. 77. p. 820. Consensus, n. 78. p. 821. Clandestinum cõiugium, n. 79. p. 823. Spon-salia, n. 80. p. 824. Eorum dis-solutio, n. 81. p. 825. Debitum, n. 82. p. 826. Impedimenta di-rimentia, n. 83. p. 828. Scilicet Erroris, n. 84. ibid. Condi-tionis, n. 85. p. 829. Voti, n. 86. ibid. Cognationis, n. 87. ibid. Criminis, n. 88. p. 831. Dispa-ritatis cultus, n. 89. pag. 832. Violentia, n. 90. ibid. Ordinis, n. 91. ibid. Ligaminis, n. 92. p. 833. Honestatis publicæ, n. 93. ibid. Affinitatis, n. 94. ibid. Impotentia, n. 95. p. 834.

## Raptus.

R E R V M.

Raptus, n. 96. p. 835. Impedimenta autem impediencia, n. 97. p. 836. Nempe Catechismi, n. 98. ibid. Sponsalium, n. 99. p. 837. Voti, n. 100. ibid. Septem criminum, n. 101. ibid. Dispensatio matrimonialis, n. 102. & 103. p. 838. & 839

*Mendacium*, tr. 1. n. 86. p. 124

*Meritum*, Procem. n. 24. p. 12.

*Metus*, Procem. n. 9. p. 7.

*Missa.*

*Sacrificium*, tr. 1. n. 92. pag. 132

Celebratio, n. 93. p. 135. Obligatio audiendi, n. 94. p. 138.

Stipendium, n. 96. p. 143

*Mons pietatis*, tr. 3. n. 46. p. 352

*Mutuum*, tr. 3. n. 38. p. 339

N

*Negotia gesta*, tr. 3. n. 87.

p. 417

*Novatio*, tr. 3. n. 94. p. 419.

O

*Occasio proxima*, tract. 7.

n. 44. p. 771

*Odium*, tr. 5. n. 46. p. 578

*Oratio*, tr. 5. n. 54. p. 585

*Ordo.*

*Essentia Sacramenti*, tr. 7. n. 69.

p. 810. Effectus, n. 70. p. 811.

*Minister*, n. 71. p. 813. Ritus,

& suscipiens, n. 72. p. 814

P

*Parentes.*

*Præceptum quartum de honorandis parentibus*, seu

Mutua obligatio parentum.

& filiorum, tr. 1. n. 44. p. 85

Coniugum, n. 46. & 47. p. 86.

& 87. Domini & serui, n. 48.

& 49. p. 87. & 88. Prælati &

Clerici, n. 50. & 51. p. 88. Principis & Vassalli, n. 52. & 53. p. 89. & 90. Magistri & Discipuli, n. 54. & 55. pag. 90. & 91

*Peccatum.*

*Originale*, tr. 2. n. 1. p. 119. Actuale, n. 2. p. 220. Habituale, n. 3.

ibid. Malitia, n. 4. p. 221. Veniale, n. 5. p. 222. Mortale.

n. 6. p. 223. Numerus, n. 7.

p. 224. Commissionis, & omissionis n. 8. p. 225. Cordis, n. 9.

p. 226. Oris, n. 10. p. 229. Operis, n. 11. ibid. Effectus, n. 12.

p. 230. Excusatio, n. 13. ibid.

*Peccata Capitalia cum Prole*

cuncta, tr. 2. n. 14. & c. p. 232.

& seqq.

*Peccata mortalia omnium* statu-

rum, Munerum, Officiorum,

tr. 2. n. 36. & c. p. 251. &

seqq.

*Poenitentia.*

*Virtus*, tr. 7. n. 21. p. 732. Sacramenti institutio, n. 22. p. 733.

Necessitas, n. 23. p. 734. Materia & forma, n. 24. ibid. Effectus, n. 25. p. 735. Contritio,

n. 26. p. 737. Confessio, n. 27.

p. 739. Satisfactio, num. 34.

p. 748

*Pensio*, tr. 6. n. 11. p. 616

*Percussor Clerici*, tr. 4. num. 30.

p. 461

*Pignus*, tr. 3. n. 85. p. 415

*Prescriptio*, tr. 3. n. 7. p. 300

*Precarium*, tr. 3. n. 37. p. 338

*Privilegium.*

*Varietas Privilegiorum*, tract. 1.

num. 114. p. 167. Accipiens,

n. 115. p. 168. Vfus, num. 116.

p. 169.



I N D E X

p. 169. Explicatio, num. 117.  
 p. 170. Amissio, n. 118. p. 171  
*Promissio*, tr. 3. n. 23. p. 322  
*Purgatorium*.  
 Quid, &c. tr. 7. n. 52. p. 783. Pro  
 defunctis indulgentia, n. 53.  
 p. 784

R

*Regularis status.*

**E**ssentia, tr. 6. num. 53. p. 683.  
 Ingressus, num. 54. p. 686.  
 Professus transiens ad alium  
 Ordinem, n. 55. p. 687. Noui-  
 tij, n. 56. p. 688. Expulsi, n. 57.  
 p. 689. Professio, n. 58. p. 690.  
 Votum paupertatis, num. 59.  
 p. 691. Castitatis, n. 60. p. 694.  
 Obedientia, n. 61. p. 695. Pre-  
 rogatiua, n. 62. p. 696. Priuile-  
 gia, n. 63. p. 698. Clausura Re-  
 gularium virorum, Monia-  
 lium, n. 64. p. 700. Prælati re-  
 gulares, n. 65. p. 701. Largitio  
 munerum, n. 66. p. 703

*Religio.*

Essentia virtutis, tr. 5. num. 53.  
 p. 584. De oratione in com-  
 muni, n. 54. p. 585. Horæ Can-  
 nonicæ, n. 55. p. 587. Vitia op-  
 posita & superstitio, num. 63.  
 p. 596. Cuius species Idolola-  
 tria, n. 64. p. 597. Diuiniatio,  
 n. 65. ibid. Vana obseruantia,  
 n. 66. p. 599. Magia, num. 67.  
 p. 600. Maleficium, n. 68. ibid.  
 Et sacrilegium, n. 69. p. 601

*Restitutio.*

Necessitas, tr. 3. n. 10. p. 303. Per-  
 sona restitutioni obnoxia,  
 n. 11. p. 304. Circumstantia,  
 n. 12. p. 307. Causa excusans,  
 n. 13. p. 309. Læsis in bonis

spiritualibus, num. 14. ibid. In  
 bonis naturæ, n. 15. p. 310. In  
 bonis annexis spiritualibus,  
 num. 16. ibid. In bonis cor-  
 poris, n. 17. p. 311. Famæ, n. 18.  
 p. 312. Externis, n. 19. p. 314

S

**S**acerdos sollicitans pœni-  
 tentem ad Venerem, tr. 5.  
 n. 21. &c. p. 545. & seqq.  
*Sacramentum.*

In genere, numerus, necessitas,  
 tr. 7. n. 1. p. 711. Causæ, num. 2.  
 p. 712. Minister, n. 3. p. 713.  
 Susceptor, num. 4. p. 714. Effe-  
 ctus, n. 5. p. 715  
*Sacrilegium*, tr. 5. n. 69. p. 601  
*Scandalum*, tr. 5. n. 48. p. 579.  
*Secretum*, tr. 1. n. 87. p. 125  
*Satisfactio*, tr. 7. n. 34. p. 748  
*Simonia.*

Quid, &c. tr. 6. n. 18. p. 628. In  
 quasnam personas cadat, n.  
 19. p. 629. Triplex est, n. 20.  
 p. 630. Materia, n. 21. p. 631  
 Pretium inducens simoniam,  
 n. 22. p. 635. Causæ excusan-  
 tes, n. 23. p. 637. Pœnæ, n. 24.  
 p. 638

*Societas.*

In communi, tr. 3. n. 75. p. 404.  
 Societas negotiationis, n. 76.  
 p. 406. Rusticorum, num. 77.  
 p. 408. Officiorum Romanæ  
 Curia, n. 78. ibid. Omnium  
 bonorum, n. 79. p. 409  
*Sors*, tr. 3. n. 83. p. 413

*Spes.*

Præcepta eius, tr. 5. num. 30.  
 p. 61. Peccata contraria, n.  
 31. p. 62  
*Sponsalia*, tr. 7. n. 60. p. 824. Dif-  
 solutio

R E R V M.

solutio, n. 81. p. 315.  
*Sponsio*, tr. 3. n. 82. p. 414. *Spo-*  
*lita Ecclesiastica*, tr. 6 n. 13.  
 p. 621.

*Statuta Principum* an contra  
 libertatem Ecclesiasticam,  
 tr. 6 n. 31. p. 653.

*Stationes*, seu altarium visitatio,  
 tr. 7. n. 55. p. 787

*Stipulatio*, tr. 3. n. 89. p. 418  
*Superbia*.

Quid, &c. tr. 2. n. 14. p. 231. *Va-*  
*na gloria*, n. 15. p. 233. *Filiae*  
 eius, n. 16. ibid.

*Superstitio*.

Quid, &c. tr. 5. n. 63. p. 596. *Spe-*  
*cies eius*, scilicet idololatria  
 &c. à n. 64. p. 597. & seqq.

*Suspensio*.

Quid, &c. tr. 4. n. 33. p. 469.  
*Causae*, n. 34 p. 471. *Pecca-*  
*ta*, & irregularitas suspensi.  
 n. 35. p. 472. *Suspensiones in*  
*particulari* à n. 36. ad 39.  
 p. 473. & seqq.

*Sufurratio*. tr. 1. n. 90. p. 188

T

**T***estamentum*, tr. 3. n. 35.  
 p. 336

*Testimonium falsum*.

*Iudicium temerarium*, tract. 1.  
 n. 85. p. 123. *Mendacium*,  
 n. 86. p. 124. *Secreti reuelatio*,  
 n. 87. p. 125. *Contumelia*,

n. 88. p. 126. *Detraçtio*, n. 89.

ibid. *Sufurratio*, n. 90. p. 28.

*Iurifio*, n. 91. p. 129

*Templum*.

*Eius libertas*, tr. 6. n. 33 p. 656.

*Quinam facer locus*, n. 34 p.  
 648. *Priuari à Templi im-*  
*munitate*, n. 35. p. 659. *Vio-*  
*latio Ecclesiæ*, n. 36. p. 661

*Transactio*, tr. 3. n. 92.

*Tributum*.

*Quisnam possit imponere*, tr. 6.  
 n. 38. p. 666. *Obligatio sol-*  
*uendi*, n. 39. p. 667

*Tutela*, tr. 3. n. 88. p. 418

V

**V***enditio*, *Vide*, *Emptio*.

*Voluntarium*.

*Idest liberum*, *Proccm*. n. 4 p. 4.

*An vis*, *ignorantia*, *merus*  
*tollant voluntarium*, n. 5. ibid.

*Vorum*.

*Essentia*, tr. 1. n. 28. p. 64. *Ma-*  
*teria*, n. 29. p. 65. *Diuisio*, n.  
 30. p. 67. *Obligatio*, n. 31.  
 ibid. *Vouens*, n. 32. p. 70. *De-*  
*licta*, n. 33. p. 71. *Irritatio*,  
 n. 34. p. 72. *Dispensatio*, n. 35.  
 ibid. *Commutatio*, num. 36.

p. 74

*Vsura*.

Quid, &c. tr. 3. n. 44. p. 347. *Re-*  
*stitutio eius*, n. 45. p. 350.

*Montes pietatis*, n. 46 p. 352

PRAXIS

  
**PRAXIS MATERIARVM**  
**INDICVLVS.**

**A**

**A**BSOLVTIO, tract. 7.  
 n. 37. p. 755  
*Accusator*, tr. 6. n. 47. p. 679  
*Aduocatus*, tr. 6. n. 50. p. 682  
*Alienatio rerum Ecclesiastica-*  
*rum*, tr. 6. n. 16. p. 626

**B**

**B**aptismus, tr. 7. n. 13. 723  
*Beneficium*, tr. 6. n. 14. p. 622  
*Bulla Cruciata*, tr. 1. n. 135.  
 p. 205  
*Bulla Compositionis*, tr. 1. n. 139.  
 p. 214

**C**

**C**ambium, tr. 3. n. 59. p. 380  
*Casus reservati*, tr. 7. n. 39.  
 p. 760  
*Census*, tr. 3. n. 56. p. 375  
*Censura*, tr. 4. n. 9. p. 435  
*Cessatio à Diuini*, tr. 4. num. 48.  
 p. 490  
*Charitas*, tr. 5. n. 49. p. 580.  
*Circumstantia*, Proem. n. 14. p. 11  
*Communio annua*, tr. 1. n. 101.  
 p. 151

*Concionator*, tr. 6. n. 68. p. 707  
*Confessio annua*, tract. 1. n. 100.  
 p. 150  
*Confessio Sacramentalis*, tr. 7.  
 n. 36. p. 755  
*Confessarius*, tr. 7. n. 38. p. 757  
*Speciatim instruitur*, tr. 7. à  
 n. 42. &c. p. 765. & seqq.  
*Confirmatio*, tr. 7. n. 20. p. 730

*Conscientia*, Proem. num. 20.  
 p. 18  
*Contractus*, tr. 3. n. 31. p. 330  
*Conuictio*, tr. 7. n. 35. p. 750  
*Correptio fraterna*, tr. 5. n. 50.  
 p. 581

**D**

**D**ecima, tr. 1. n. 113. p. 165  
*Degradatio*, tr. 4. n. 49.  
 p. 490  
*Depositio*. ibid.  
*Depositum*, tr. 3. n. 39. p. 340  
*Dilectio Dei*, tr. 1. n. 18. p. 50  
*Dispensatio*, tr. 1. n. 124. p. 185  
*Dominium*, tr. 3. n. 9. p. 302  
*Donatio*, tr. 3. n. 40. p. 341

**E**

**E**leemosyna, tr. 5. n. 51. p. 582  
*Emphyteusis*, tr. 3. num. 66.  
 pag. 391  
*Emprio*, tr. 3. n. 52. p. 366  
*Eucharistia*, tr. 7. n. 62. p. 800  
*Excommunicatio*, tr. 4. num. 31.  
 p. 463  
*Extrema-Vnctio*, tract. 7. n. 68.  
 pag. 808

**F**

**F**ama, tr. 3. n. 21. p. 319  
*Festum*, tr. 1. n. 42. p. 83  
*Feudum*, tr. 3. n. 70. p. 396  
*Fides*, tr. 5. n. 11. p. 527  
*Furtum*, tr. 1. n. 84. p. 121

**H**

**H**omicidium, tract. 1. n. 66.  
 p. 100

Hera

PRAXIS MAT. INDICVLVS.

*Hora Canonica*, tr. 5. num. 70. p. 601  
*Precarium*, tr. 3. n. 42. p. 344  
*Procurator*, tr. 6. n. 51. p. 682  
*Promissio*, tr. 6. n. 15. p. 625  
*Privilegium*, tr. 1. n. 119. p. 175

I

**I**eiunium, tract. 1. num. 104. p. 156

*Ignorantia*, Procem. n. 13. p. 11  
*Immunitas Ecclesiastica*, tr. 6. n. 29. p. 648

*Inquisitionis Tribunal*. tract. 5. n. 28. p. 555

*Indulgentia*, tr. 7. n. 54. p. 786  
*Interdictum*, tr. 4. n. 44. p. 485

*Irregularitas*, tr. 4. n. 70. p. 508  
*Jubileum*, tr. 7. n. 56. p. 789

*Iudex Ecclesiasticus*, tr. 6. n. 32. p. 654

*Iudex secularis*, tract. 6. n. 46. p. 677

*Iuramentum*, tract. 1. num. 27. pag. 61

L

**L**ex, tr. 1. n. 14. p. 42  
*Locatio*, tr. 3. n. 63. p. 386

*Ludus*, tr. 3. n. 74. p. 402  
*Luxuria*, tr. 1. n. 78. p. 112

M

**M**atrimonium, tr. 7. n. 104. p. 841. Debitum, n. 105. n. 845. Sponsalia, num. 106. p. 847. Impedimenta, n. 107. p. 849

*Metus*, Procem. n. 12. p. 10  
*Missae*, tr. 1. n. 95. p. 139

*Mutuum*, tr. 3. n. 43. p. 344

O

**O**rdo, tr. 7. n. 73. p. 816

P

**P**arentes. tract. 1. num. 56. p. 91

*Peccata Capitalia*, tract. 2. n. 29. p. 248

*Pensio*, tr. 6. n. 15. p. 625

R

**R**egularos, tract. 6. num. 66. p. 703

*Restitutio*, tr. 3. n. 47. p. 353  
*Reus*, tr. 6. n. 49. p. 680

S

**S**acerdos sollicitans ad venem. tr. 5. n. 30. p. 557

*Sacramentum*, tr. 7. n. 6. p. 716  
*Satisfactio*, tr. 7. n. 40. p. 761

*Scandalum*, tr. 5. n. 52. p. 583  
*Sigillum Confessionis*, tr. 7. n. 41. p. 764

*Spolia Ecclesiastica*, tr. 6. n. 17. p. 627

*Simoniam*, tr. 6. n. 25. p. 640  
*Societas*, tr. 1. n. 80. p. 410

*Sponsalia*, tr. 7. n. 106. p. 847  
*Statusa Principum*, tr. 6. n. 31. p. 653

*Stationes Altarium*, tr. 7. n. 55. p. 787

*Suspensio*, tr. 4. n. 40. p. 476

T

**T**abellio, tract. 6. num. 52. p. 683

*Templum*, tr. 6. n. 37. p. 664  
*Testamentum*, tr. 3. n. 41. p. 342

*Testimonium falsum*, tr. 1. n. 91. p. 129

*Testis*, tr. 6. n. 48. p. 679  
*Tributum*, tr. 6. n. 40. p. 668

V

**V**enditio, tract. 3. num. 53. p. 368

*Voluntarium*, Procem. num. 11. p. 9

*Votum*, tr. 1. n. 37. p. 75

F I N I S.



INDEX

A  
 B  
 C  
 D  
 E  
 F  
 G  
 H  
 I  
 K  
 L  
 M  
 N  
 O  
 P  
 Q  
 R  
 S  
 T  
 V  
 W  
 X  
 Y  
 Z



